C. 17

62.
II. C. 9

68
G

L. DUMOLARD ET FILS
LIBRAIRES
Corsia de' Servi, N.° 603
vis à vis de l'Hôtel de la Ville
À MILAN
Tiennent un assortiment des meilleurs livres anciens et modernes.
Les mêmes louent des livres pour la lecture au mois et à l'année.

PETRI VICTORII EPISTOLARVM

LIBRI X.

ORATIONES XIIII.

Et Liber

DE LAVDIBVS

IOANNAE AVSTRIACAE.

CVM LICENTIA, ET PRIVILEGIIS.



FLORENTIAE.

Apud Iunctas.

CIↃ IↃ LXXXVI.


QVIS PINGERE LAVDES
PETRVS VICTORIVS
AET·SVAE·AN·AG·LXXXVII

SERENISSIMO
FRANCISCO MEDICI
MAGNO ETRVRIAE DVCI
FRANCISCVS VICTORIVS. S.

CVM Petrus auus meus omnes ingenij ſui neruos contendiſſet, vt antiquus ſplendor, ac gloria huius ciuitatis in ſtudijs litterarum conſeruaretur; cuius rei conſequendae incredibili cupiditate ardebat, animaduerteretque, ſe omnibus bonarum artium ſtudioſis ea auxilia, & voce, & ſcriptis iam attuliſſe, quae ab eo expectari poterant, decreuerat, ſenio propemodum confectus, te etiam magnopere illum hortante, quod reliquae vitae tempus ſibi concederetur, ab huiuſcemodi laboribus requieſcere: cumque a vetere ſuo munere ceſſaſſet, & in ea ſtudia, quae pium hominem decent, multo antea a ſe inſtituta, totum ſe tradidiſſet, quibus placidam ſenectutem traduceret: non nulli amicorum epiſtolas ab eo efflagitare coeperunt, quas affirmarent, ipſum ijs, qui nomen ſuum eius ſcriptis illuſtrari cupiebant, aliquando ſpopondiſſe. Hoc autem cum recordaretur, ac neceſſarium eſſe duceret, fidem ſeruare, eas omnes diligenter perquiri iuſſit, ipſeque etiam in hanc curam cogitationemque ſtudioſe incubuit. Quamquam vero multarum ἀντίγραφα, quae primis illis temporibus, quibus in ſtudiis litterarum florere coepit, ſcripſerat, in quibus de re-

bus ad ea pertinentibus diſſeruerat, quaeque volumen hoc ſuum exornare poſſe ſperauerat, ſe amiſiſſe doluit (aliquibus enim, vt moris illius ſemper fuit, ea legenda dederat, quae repetere neglexerat) voluit tamen, honeſtis potius amicorum poſtulatis ſatisfaciens, aliquas earum diuulgari, quae diligentia Iacobi patris mei adſeruatae fuerunt, quam vt negligentis nomen euaderet, honori, quem ijdem ſe conſequi poſſe exiſtimarunt, deeſſe: quemadmodum enim in omni genere virtutum accurate ſe exercuit, ita etiam amicitiae officia diligenter, ſanctéque ſeruauit. Cum autem domi ſuae eadem diligentia adhuc conſeruari ſciret orationes non nullas, quas ſpatio plurium annorum circiter Kal. Nouembr., adoleſcentibus ad ſtudia redeuntibus, habere conſueuerat, quas non ingratas iis, qui humanioribus ſtudiis operam dant, futuras exiſtimaret, & a non nullis expeti animaduerteret, eas etiam colligi voluit, & vna cum aliis orationibus, quas diuerſis temporibus edidit, & ſimul cum libro, qui continet laudes prioris tuae vxoris, mulieris ſanctiſſimae, formis excudi mandauit. Cogitauerat quoque, cum incredibili quodam animi robore munitus eſſet, ſtatim vt promiſſa perſoluere decreuerat, non paucas alias epiſtolas addere, quibus damnum, quod olim factum fuerat, reſarciretur. Sed nimia corporis imbecillitas, quae ob incredibiles labores, quos in ſtudiis litterarum perpeſſus eſt, poſt ſextum tamen, & octuageſimum aetatis annum, ſubito eum oppreſſit, impedimento maximo illi erat, cui malo cum acceſſiſſet grauiſſimum illud, quod alterius oculi lumine ſe orbatum repente animaduertit (etſi ea conſtanter ferebat, quieſque animi illum oblectabat, ea ipſa cogitantem, quae iam agere non poterat) a ſententia ſibi propoſita diſcedere coactus fuit, vt ſaluti, & viribus reficiendis, quo ad fieri poſſet, conſuleret. Cum igitur reliquam omnem curam harum rerum fidei eorum commiſiſſet, quorum diligentiam in maiorum ſuarum vigiliarum muneribus magnam expertus fuerat, eius ſolum epiſtolae ſcribendae ſtudium ſibi reſeruauit, qua opus completum tibi dicaret, cuius rei efficiendae acri ſtudio flagra-

flagrabat. Quod cum maturum tempus mortis fieri prohibuiſſet, pater meus, qui omnia, quae ille voluit, ſumma cura, ſtudioque adhibito, exequi ſtatuit, hoc poſtremum munus me quamprimum adimplere iuſſit. Mitto igitur ad te volumen hoc varium; quod, vt alij multi docti, & eloquentes viri fecerunt, Auus meus confici mandauit; ſperoque tibi acceptum futurum, vt alia ingenij eius monimenta, quae ſemper fouiſti, fuerunt; teque praeclaro teſtimonio tuo omnibus commendaturum. Quod ſi idem non videbitur forſan reſpondere maioribus quibuſdam operibus, quae aggreſſus eſt, &, quantum in ipſo fuit, perfecit; cum tamen ea, quae continet, ſint in genere ſuo omnibus ſui partibus ſatis abſoluta, & appareant in illis diligenter ſeruata harum facultatum praecepta, quae ille ſcriptis ſuis illuſtrauit, plurimi ab omnibus faciendum videtur: & quemadmodum ſtudioſi antiquitatum, qualis tu profecto es, in deliciis habent ſtatuarum fragmenta praeſtantis alicuius artificis, è ruinis eruta, ita qui politioribus litteris operam dant, ni amor, qui forſan modeſtiae fines me tranſcendere facit, plane fallit, haec in lucem prolata, amabunt, caraque habebunt: tu vero in primis donum hoc omni beneuolentia, aliam etiam ob cauſam complecteris (audeo hoc dicere, cum compertum habeam, te huius viri doctrinam, atque integritatem admiratum fuiſſe, omnique honore dignas iudicaſſe) quod ſcilicet in eo diligenter collecta ſint omnia ab illo ſcripta, quae pertinent ad honorem, laudemque tuam, tuorumque fere omnium, quae, vt aliqua grati animi ſui ſigna extarent, varijs temporibus vitae ſuae accurate ſcripſit: quamuis enim principum virorum res praeclarè geſtae, tamquam in illuſtri loco poſitae, ſatis per ſe conſpicuae omnibus ſint, videntur tamen huiuſcemodi officia, quae turpi aſſentationis vitio careant, expetenda, cum mercedem nullam virtus praeter hanc laudis deſideret; quique res gloria dignas geſſere, futuri etiam rationem habere conſueuerint; quibus Alexander ille Magnus, licet rerum

ſuarum eruditos ſcriptores ſecum haberet, cum ad ſepulchrum Achillis acceſſit, quanti haec eſſent facienda, monſtrauit. Vale Dux Magne, & nos, qui tanti ornamenti noſtri virtutes nobis ad imitandum propoſuimus, ac voluntati & auctoritati tuae, vt ille fuit, ſemper dediti erimus, amplexare. Florent. XVI. Kal. Mai. CIↃ IↃ LXXXVI.

INDEX

A

ALBERTO Bolognetto. Non facile reſponderim. 197
Alexādro Crivellio Card. Praedium hoc meum. 155
Alexādro Farneſio Card. Cum primum Chriſtianae. 45
Eidem. Sperabam epiſtolae argumentum. 50
Eidem. Cum Romam venerit is. 73
Eidem. Neſcio quomodo factum. 95
Eidem. Putaui ſuperioribus diebus. 132
Eidem. Venit tempus. 185
Eidem. Neſcio quomodo mihi. 212
Alexandro Medici Card. Cum alios multos. 224
Ambroſio Nicandro. Accepi litteras tuas Kal. Aug. 19
Andreae Daxio. Accepi breues tuas. 17
Andreae Patricio. His ipſis diebus, cum. 136
Angelo Guicciardinio. Accepi litteras tuas amoris. 198
Angelo Niccolino Card. Te modo cooptatum. 126
Annibali Oricellario. Quod mihi ſuauiſſime Annibal. 118
Antonio Auguſtino. Venit tandem in manus. 112
Eidem. Miſit ad me Laelius. 145
Antonio Bruno. Nunquam mihi dubium fuit. 192
Antonio Florebello. Accepi ad VIII. Kal. Iul. 9
Antonio Giganti. Non mihi nunc primum. 135
Antonio Polo. Opus foret fortaſſe. 91
Antonio Rainerio. Accepi elegantiſſimum. 111
Antonio Riccobono. Accepi tuas litteras. 225
Auguſtino Paganellio. Litterae tuae fuerunt. 149

B

Bartholomaeo Caualcanti. Veram ſemper eſſe. 5
Bartholomaeo Marantae. Theopinus Rhodomontius. 49
Eidem. Epiſtolam humanitatis. 107
Bartholomaeo Riccio. Gaudeo, litteras meas. 92
Eidem. Accepi humaniſſime. 110
B. Broco. Epiſtola tua prid. 174
Bernardino Briſegnio. Moleſtae meae occupationes. 140
Eidem. Tuquoque, vir optime. 153
Bernardino Rotae. Accepi ſuperioribus diebus. 203
Bernardo Maphaeo. Saepe ad te ſcribere. 42

C

Carolo Borromeo Card. Mitto ad te Borromee. 129
Carolo Sigonio. Amabam te ſane. 75
Eidem. Accepi nudiuſtertius. 76
Eidem. Duae res fecerunt. 90
Eidem. Libri tui, quos ad me. 92
Chriſtophoro Ruſo. Munus tuum valde. 68
Eidem. Vide, quam non tecum. 77
Eidem. Praeter iſtam longum. 162
Ciuibus ſuis, Graecarum artium ſtudioſis. Cum excitati a me. 28
Iiſdem. Vetus illud conſilium. 41
Iiſdem. Qua toto animo. 43
Coſmo Medici Duci Florentinorum. Cum leuiores etiam. 23
Eidem Duci Florent. ac Senenſium. Putabam eſſe officij. 63
Eidem. Poſt XII. annorum ſpatium. 80
Eidem. Alteram etiam hanc. 109
Eidem. Cum ſcirem te valde. 150
Cynthio Ioanni Baptiſtae Gyraldo. Accepi litteras tuas vir. 122
Eidem. Litterae tuae. 159

D

Didaco Couaſruuiae. Gauiſus ſum, vir. 169
Eidem. Peccaui magnopere. 173
Dominico Tattio. Accepi prid. id. oct. 211

E

Erneſto Principi Bauario. Vt caſus aduerſus. 170
Erneſto Archiduci Auſtriae. Spero equidem futurum. 186
Erophilo Flaminio. Amo te valde. 204

F

Fabio Segnio. Legi tuum carmen. 123
Federico Morellio. Legi libenter epiſtolam. 217

Ferdinando Medici Card. *Fratri ego tuo.* 114
Eidem. *Quantopere te ſemper.* 157
Franciſco Alciato Card. *Fuit mihi iam pridem.* 193
Franciſco Antonio Cantelmo. *Cum Martellum noſtrum.* 10
Franciſco Bonamico. *Litterae tuae plenae.* 211
Franciſco Campano. *Huiuſmodi eſt ſtudium.* 12
Franciſco Cicercio. *Litterae tuae, vir optime.* 198
Franciſco Dauanzato. *Si, cum officio alicui.* 21
Eidem. *Qui bene te cognitum.* 22
Franciſco Medici Florentinorum, ac Senenſium Principi. *Cum participes nos.* 126
Eidem. *Cum virtutem ſemper.* 136
Eidem Magno Principi Etruriae. *Cum flagrarem.* 164
Eidem. *Multae ſunt cauſae.* 175
Eidem. *Tulit vetus illa.* 205
Franciſco Mariae Vrbinatium Duci. *Laudat Xenophon.* 201
Eidem. *Vtinam verum foret.* 202
Eidem Sereniſſimo. *Vere laetus.* 218
Franciſco Philippo Pedimontio. *Accepi litteras tuas.* 53
Franciſco Robortello. *Accepi litteras tuas amoris.* 14
Eidem. *Legi orationem tuam.* 37
Fuluio Vrſino. *Ex meo viae Romanae.* 137

G

Gabrieli Paleotto Card. *Significauit mihi.* 194
Eidem. *Perſpexi in hoc quidem.* 195
Eidem. *Cum iſtuc modo.* 196
Germano Audeberto. *Litterae tuae fuerunt.* 185
Gregorio XIII. Pont. Max. *Non primum nunc.* 190
Eidem. *Nactus occaſionem.* 222
Guidoni Ferrerio Card. *Duo ſunt, vir.* 156
Eidem. *Neſcio quo pacto.* 160
Gulielmo Sirleto Card. *Nihil ego iam pridem.* 125
Eidem. *Cum Romam veneris.* 137
Eidem. *Saepe mihi vſu venit.* 138
Eidem. *Excellens tua doctrina.* 160
Eidem. *Etſi memoriam tui.* 212
Eidem. *Quomodo facere poßum.* 221
Eidem. *Cum ſaepe honeſta.* 225

H

Henrico III. Gallorum Regi. *Quanta voluptate.* 209
Eidem. *Nemo vnquam ſcriptor.* 225
Herculi Cieſano. *Liber, quem ſignificas.* 209
Hieronymo Guicciardinio. *Flagitium eſt.* 169
Eidem. *Mitto ad te Munuſculum.* 184
Hieronymo Mercuriali. *Duo primum fuere.* 146
Hieronymo Suritae. *Litterae tuae, Surita.* 163
Eidem. *Accepi laudationem.* 167
Eidem. *Putarem me peccare.* 174
Eidem. *Cum ſaepe mihi.* 187
Honorato Faſciatello. *Cum Simonem Portium.* 36
Horatio Cordanetto. *Legit mihi Titius.* 124

I

Iacobo Boncompagnio. *Magnam ego cepi.* 199
Iacobo Dalechampio. *Litterae tuae. K. Mart.* 217
Iacobo Gorſcio. *Litterae tuae. VIII. id. Iun.* 138
Iacobo Laureo. *Accepi litteras tuas idib. Mai.* 36
Ioanni Baptiſtae Arcucio. *Ambae tuae perbellae.* 79
Eidem. *Grata mihi fuit.* 154
Eidem. *Si potuißem aliquo pacto.* 170
Ioanni Caſae Archiepiſcopo Beneuentano. *Cum & ipſe.* 47
Eidem. *Quantam voluptatem.* 56
Eidem. *Qui alias quaſdam ad te.* 59
Eidem. *Quaeſiuiſti olim.* 61
Ioanni Contio. *Epiſtola tua mihi.* 162
Ioanni Curterio. *Legi libenter epiſtolam.* 210
Ioanni Faſeolo. *Non erat ne antea.* 78
Ioanni Hieronymo Aquauiuo Duci Hadriae. *Legit mihi Alfonſus Cambius.* 141
Eidem. *Non patiar, humaniſſime.* 143
Ioanni Matthaeo Toſcano. *Quid primum in te.* 195
Ioanni Pontifici Nouiodunenſi. *Cum a nobis diſceſſeris.* 33
Eidem. *Primis illis litteris.* 35
Ioanni Tonſio. *Arbitrabar ſane.* 215
Ioanni Vax Mottae. *Redditae mihi fuerunt.* 213
Ioſepho Caſtalio. *Statim vt in vrbem.* 213
Iulio III. Pont. Max. *Quanta laetitia affectus.* 34
Iulio Antonio Sanctorio Card. *Miſit mihi Nicolaus.* 215

L

Latino Latinio. *Non mihi nouum.* 223
Lectori. *Volo tibi. Lector.* 52
Eidem. *Plures, vt apparet.* 66
Eidem. *Quantum ſtudium.* 69
Eidem. *Magni ſemper honores.* 81
Eidem. *Multi & magno ingenio.* 96
Eidem.

Eidem. *Non putaui alienum.* 120
Eidem. *Quia fidem meam.* 151
Eidem. *Cum olim fidelis.* 165
Eidem. *Priſci illi mortales.* 176
Eidem. *Contigit extremo.* 185
Eidem. *Vt reliquas duas.* 220
Leonardo Bruno. *Accepi nudiuſtertius.* 192
Ludouico Beccatello. *Intelligere potuiſti.* 134
Ludouico Caſtaneo Rupipozaeo. *Noſti, maxime.* 200
Eidem. *Non ideo ſcripſi.* 203

M

M. Antonio Antimacho. *Accepi epiſtolam tuam.* 12
M. Antonio Paſſero. *Cum maxime famae.* 76
Marcello Ceruino Card. *Poſt longum temporis.* 15
Eidem. *Si liber vnquam aliquis.* 38
Marcello Tuto. *Doleo, mi Marcelle.* 74
Marcello Veſtrio. *Vetus amor tuus.* 164
Mario Columnae. *Cum ſaepe mecum.* 116
Eidem. *Audiui tecum, Mari.* 133
Eidem. *Mirificum amorem tuum.* 149
Mario Maphaeo. *Quantopere te diligam.* 139
Eidem. *Non potui non magnopere.* 141

N

Nicolao Ardinghello. *Ex multis epiſtolarum.* 1
Eidem. *Magnum fuit ingenium.* 3
Eidem. *Si cum tu nobiſcum.* 7
Eidem Card. *Viget adhuc in me.* 19
Nicolao Audeberto. *Nollem te tantopere.* 189
Eidem. *Probus adoleſcens.* ibid.
Eidem. *Remitto tibi.* 190
Nicolao Card. Senonenſi. *Angelus Gemmarius.* 193

P

Paulo Iordano Vrſino. *Mitto ad te, vir maxime.* 105
Paulo Magnolo. *Accepi ſuperioribus menſibus.* 10
Petro Angelio. *Legi epiſtolam tuam.* 41
Eidem. *Gratum mihi fuit.* 93
Petro Antonio Iacominio Tebalducio, Maleſpinio. *Amaui ego te ſemper.* 210
Petro Ardinghello. *Litterae tuae multis.* 29
Petro Ciacconio. *Bernardinus Briſegnius.* 187
Petro Gondio. *Quantopere amare ſoleant.* 208
Eidem. *Multa ſaepe accepi.* 222
Petro Magno. *Dilexi ego ſemper.* 116
Petro Maphaeo. *Epiſtola tua valde.* 109
Eidem. *Accepi litteras tuas.* 112
Petro Taber. *Legit mihi heri.* 34
Petro Victorio Nep. *Legi libenter.* 188
Philippo Rodulpho. *Magnam pater tuus.* 57
Eidem. *Epiſtola tua valde.* 58
Eidem. *Quam ſedulo tibi.* 58
Eidem. *Quae de voluntate.* 63
Philippo Tebalducio Iacominio. *Nullam iam pridem animo.* 91
Plauto Bencio. *Litterae tuae, quae.* 161
Proſpero Santacrucio Card. *Cum omni mea vita.* 168

R

Rationis dicendi ſtudioſis. *Cum incredibili quodam.* 26
Rectori Germanici collegij Romae. *Eſt in comitatu.* 226
Roberto Nobili. *Accepi litteras tuas.* 48
Eidem Card. *Dilexi te.* 55

S

Salluſtio Piccolomineo. *Amaui te plurimum.* 38
Eidem. *Cum Vincentius Martellus.* 40
Sebaſtiano Sanleolino. *Dilexi te quidem.* 186
Simoni Rocchae. *Ego te ſemper.* 216
Stanislao Hoſio Card. *Significauit mihi per litteras.* 161
Studioſis Graecarum artium Graeco ſermone ſcriptarum. *Non eſt è genere eorum.* 31
Studioſis. *Cum pluribus ſpectatis.* 32

T

Thomae Aldobrandino. *Facile patior.* 54
Eidem. *Incredibilis quaedam.* 71
Eidem. *Legit humaniter Albericus.* 79

Vincentio

V

Vincentio Borghino. *Accepi ſuauiſſime.* 17

. . . . . *Sebaſtianus Conradus.* 33
. . . . . *Mitto ad te, Cardinalis.* 40
. . . . . *Mitto ad te, vir.* 42
. . . . . *Accepi tandem, vir.* 43
. . . . . *Litterae tuae kal. Febr.* 50
. . . . . *Nunquam dubitaui.* 71
. . . . . *Omni ſane tempore.* 110
. . . . . *Etſi ijs ipſis diebus.* 111
. . . . . *Petyſti a me per litteras.* 127
. . . . . *Accepi poſtridie quam.* 171
. . . . . *Ne dum moleſtiae aliquid.* 171
. . . . . *Legi libenter.* 201

Errata	Corrige.	pag.	ver.
CIↃ IↃ LXXXV.	CIↃ IↃ XXXV.	3.	42
ijſdem fontibus	ex ijſdem fontibus.	4.	60
conſilium numquam	conſilinm vmquam.	6.	14
quae ingenij tui	quae a te ingenij tui.	ibid.	56
quam numquam	quam vmquam.	8.	5
a ſe oriri	a te oriri.	9.	10
adferent	adferrent.	ibid.	41
narrare poſſum.	narrare poſſem,	17.	7
amantiſſimis	amantiſſime.	21.	3
ne arceri.	nec arceri.	25.	19
voluiſſe	voluiſſet.	33.	23
Audeatque.	ſtudeatque.	34.	9
CIↃ IↃ LIX	CIↃ IↃ XIL.	ibid.	40
vale ac	vale ; ac	36.	25
obliuiſcere	obliuiſcerere.	37.	24
permanebant	permeabant.	ibid.	38
aſſiduoque	aſſidueque.	43.	4
acceptuſque do-	acceptuſq; debet,cum ea, quae obſcure, breuiterque do-	45.	60
contenta	contexta	62.	12
tractare	tractari	72.	8
Quaereris	Quereris	77.	18
Thimaeus	Timaeus	113.	39
quaererentur	quererentur	128.	4
Carlo Borromeo	Carolo Bor.	129.	2
tiranni	tyranni	133.	45
curẽti	currenti	136.	39
coherceri	coerceri.	148.	60
Sanctecrucio	Sanctacrucio	168.	17
mirum in mo- rum	mirum in modum	199.	51
atque imbecillae,	atque imbecillae ſunt,	209.	16

IN ORATIONIBVS.

maerendum	merendum.	21.	31
appellauit plurimis.	appellauit; plurimis	28.	5
ab effuſus a lament	ab effuſa lament.	41.	49
frequentebatur,	frequentabatur.	69.	58
princepes	principes.	71.	4

PETRI VICTORII
ORATIO HABITA
FLORENTIAE.

REM magnam, multiſque de cauſis a me ſaepe recuſatam optimorum, ac fideliſſimorum virorum rogatu, atque impulſu ſuſcepi, ampliſſimi Sacerdotes, voſque clariſſimi & ornatiſſimi ciues, omnem ſcilicet hanc nobilium adoleſcentium multitudinem erudire, atque in ſtudijs humanitatis, ac litterarum exercere. Ego, qui ingenij mei exiguitatem pulchre noſſem, & mediocrem quandam optimarum artium, ac diſciplinarum ſcientiam, aut ne mediocrem quidem me habere ſentirem: nullam autem dicendi exercitationem, quae propria eſt huius muneris virtus, non me parem tanto oneri exiſtimabam: illi autem maiora quaedam de meo ingenio, ac doctrina ſibi pollicebantur, &, me omnia ſtudio, ac diligentia facile conſequuturum, mihi perſuadere volebant, in primiſque me humanitati, ac benignitati veſtrae confidere debere dicebant, quod non acriter in mea vitia, ſiqua forte emergerent, inquiſituri eſſetis, in quo praecipue illis non valde repugnabam: cognoui enim ingenij veſtri facilitatem, atque naturae bonitatem, voſque indulgentia ea in me vſuros confido, qua digni videntur illi, qui, cum ſuo labore, atque induſtria aliquibus prodeſſe poſſe iudicarentur, impoſitum ab alijs onus ſubterfugere, ac declinare ſua modeſtia non potuerunt. hac igitur ſpe maxime inductus in hunc locum aſcendi, ac de humanis ſtudijs, ingenuiſque artibus paenè cotidie me dicturum, quae iuuentuti conducere arbitrabor, in me recepi, & nunc, tot doctiſſimis viris ſilentibus, vnus verba facere auſus ſum. Vt autem tam claro de ingenio doctrinaque mea amicorum iudicio reſpondeam, ceterorumque concitatae de me expectationi, optare magis videor poſſe, quàm ſperare; ſiquid tamen laboribus, ac vigilijs confici poteſt, dabo operam, ne multorum de me opinionem penitus quandoque fallam: vos autem benigne nunc me audietis, cogitabitiſque, ſi non rem nouam aggreſſum, longo tamen interuallo haec ſtudia intermiſſa repetentem, atque eo quidem tempore, quo has humaniores litteras ardentius perſequebar, non eo tamen animo illas amplexum, vt putarem, fore quandoque mihi ex hoc loco dicendum. Quantus ornatus ſit, quantaque varietas in humanitatis ſtudijs, ingenuiſque his artibus, quas tractaturi ſumus, neminem veſtrum ignorare arbitror, cumque, qui velit illa explicare, ac laudibus efferre, difficilius puto ſuae orationis exitum, quàm principium inuenturum: cuius enim ingenij, ac doctrinae eſſet, poëtarum mirificas artes, ac virtutes exponere? cuius eloquentiae atque in dicendo exercitationis, oratorum vim, facultatemque declarare? cuius iudicij, atque prudentiae, hiſtoriae ornamenta, & vtilitates percurrere? cuius grauitatis, ac ſapientiae, philoſophiae bona, fru-

ctuſque exprimere, atque docere? quae omnia humanorum ſtudiorum nomine continentur, ita, vt arbitror, appellatorum; quod haec praecipue inſtitutio, & diſciplina ingenuo, ac libero homine digna eſt: nec enim fortaſſe decet, nec rectum eſt, vni alicui ſtudio ſe totum dedere, aliarumque artium omnino rudem, atque expertem eſſe; ſed oportet, politum, atque elegantem hominem omnem ſcientiam, quae animum doctrina excolere poſſit, attingere, ac deguſtare. Quanta delectatione caruiſſe illos, neceſſe eſt, quorum aures ad poëtarum cantus ſurdae ſemper extiterunt? Cuius deſidiae, atque inertiae exiſtimari debent, qui ea facultate, qua homines ceteris animantibus maxime praeſtant, tam negligenter vtuntur, vt nullam vmquam operam linguae excolendae dederint? quod ſtudium, & ſuauitatem magnam in ſe habet, & alijs, quorum dignitas, ſaluſque in periculo eſt, opem, & auxilium fert. In quanta veteris memoriae ignorantia verſari contigit illis, qui hiſtoriae ſcriptores non legerunt, ex quibus & ſumma iucunditas capi poteſt, & incredibilis vtilitas: diligenter enim, ac ſtudioſe praeteritis rebus perlectis facilius prudentiuſque de futuris vnuſquiſque conſilium capere poteſt: Nam quid de ſapientiae ſtudijs, eiuſque triplici forma dicendum eſt? quae enim certa loquendi ratio, aut quae ſermonis ſubtilitas eſſe poteſt in eo, qui diſſerendi artis penitus ignarus ſit? quomodo autem bene beateque viuere, ac recta officia perſequi aliquis poteſt, qui philoſophiae partem illam, quae eſt de vita, & moribus neglexerit? nam nihil eorum; quae caelo, terra, marique fiunt, percepiſſe, quibuſque initijs orta ſint, ac ne ſui quidem ipſius formam, coagmentationemque noniſſe, libero homini valde turpe eſt. Haec autem omnia, ac maiora, & vberiora multa in ea parte philoſophiae tractantur, qua natura explicatur; nec non tamen eam reprehenſionem is noſter, de quo loquimur, facile vitabit, in quam multi incurrerunt, quod nimis magnum ſtudium in vnaquaque harum rerum ponere exiſtimati ſunt: nam nec defuerunt ex illis etiam, quibus philoſophari non diſpliceret, qui modum tamen in eo quendam quaererent, pauciſque philoſophandum eſſe cenſerent: nam omnino haud placere: Sed omnium, quicunque harum artium ſtudioſi fuerunt, neminem ſcimus maiore cum dignitate in his verſatum eſſe, quam Ciceronem, neque tantam earum excellentiam adeptum eſſe, quantam ipſe fuerit conſequutus, quamuis a magnarum rerum adminiſtratione numquam ceſſauerit, varijſque caſibus eius vita agitata fuerit, tantum erat eius ingenium, tantoque ſtudio, atque animi ardore his litteris puer olim incubuerat: nam & poëticae adoleſcens deditus fuit, & quaedam iam vir, ac maximis honoribus perfunctus, verſibus ſcripſit; quae admirabili, ac diuino ingenio viri magnopere laudarunt; & ſe ne Graeca quidem meliora legiſſe pronuntiauerunt, vituperarunt nulli, niſi aut inuidi, aut inimici, quorum liuor, & odium in vnum, aut alterum verſum ſe petulanter effudit. Quantum eloquentia valuerit, ſilere melius eſſe puto, quam loqui; ita certe incredibiles exitus quarundam cauſarum fuerunt, vt nihil homines vmquam admirati ſint magis. Quomodo etiam Romani homines ſummam eloquentiam adipiſci poſſent, & quam viam tenere deberent, ſi perfecti oratores euadere vellent, ipſe quoque multis eruditiſſimis libris docuit, atque explanauit: nedum enim timuerit, ne alij ad eam dicendi excellentiam peruenirent, quam ipſe ſumma cum gloria fuerat conſequutus, ipſe potius ſuo labore, atque induſtria illorum ingenia ad perfectiſſimam eloquentiae ſpeciem dirigebat, & ad hanc egregiam laudem capeſſendam hortabatur. Hiſtoriam non tam ſcribere, quam ſcire potuit propter infinitas rerum occupationes, cum ipſe maxime illam egregie tractare, atque abſoluere poſſe ab his, qui de hoc iudicare poterant, exiſtimaretur, ſaepeque ad hoc munus ſuſcipiendum ab amicis impelleretur, hoc proprium eſſe oratoris opus dicentibus, nec ipſe id vmquam ſe facturum recuſauerit, ſi vacuum a moleſtiis aliquod tempus, ad tantam rem explicandam idoneum nactus vmquam eſſet: cupiebat enim in hac etiam re patriae ſatisfacere, quam ipſe a ſummis periculis conſeruarat; cuius res geſtae, cum clariſſimae, ac magnificentiſſimae eſſent, parum ſplendide, atque ornate ad eum vſque diem litterarum monimentis traditae erant; ſed eſt in hac etiam re, quod de immatura, atque acerbiſſima eius morte grauiter queramur. Philoſophiam a Graecis doctoribus adoleſcens accepit, ac Latinis ipſe poſtea litteris illuſtrauit: cum enim ſe hominibus iuuandis natum eſſe meminiſſet, nec reſp. eius opera, atque ingenio indigeret, quod in vnius poteſtate erat, eiuſque prudentia, atque auctoritate regebatur, liberatus priſtinis laboribus, totum ſe ad philoſophiam explicandam contulit: nec enim ei in mentem venit, quo pacto otioſus magis ciuibus ſuis prodeſſe poſſet, qui antea, ſiquid de his rebus audire vellent, Graecos adhibere magiſtros cogebantur, atque illis, quibus virtute imperabant, vt ſua ingenia excolerent, ſeruire, quod non nullam in ſe indignitatem habere videbatur. Intelligebat autem Cicero, ſi res illae ſua induſtria Romano ſermoni traditae eſſent, multorum ſe etiam inge-

nia ad haec ſtudia excitaturum, quae, ſi ſemper illa ſotis petenda, atque ab externis hominibus diſcenda eſſent, in ſuo torpore, atque harum clariſſimarum artinm ignoratione permanſura forent. Omni igitur hoc tempore vbertimos philoſophiae locos, difficillimaſque quaeſtiones ornatiſſimo ſermone explicauit, & eam primo partem expolire aggreſſus eſt, quae vitam moreſque inſtituit, quomodoque bene, ac beate viuere poſſimus, docet: nam multi excellentis ingenij philoſophorum, hinc capeſſendae philoſophiae initium ſumendum eſſe cenſuerunt: oportere enim prius mores conformare, ac turbidos animi motus, ſedare, qnam aliquis naturae res occultas, ac penitus abditas inquirat. Quomodo enim poſſit vehementi ſtudio, atque alacri animo quiſquam rem aliquam maiorem perſpicere, ac contemplari, qui corporis facibus inflammetur, ac ſaeuis cupidinibus diſtrahatur: non autem ſimilem eſſe dicebant aedificandae domus, ant gubernandae nauis ſcientiam cognitioni huic, quae a philoſophia ducitur: illas enim eſſe rerum externarum, hanc autem vitae, atque animae. Cumque inſtrumenta omnia, rerum earum ſint, quae ambiguam, & mediam naturam habent, ſitque in poteſtate eorum, qui ea tenent, pro ſuo arbitrio, ac voluntate illis vti: nam & bonis rebus ſeruiunt, & malis etiam vſibns accommodari poſſunt; quod vetum eſſe docent oratores non nulli, ſi hoc nomine appellandi ſunt, qui dicendi periti hoc praeclaro munere peruerſe vtuntur, & ſophiſtae; non tutum ipſis videbatur inſtrumentum omnium inſtrumentorum potentiſſimum illis tradere, quorum animus optimis praeceptis antea imbutus non eſſet, vt aliquis ſanae mentis gladium puero, aut furioſo numquam porrigeret: volebant igitur diſcipulos ſuos de moribus prius diſcere, quam illos ſubtilius diſſerendi rationem, atque artem docerent; cuius etiam ſententiae Ciceronem fuiſſe apparet. Cohortatus autem primo eſt omnibus ingenij viribus ad philoſophiae ſtudium eo libro, quem Hortenſium inſcripſit, vt & ardorem quendsm animis hominum ingeneraret, optimarum artium cognoſcendarum, & conuicijs quorundam ſiniſtrorum ingeniorum reſponderet, qui eam vitupetare auſi erant, qui liber, vt iam queri incipiamus de ſuperiorum temporum, ſiue hominum incuria, ac negligentia iam diu perijt. Cumque ipſe Academicam philoſophandi rationem maxime adamaret, vt modeſtam, & nihil temere affirmantem, mirificamque gignentem dicendi copiam; vt quae contra alias omnes diſciplinas, & pro omnibus diceret, eam quattuor elegantiſſimis libris explanauit, in quibus, magnos labores ſuſcepit, magnaſque moleſtias pertulit: nam ſemel totum ſcribendi conſilium rationemque mutauit; diuqne anxius qnos in libris illis diſſerentes induceret, enique eos mitteret, tandem adhibitis etiam in conſilium amicis certa aliqua in ſententia conſtitit, & illos perfectiſſime abſoluit; ſed non meliore hi fortuna, quam Hortenſius, vſi, fere toti periere. Optimum ei poſtea viſum eſt de finibus bonorum, & malorum quaerere, vt haberent ſui ciues, quo omnes bene viuendi recteque faciendi rationes referrent: niſi enim, quod vt ſummum bonorum omnium natura appeteret, &, quod vt extremum malorum repudiaret, cognitum haberent, in maximis illos erroribus neceſſario permanſuros videbat, & nullam certam vitae degendae rationem habituros, cumque de his rebus magna eſſet inter diuerſas philoſophorum familias diſſenſio, ac concertatio, quid pro ſe, ac contra alias vnaquaeque diſciplina diceret, accurate, & copioſe quinqne libris expoſuit, totidem ſcripſit Tuſculanarum diſputationum, quibus grauiſſimos animorum morbos, niſi quis medicinam reſpuat, facile ſanare poterit, quo confecto, adiunctaque virtute, quae ſtatim in animum perturbationibns vacuum irrumpit, nulla nos alia re indigere ad beate viuendum docet. Sed illum in his ſtudijs magna cum voluptate occupatum acerbiſſimum percuſſit vulnns, obitus ſcilicet cariſſimae filiae, qui, & libros manibus repente excuſſit, & ab omni maiore virilique cogitatione ad luctum maeroremque traduxit, cui enm nimis indulgere videretur, grauiterque propter hanc animi mollitiem accuſare ab amicis coeptus eſſet, qui aegre ferebant, ſe fruſtra operam ſuam in eo conſolando conſumpſiſſe; ipſe tandem ſe ipſum conſolari aggreſſus eſt, omniaque vno libro incluſit, quae animum a maeſtitia auocare poſſent, atque ita, dum ſibi medetur, aliorum quoque dolori optimum remedium inuenit. Tris poſtea edidit de natura Deorum, ſtatimque de diuinatione ſcribere aggreſſus eſt, vt quaeſtio illa de Dijs plene cumulateque perficeretur, cui duobus libris abſolutae, adiunxit vnum de fato, qui rem illis maxime coniunctam continebat; interiecta ſunt etiam quaedam minorum vigiliarum opnſcula, vt qnod de ſenectute ad Atticum miſit, & alter Cato, quo vir bonus, fortiſque cinis expolitus eſt, nec non aureolus ille quoque de amicitia libellus. Poſt commotum autem importuniſſima Caeſaris caede ſtatum illum ciuitatis, cum

de rep. rurſus conſuli coeptus eſſet, quod temporis publicis curis, ſenatorijſque muneribus eripere potuit, totum in hoc ſtudio conſumpſit, quaeſtionemque illam grauiſſimam, atque vtiliſſimam de officijs tribus libris elegantiſſime explicauit; nec non etiam hoc eodem tempore duos de gloria excuſit: nam ſex illos de rep. ante ciuilia arma ſumpta, cum gubernacula reip. teneret, confecit. Atque ita illum ſimul, & domi, & in ſenatu opem reip. ferentem ciuiles fluctus in altum abripuere, & ea, quae non multo poſt ſaeuiſſima tempeſtas coorta eſt, abſorbuit; ſicque ingenium illud extinctum eſt, quod alijs ingenijs clariſſimum lumen praeferebat, animuſque ille diſiectus, qui ceteris animis veriſſimum, atque vberrimum animorum pabulum ſcientiam pariebat, nec tamen tam nefarium crudeliſſimi hoſtis conſilium, quem optauit, exitum habere potuit: corpore enim occiſo, ac dilacerato, non ille Ciceronem ſuſtulit, ac deleuit: viuit enim Cicero, ſemperque vigebit in clariſſimis ingenij ſui monimentis, ipſe potius ſibi tam impio facto ſempiternam maculam ſuſcepit, atque acerbiſſimum ſtudioſorum omnium contra ſe odium excitauit. Eripuiſſe quidem Antonium multa litteratis hominibus, quae Cicero cotidie inſtituebat, atque texebat, veriſſime dici poteſt. Quae enim illum opera confecturum fuiſſe arbitramur, ſi ſcopulum, ac naufragium illud euadere potuiſſet, & ea tranquillitate, atque otio perfrui, quod breui poſtea potito rerum Auguſto conſequutum eſt, qui antea, aut occupatus, aut turbulentiſſimis temporibus tanta confecerit? Profecto omnem liberalem doctrinam omneſque ingenuas artes a Graecis, & inuentas, & litteris conſignatas Romano ſermone illuſtraſſet: nihil enim non ſperari poterat a tam diuino ingenio, tantaque virtute, atque eruditione. Sed hoc damnum, atque illud etiam, quod ſuperiorum temporum calamitas intulit, quae non nullos, qui iam ſcripti erant, deleuit, continua horum librorum lectione, qui & furorem Antonij, & tot bellorum vim euaſerunt, reſarciamus; hos ſemper in manibus habeamus; hos ſummo ſtudio, atque animi attentione conſideremus; in his expreſſum Ciceronis ingenium contemplemur; in his vberem illam verborum copiam, & ſingularem dicendi leporem deguſtemus. Atque ego, qui huic muneri inſtituendae iuuentutis praepoſitus ſum, cum mecum ipſe cogitarem, atque animo reuoluerem, quidnam potiſſimum ſuſciperem, in quo tot bonis ingenijs conſulerem: meum enim officium eſt, meae ſunt partes, videre, vt tot optimi adoleſcentes, mei ciues, mihique pro hoc munere coniunctiſſimi dignum laborum ſuorum fructum ferant, nihil aliud inuenire potui, ex quo tanta vtilitas, tantaque eruditio capi poſſet, quanta ex quouis librorum Ciceronis, atque huius mei iudicij clariſſimos, & doctiſſimos viros, auctores, & teſtes habeo, qui hunc vnum praecipue adamarunt, ipſumque legendo contriuerunt, ac toto pectore reddere, & exprimere conati ſunt, atque expreſſerunt, ex qua re magnam laudem gloriamque adepti ſunt, atque ea commendatiuue ad altiſſimos honorum gradus ſublati: Hunc igitur declarandum ſuſcepimus, ac tot egregiorum ipſius monimentorum praecipue Tuſculanas Quaeſtiunes elegimus, in quibus hoc anno acquieſcamus: nam quae in philoſophiae libris minor eſt vis dicendi, quam in orationibus, tot optimarum rerum cognitione compenſatur, quibus illi referti ſunt, ac neſcio, an vitae noſtrae, & temporibus his aequabile, ac temperatum dicendi genus aptius, & accommodatius ſit, quod ſi vlli Ciceronis libri de philoſophia magnifice, ac copioſe explicati ſunt, atque illam verborum vbertatem, & elegantiam retinent, quae oratorum propria eſt, audebo dicere, hos illos eſſe: quanta enim exemplorum copia; quanta, & quam lepida hiſtoriarum expoſitio in his inuenitur; quanta argumentorum varietas; quanta ſententiarum concinnitas; quantus orationis curſus, ac ſermonis ſuauitas in illis eſt; quam apte, & appoſite Cicero multas Graecorum philoſophorum ſententias interpretatur, ac poëtarum quoque non paucos locos, & eos quidem elegantiſſimos verſibus exprimit. Quare nullo modo puto fore, vt iudicium noſtrum reprehendatur, quod hos libros exponendos ſumpſerimus, ſi modo illos ſubtiliter, atque erudite interpretari potuerimus, quod omni ſtudio, ac diligentia praeſtare conabimur. Quoniam autem multi ſunt, qui Graecas artes, ex Graecis auctoribus, Graeco ſermone diſcere auent, nullo modo poſſumus tam honeſtae ipſorum voluntati deeſſe, quare dabimus operam, vt quicquid etiam in hac re valemus, totum in illis adiuuandis effundamus; ac ne a manſuetioribus muſis abhorrere videamur, Graecum aliquem poëtam explanabimus, ac Sophoclem maxime, grauiſſimi, ac nobiliſſimi poëmatis optimum ac ſuauiſſimum auctorem, & omnium eius tragoediarum potiſſimum illam, quam admodum ſenex ſcripſit, quaeque antea iudicibus, quàm populo recitata eſt, ac prius ipſi ſalutem quàm plauſum attulit, vel potius vnà & plauſum, & periculi liberationem: nam cum Sophocles propter ſtudium

filijs

filijs rem familiarem negligere videretur, ab illiſque in iudicium vocatus eſſet, vt ipſum quaſi deſipientem iudices a re familiari remouerent, ſanctiſſimus ille ſenex dicitur, Oedipum Coloneum; ſic enim appellatur fabula, quem proxime ſcripſerat, iudicibus legiſſe, quibos cum carmen illud diuinum, atque admirabile viſum eſſet, ob idque eius conditor omnibus ſententiis ab ipſis abſolutus, ab omni corona clamor, ac plauſus excitatus eſt; atque ita ille domum deductus tamquam ſi è Theatro, non è foro ac iudicio victor exiſſet. Hoc igitur erit hoc anno noſtri laboris curriculum, haec ingenij veſtri palaeſtra, probi adoleſcentes, atque vt nos omni ſtudio, opera diligentia noſtra laudi, atque vtilitati veſtrae ſeruiemos, ita vos nullo pacto debetis committere, vt vobis ipſi defuiſſe videamini; multa nunc vobis adſunt, mihi credite, quae ſuperioribus annis deſiderata ſunt, ac primum tempora habetis tranquilla, & ab omni belli ſuſpicione remota; quae paulo ante turbulentiſſima erant, & magnorum periculorum plena, cum Italiam totam ſaeuiſſima belli tempeſtas peruaderet, & hanc praecipue vrbem infeſtam haberet, Principem optimom, atque innocentiſſimum, qui maiorum ſuorum laudem, & gloriam litteris fouendis, atque excellentibus ingenijs honore, ac praemiò honeſtandis adaequare conatur, vt illos fortuna, atque opibus ſuperauit. Non paruam doctorum copiam, ac ſi virtutem, & excellentiam eorum ſpectea, maximam; me vnum excipio: nec enim tam arrogans ſum, nec tantopere inſanio, vt de me tam magnifice loquar, aut me inter illos numerare audeam, qui aut nihil adhuc ſum, aut ſiquid aliquando ero, veſtris ſingularibus ſtudijs, atque optimis erga me voluntatibus ero, cuius laudis adipiſcendae miro deſiderio ardeo, atque, vt commendatione, & honore veſtro dignus videar, omni meo labore & induſtria conabor.

PETRI VICTORII ORATIO HABITA FLORENTIAE.

MVLTA maiorum veſtrorum inſtituta, clariſſimi viri, & optimi adoleſcentes, poſſunt egregie laudari: fuerunt enim illi ſingulari ingenio praediti, & incredibili quodam amore ciuitatem hanc proſecuti ſunt, quam cum omnibus rebus ornare vellent, ſommo ſtudio, ac diligentia in hoc adhibito, nihil omiſerunt eorum, quae beatam ciuium vitam efficere poſſunt; & vt maiora nunc relinquam, & quae nequeunt breui explicari, ab ipſis ſapienter inuenta, & cogitata: quanta laude dignum eſt, quòd haec ſtudia litterarum in hac vrbe vigere voluerunt? atque id, quod magnopere admirandum eſt, illis temporibus, cum in aliis Italiae ciuitatibus paenè extincta, ac deleta eſſent; ex quo intelligi poteſt, quantum fuerit acumen ingenij ipſorum, & quam egregia in excitandis bonis artibus animi voluntas. Id autem ſine ſummis laboribus, & infinitis ſumptibus ea tempeſtate confici non poterat: nam in diuerſa, & longinquis locis docti viri inueniendi erant, qui pauci propter interitum bonarum artium reperiebantor, & ingentibus praemijs huc eliciendi. Quod tamen illi, & auctoritate, & liberalitate ſua conſequi potuerunt, & non paruum numerum erudiriſſimorum, & ſapientiſſimorum virorum euocarunt, qui iuuentutem erudirent, & tam honeſtum munus praeclare ſuſtinerent. Inde autem facile effectum eſt, vt non tantum in hac vrbe ſtudia litterarum florerent, ſed per omnem Italiam diffunderentur. Fuit haec quidem laus totius ciuitatis, praecipuè tamen vnius familiae, quae iam tum principem locum in ea conſilio, & auctoritate tenebat, & vt haec commendatio in ipſa primum orta, ita etiam ab eadem ſumma cura, ac diligentia retenta, & aucta eſt, vt cum aliis rebus multis floruerit, haec vna praecipue res ingentem honorem, ac dignitatem nobiliſſimae, & clariſſimae genti attulerit: Habuit enim illa ceterarum rerum praeclarè geſtarum aemulos, ac pares: nulli autem homines ad hanc gloriam ex patrocinio litterarum collectam, vmquam aſpirare potuerunt. Cum autem nunc vexata continuis bellis hac prouincia, tempora redierint inimica quietis, non patitur tamen, qui poteſt hac in vrbe illa extingui, ſed vbi, & nata, & alta ſunt, ea omni officio, ac liberalitate retinere conatur. Cumque maioribus praeſidiis hanc diſciplinarum arcem munire cogitet, nec vmquam diligentiſſimis cuſtodibus eam firmare deſinat, voluit nos ipſos huic parti praeeſſe, quam poſtquam ſemel ſuſcepimus, numquam deſeremus, ſed multa cum fide, ac vigilantia curae noſtrae aſſignatum munus ſuſtinebimus.

ſtinebimus. Vtinam felices in tanto negotio ſimus, quod ſtudio quidem certè, ac diligentia praeſtari poteſt, non patiemur, a nobis magnopere deſiderari: nam ingenij noſtri vires, quae ſanè exiguae ſunt, oratione etiam noſtra non extenuabimus, ne videamur prudentiſſimi, & amantiſſimi Principis iudicium, qui eas tanto oneri ſuſtinendo pares, eſſe exiſtimauit, reprehendere, ac condemnare. Deſcendimus iam iterum in hanc palaeſtram, ciues, nam ſuperior annus huic noſtro labori initium attulit, quem vos ſtudiis veſtris adiuuiſtis, & leuiorem feciſtis, quum frequentia veſtra ingenium meum nouitate rei perculſum fouebatis. Quare ego & verbis immortales vobis gratias agere debeo, & re etiam conari, ſiquo pacto poſſim gratus eſſe. Eſt autem vna tantum ratio hoc faciendi, videre, ſi laboribus, ac vigiliis meis aliquid inuenire poſſim, quod auribus veſtris dignum ſit, & quod aliquam vtilitatem, aut delectationem vobis afferat: quam enim aliam facultatem habeam remunerandi vos, niſi ab ingenio meo praeſidium petam; cuius maxime partes videntur eſſe hoc quaſi alienum aes diſſoluendi: nam ipſum praecipuè a vobis adiutum, & excitatum eſt. Quicquid igitur ſpei eſt, in hoc eſt, & ſanè omni hoc tempore, quod vacuum nobis ab hoc munere conceſſum eſt, nihil aliud egimus, nihil cogitauimus, niſi quomodo poſſemus induſtria noſtra valde vobis prodeſſe: multa autem in mentem veniebant, vt neceſſe eſt, de tanta re deliberanti; quorum non nulla diuerſis de cauſis repudiabantur, poſtremo, re diligenter diſcuſſa, adhibitis etiam in conſilium amicis, certa aliqua in ſententia conſtiti, ſtatuique libros optimi omnium Latinorum poëtarum de agri cultura ſcriptos interpretari, abſolutum opus ſemper habitum, & doctiſſimorum virorum iudicio maximè probatum, ſed cum illis etiam, qui Graeco ſermone delectantur, & auctores eius nationis ſua lingua loquentes audire volunt, proſpicere debeam, elegi ex infinitis Graecis ſcriptoribus libros Ariſtotelis de arte dicendi, incredibilem quandam vtilitatem ex eorum lectione erui poſſe intelligens: nam ingens copia verborum in illis voluminibus continetur propter ingentem ſyluam rerum à doctiſſimo illo viro accuratiſſime explicatam, & elegantiſſimum dicendi genus, quo praecipuè ipſe vti debuit, dum praecepta de ornatu ſermonis traderet, & de verborum, & ſententiarum conformatione loqueretur: nam quanta facundia hic diuinus vir vti potuerit, quum ei commodum erat, & quum res, quam tractabat, poſcere videbatur, nobis obſcurum eſſe non poteſt: habemus enim de hac re teſtimonium eius, qui optimè de hoc iudicare potuit, & qui cunctos mortales, elegantia, & vbertate orationis ſuperauit, qui ſemper illum lacteum eloquentiae flumen appellare ſolitus eſt. Quin etiam ſermo poëtarum, qui a cotidiano vſu valde remotus erat: nam exiſtimati ſunt Graeci poëtae tamquam aliena lingua locuti eſſe, ex illis propter plurimos locos poëtarum adductos paenè totus percipi poteſt; non igitur in hoc quoque diſceſſimus ab eo, quod praecipuè curare debemus, ſed intra praeſidia noſtra ſtetimus, & iter id oſtendimus, eamque viam explanamus, quae facilè poſſit ſtudioſos huius ſermonis Athenas deducere, & in medio foro illius ciuitatis collocare: nam quod elegantiſſima, & vtiliſſima ars ex accurata horum librorum lectione percipi poteſt, adhuc non diſſeruimus, vt omnis alius fructus licet maximus, prae vtilitate hac obſcuretur, & tamquam appendix quaedam merito habendus ſit: eſt autem noſtrum officium maximè, aut ego valde fallor, tradere his optimis, & ſtudioſiſſimis adoleſcentibus artem dicendi, ſine qua omnis ſermo rudis, & agreſtis ſit, neceſſe eſt. Praeterquam quod neque ſcripta oratorum ab illis, qui huius artis ignorantes teneantur, intelligi poſſunt: addo etiam neque poëtarum: multi enim loci in ipſis, & hi quidem meliores ſumma eruditione ſcripti ſunt, & ex intimo artificio deprompti; quare nullo pacto reprehendendus ſum, quod hoc doctiſſimum, & elegantiſſimum opus ſapientiſſimi viri cunctis alijs praepoſuerim, & vos in eo hoc anno exercere velim. Vnum vereor, ne cupiditate vos adiuuandi prolapſus maius onus ſuſceperim, quam humeri mei ferre valeant: nam ingenijs veſtris non diffido; ſtudium autem cognitum, perſpectumque habeo; praeterea conſpirationem illam omnium veſtrum horum praecipuè librorum declarationem a me petendi, vel potius efflagitandi, poſtquam me ab illis non abhorrere ſenſiſtis, & ardorem ipſum animorum, quem prae vobis ferebatis quoque, videbamini hos libros aggreſſuri eſſe, non puto extinctum iri; vtinam autem quemadmodum illud propter ignauiam numquam abijciam, ita propter infirmitatem deponere minimè cogar: nam ipſe quanto minus ingenio valeo, tanto magis diligentiam amplexabor, & laboribus vigilijſque meis, quod in me acuminis, doctrinaeque deſiderari poteſt, reſarcire conabor. Quod ſi in tam vario, multiplicique opere non nulli loci occurrerent, qui propter obſcuritatem non ſatis aperiri poſſent, non debet ea res ab eius lectione nos deterrere: amitteremus enim vna fructum, & vtilitatem, quae ingens ex infinitis alijs apertè dilucideque expoſitis capi poteſt: ſtultum autem eſt conſilium illius, qui, quia non plenè cumulateque aliquo bono perfrui poteſt, illud relinquit, & mauult toto carere,

rere, quam magnam, bonamque partem ipſius amplè poſſidere. Quod ſi verè cogitare voluerimus, inueniemus alios quoque eſſe antiquos ſcriptores, quorum non pauci nodi a nemine adhuc diſſolui potuerunt, qui tamen in manibus omnium ſunt, & a pueris etiam ediſcuntur. Scire autem velim, quinam ſint huius ipſius doctoris libri, qui non obſcure ſcripti ſint, & caliginem quandam offuſam habeant. Cum tamen noſtris temporibus paenè ſolus legatur, & doctiſſimorum hominum conſtans opinio ſit, nihil ſciri, intelligique poſſe ab eo, qui non Ariſtotelem diu, multumque tractarit, & ſingulos eius libros ſtudioſe, accurateque euoluerit. Quod ſi eruditi, acutique viri in his quoque laborauerint, ſperare poſſumus, ac debemus omnem hinc caliginem luminibus ingeniorum ipſorum diſcuſſum iri, ſi vero ſemper iacerent, & in tenebris deliteſcerent, cotidie maior vis tenebrarum eos occuparet, ac ſitu tandem, & ſquallore conſumerentur. Quae autem occaſio fuerit Ariſtoteli de ratione dicendi praecepta dare, cum maiores res ſcribere ſolitus eſſet, ab antiquis auctoribus diligenter expoſitum eſt. Cum enim ornatam copioſamque orationem magnum praeſidium, ac decus adferre hominibus animaduerteret, non paſſus eſt in eam rem praeceptiones ſuas deſiderari, maximeque motus eſt Iſocratis rhetoris gloria, cuius domum multitudine, ac nobilitate diſcipulorum florere videbat, turpe ſibi ducens eius laudis expertem eſſe; cuius non modo particeps, ſed dux etiam princepſque fieri poſſet, & ita pomeridianis horis coepit artem oratoriam docere, & in ea auditores ſuos ſummo ſtudio, ac diligentia exercere. Quemadmodum autem res naturae abditas indagauerat, ſummaque diligentia perſcripſerat, nec non diſſerendi rationem ſubtiliter expoſuerat, ac vitam, moreſque hominum optimis praeceptis expoliuerat, & cunctis alijs, qui de his rebus ante ſe egerant, acumine, & elegantia ſermonis praeſtiterat, ita nullo labore dicendi magiſtros in ea ipſa arte, quam profitentur, explicanda ſuperauit, & multa in ſuis libris, quae iſti rhetorici, nec tradunt, neque etiam tenent, aperuit, atque explanauit: non pauca enim ſunt, quae praecipua oratorum ornamenta exiſtimantur, quae melius vberiuſque a philoſophis, quam a rhetoribus pertractantur, & magnis quibuſdam ſui artificij adiumentis dicendi peritus careret, niſi a ſapientiae ſtudioſis illa didiciſſet: ea autem & ſuis in locis Ariſtoteles copioſè tractauerat, & in his libris accuratiſſimè perſequitur: non enim eſt oratori ſolum laborandum, vt oratio probationibus, & argumentis ad fidem faciendam aptis abundet, ſed ſe ipſum, ita conformare debet, vt qualis optat, talis ijs, apud quos agit, videatur, & omnia ſibi praeſidia comparare, vt in eorum mentibus quoſcunque ei vtile eſt motus excitare poſſit: vix enim dici poteſt, quantum referat ad fidem faciendam, perſuaſum eſſe audientibus, qui dicit, virum probum eſſe, & bene erga ipſos animatum, quemadmodum etiam longe alia ſentire coguntur, atque antea faciebant, qui facultate oratoris, & ſcientia tractandorum animorum, aut ad iram incitati ſunt, aut ad lenitatem reuocati, idem de odio, & miſericordia, & reliquis animi perturbationibus dici poteſt, quas qui naturas hominum, & vim omnem animi non perſpexerit, cauſaſque, quibus in contrarios habitus commouetur, non didicerit, numquam excitabit, & ita vix, quod tanto ſtudio temptat, efficiet, ad exitumque perducet. Cum autem tria ſint genera dicendi omnibus nota, doctores eius diſciplinae ſubtiliter illud tractabant, quod in foro verſatur, & continet accuſationem, & defenſionem. Demonſtratiuum autem genus paenè contemnebant, minore etiam ſtudio illud, quod habet in ſe ſententiae dictionem, perſequebantur. Noſtris temporibus primum, in quo rhetores toto pectore incumbunt, mutatis moribus, & ratione viuendi, paenè inutile eſt, & nullum fructum adfert: lites enim & cauſae forenſes è manibus oratorum ereptae ſunt, & ad iuriſperitos translatae, qui nulla eloquentiae vi munus illud ſuſtinent, ſed ſcriptis quibuſdam, & auctoritatibus clarorum iuriſconſultorum ſententias ſuas confirmant, & ita de priuatis rebus in iudicijs, quid aequum ſit, ſtatuitur. Ariſtoteles vero, & elegantiorem, & grandiorem eſſe putat hanc partem, quae in ſenatu, & in concionibus verſatur, & illam accuratiſſime, & ſtudioſiſſime, perſequitur. Sed etiam tertiam, quam illi ferè relinquunt, ſumma diligentia pertractat, & nos docet, quomodo improbos, conſceleratoſque acriter vituperare, & bonos, claroſque viros iuſtis laudibus ornare poſſimus. Sunt igitur hi libri mirum in modum vtiles, & hic diuinus vir, eadem ingenij felicitate, qua cuncta alia, quae vmquam ſcribere aggreſſus eſt, confecit, hos ipſos abſoluit. Ob hoc vnum enim a natura factum omnis aetas eum exiſtimauit, vt doceret, & animos hominum optimis artibus erudiret. Debemus igitur omnia facere, vt elegantiſſimam diſciplinam a politiſſimo, & doctiſſimo viro accipiamus. Ego certè quicquid in hac re poſſum, id totum excitabo, & poſtquam huius ſtudij vobis auctor fui, omnia faciam, vt ex ipſo eximios fructus feratis. Spero autem, vos facilè intellecturos, me potius vtilitatis veſtrae in hac re, quemadmodum debeo, quam vllius commodi mei rationem habuiſſe. Sed de alia parte noſtrorum laborum aliquantulum differamus:

differamus: neque enim neceſſarium eſſe puto, eloquentiam ipſam laudare, & ad haec praeclara ſtudia vos hortari: nam multi doctiſſimi, & eloquentiſſimi viri hoc abunde fecerunt, & vos omnes deſiderio tam vtilis, atque honeſtae diſciplinae flagrare animaduerto. Multi docti, ac diligentes viri de ſtudio agri colendi apud Graecos ſcripſerunt, non nulli etiam Romani, grauiſſimi homines res ruſticas perſecuti ſunt, quorum maior pars ſoluta oratione vſi, & tamen vtraque in gente aliqui verſibus opus ſuum confecerunt; quemadmodum apud Graecos, Heſiodus, Menecrates Epheſius, nec non etiam Nicander Colophonius, qui omnes egregij poëtae fuerunt: Latino autem ſermone Virgilius de agri cultione elegantiſſimum carmen condidit. Hi omnes ſe operaepretium facturos arbitrati ſunt, ſi agrorum culturam docuiſſent, & vtiliſſimum ſtudium, generique hominum neceſſarium verſibus expoliuiſſent: id enim, in quo poëtae praecipuè laborare conſueuerunt, ſi ita feciſſent, ſe facillimè conſecuturos ſperarunt, vt ſcilicet ſimul, & prodeſſent, & delectarent. In quo videndum eſt, quomodo reprehenſionem doctiſſimorum virorum ſubterfugere poſſint, qui officium poëtae eſſe cenſuerunt, fabulas ſcribere, & rebus aliquibus veris mendacium falſitatemque temperare, quique huiuſcemodi aliquid argumentum caperent, vt ſcilicet aut res geſtas, quemadmodum geſtae eſſent, exponerent, aut rationem naturae explicarent, aut aliqua praecepta ſerio traderent, eos poëtae nomine dignos eſſe non exiſtimarunt, nec aliter appellandos, quam quemadmodum appellarentur, ſi eaſdem illas res proſa oratione, non poëticis numeris perſcripſiſſent; iidem tamen, qui hos tam vehementer premunt, eoſdem ſubleuant, ac defendunt. nam duas eſſe docent huius nominis rationes: affirmant enim qui imitantur propriè, ac verè, cunctos tamen, qui verſibus, ac menſuris opus ſuum claudunt, alio huius verbi ſignificatu rectè dici poſſe poëtas; vtcunque res ſe habet, habet Virgilius optimos auctores Graecos homines, qui, & ipſi de rebus ruſticis poëmata confecerunt, quorum exemplo, aut peccari non poteſt, aut aequo animo omnem culpam ſuſtinendum eſt. Cum autem vnus Virgilius tres in diuerſis generibus maximè laudatos poëtas laceſſierit, & in iiſdem ſtadijs vires ſuas cum illis experiri voluerit, multumque, vt eos in curſu vinceret, laborarit, a duobus relictus eſt, Heſiodum tantum conſequi potuit, vel potius longo ipſe interuallo praetergreſſus eſt, cuius tamen magnum nomen, & ingens doctrinae, ac ſapientiae gloria. Diligentius tamen hic noſter ſingulas agri culturae partes perſecutus eſt, & de quo agere inſtituit, magis perfectè, & abſolutè pertractauit: maiorem enim ille ſui poëmatis partem, in fratre corrigendo, & ab inertia, luxuriaque reuocando conſumit. Et non nulla praecepta obſcurè profert, quae magis communem vitam, moreſque hominum, ſi intellecta ſint, excolunt, quam ruſticum hominem, & terram colentem adiuuent, & quid ab eo omnibus anni temporibus in opere ſuo fieri debeat, admoneant; cum contra Virgilius agricolam ſolum inſtituat, aut ſi quaedam ad officium coloni non pertinent, pecuarium, ac paſtorem: nam nihil eorum, quae ornatum, copioſumque agricolam decent, omiſit. Eſt quidem ſtudium colendorum agrorum vniuerſo hominum generi, non ſolum vtile, verum etiam ſalutare, & cum plurimae artes, ac diſciplinae vitam noſtram ornent, haec vna conſeruat, & quaſi in vita vitam ipſam retinet: nam vt terra diligentia, & labore agricolae mollita, & ſubacta ingentem fructum fert, ita neglecta, & inculta ſterileſcit: vnde autem, quae ad victum neceſſaria ſunt, comparemus, ſi hanc rationem neglexerimus, nihil eſt: nec enim ſperandum Deum immortalem nobis ignauis, ac torpeſcentibus hanc rem confecturum, & copiam omnium rerum otioſis largiturum; ſed in noſtra induſtria tota poſita eſt, quam Deus etiam pro ſua benignitate adiuuabit. Rei ſanè quaerendae, & patrimonij augendi plures viae ſunt, ſed victus parandi, famemque pellendi haec vna; quamuis ſui quoque ſtudioſos nullius rei inopes eſſe patiatur; ſed ſaepè ad ſummas opes euehat, vt ſi aliae celerius immenſas diuitias adferant, haec firmius in eo ſtatu, quo collocauit, retineat: nam ſubitae ruinae, ac calamitates ſtrenuorum etiam mercatorum, quemuis meritò perterrere poſſunt, & ab ea ratione exercenda reuocare, cum contra neminem videamus (niſi ſi nepos aliquis ſit, ac perdendae rei familiari natus) qui in agris fundatas opes habuerit, eſurire, excipio illos, qui impetu belli, aut aliquo communi caſu fortunas omnes amiſerunt, & tamen iis quoque temporibus, ita conſtitutum patrimonium multo facilius retinetur. Quam iuſte autem, & honeſte res agris colendis quaeratur, non oportet longius diſſerere: neminem enim fallit hanc vnam viam maximè probos, & fortes viros decere; ſed nolo de hac re orationem meam iniucundam eſſe, quamuis verà ſit illis non ſolum hominibus, verum etiam ciuitatibus, qui propter agri tenuitatem, aut anguſtos fines alia ratione coguntur rei operam dare, & in primis mercaturae ſtudioſi ſunt: nam illud etiam genus quaeſtus, & conceſſum, & laudatum eſt, dummodo piè, remotaque omni fraude, tractetur. Quanta praeterea voluptas, & oblectatio ex rebus ruſticis capiatur, non facile

exponi

expuni poteſt: omnis enim agri culturae pars, & incunda, & elegans eſt; non loquor nunc de voluptate, quam fructus vberes adportanr, quod ex illis copioſe, & abundanter viuimus, & in magna omnium rerum ſaturitate. Sed de animi voluptate, quam mirificam capit is, qui vim, ac naturam terrae conſiderat, quae tot, ac tam varias res ex ſe gignit, partim ſua ſponte, partim ſtudio, & diligentia agricolae adiuta: Herbarum enim, ac ſtirpium ſatus, ortus, incrementa quantam, & quam ſubtilem animaduerſionem in ſe habent? quantam poſtea flurum eruptio, ſpicarum, pomorumque conformatio, ac maturitas? quam oblectat agricolam, videre arborem a ſe ſatam, laetam, ac proceram, ant ex ſilueſtri, ſterilique, mitem, ac fructuoſam ſua ſolertia factam? Quantopere paſcit animum, ſpectare ordines ipſos ſummo artificio dimenſus, ac directos, ſiue ſint eiuſdem generis ſtirpes, ſiue diuerſorum? nihil tamen tam admirandum, quam vitium natura: Quid enim ſpecioſius ipſius forma? Quid fructu ſuauius? nam & ſatis celeriter creſcit, & longo tempore perdurat, & niſi reprimatur, in incredibilem longitudinem ſarmenta, ac palmites ſuos extendit. Sed longiores in hac re fuimus, quam oportebat: neque enim ruſticam vitam laudare nobis propoſuimus, nec nunc tanta res commode tranſigi poteſt, & hoc ipſum elegantiſſime, & copioſiſſime noſter poëta faciet. Quare ad illud tempus nos reſeruabimus, & eo in loco totam hanc rem diligentius pertractabimus: non vnus autem Virgilius agricolae vitam celebrauit, ac beatam eſſe dixit, ſed cuncti veteres poëtae, vno ore ſummis laudibus eam in caelum extulerunt, nec ſolum poëtae, verum etiam proſae orationis auctores: in primis autem vir clariſſimus, ac ſapientiſſimus M. Cato, qui & agri colendi ſtudioſus fuit, & quomodu coli deberet, tantus, ac tam grauis vir accurate libro de ea re edito docuit, nec ſolum ipſe ſuis ſcriptis, ſed etiam M. Cicero huius perſona vſus in libello, qui Cato maior inſcriptus eſt, laudes agri culturae explicauit. Debent igitur magnae auctoritatis apud nos eſſe tam clari, ac docti viri; & mirificum in nobis ſtudium rerum ruſticarum excitare. Quis antem negabit, maximum fuiſſe illorum beneficium, qui tam praeclaram diſciplinam nobis tradiderunt, & libros de re tantopere vitae noſtrae neceſſaria confecerunt? nos vero illos ſtudioſe legamus: eſt enim haec ars, vt aliae multae, & honeſtae, & vtiles, ſatis his temporibus neglecta, & paenè amiſſa, & ex aſſidua, accurataque antiquorum ſcriptorum lectione eruenda, & in lucem reuocanda: parum enim expediret terram verſare, niſi peritiam illius exercendae, poſſideres, & cum in omni re valde interſit, ipſam didiciſſe, in hac plurimum intereſt: ratio autem hoc faciendi optima eſt, ſi, vt antea diximus, libros antiquorum euoluerimus, & ipſorum praecepta diligenter obſeruauerimus, ad quae interpretanda, ſi vtilitatem aliquam ingenium noſtrum adferre poteſt, nullo pacto vos illa carere patiemur.

PETRI VICTORII

ORATIO HABITA

FLORENTIAE.

SI magnam illam ingenij vim, & admirabilem facultatem dicendi haberem, qua non nulli, qui hanc ſedem ſumma cum dignitate tenuerunt, praediti fuere, maius orationis meae argumentum caperem, & rem magis dignam auribus veſtris, ac tanta doctorum virorum frequentia pertractarem: neque enim deſunt in hac parte ſtudiorum, quam nos profitemur, multae res, quae praecipue laudari poſſent, & magnifice explicatae incredibilem vtilitatem, oblectationemque ijs, qui audiunt, adferrent; aut in hac vrbe, in qua humaniores litteras exercemus, plurimae artes, quae mirifice ornari poſſent, & copioſe eleganterque expoſitae, & voluptati vobis, & dignitati ciuitati forent. Sed quum me ipſum ſuſpicio, & ingenij mei tenuitatem conſidero, mediocremque, aut nullum potius vſum dicendi me habere intelligo, valde ab hac ratione deterreor, cogorque, his grandioribus rebus relictis, parem facultati meae materiem quaerere: cum enim non poſſim apud vos (ſi bene me noui) magni oratoris

toris laudem conſequi, non parom me adeptum eſſe putabo, ſi modeſti hominis, & vires ſuas intelligentis nomen inuenero; alij diſerti, & eloquentes viri (quod facilè facere poſſunt) longè a materia ſibi propoſita euagabuntur, ego ab eo ipſo, de quo agam oullo pacto diſcedam; illi rebus ornatum, ac dignitatem adhibebunt, ipſe a rebus verba, & orationem, qua apud vos vtar, mutuabor; illi puſillas res, magnas vi orationis, ac facultate dicendi efficere poſſunt, contraque cum ipſis commodum eſt, grandes cooterunt, longeque minores ingenio ſuo videri faciunt, ipſe nihil huiuſcemodi temptabo: oeque enim perficere poſſem, potius omnibus ingenij viribus, quomodo haec praeclara ſanè, ac diuina effici poſſint, aperiam, atque docebo; ac ne id quidem ingenio, atque prudentia mea artem fingens, & praecepta aliqua noua ad hanc rem idonea excogitans, ſed aliorum ſcripta, quae haec omnia complexa ſunt, ioterpretans: neque eoim nooum eſt, neque mirum videri debet, quempiam artem ipſam dicendi praeclare teoere, nec tamen ſummam illam eloquentiam poſſidere: nam fuerunt etiam priſcis temporibus, quibus ſtudia eloqueotiae magis florebaot, docti, & eruditi viri, qui, quod ipſi praeſtare non poterant, alios optimè docerent: res enim haec, & looga indiget exercitatione, & quibuſdam alijs bonis, quae potius a natura ipſa habemus, quam ſtudio, ac diligeotia ooſtra comparamus. Cum igitur his difficultatibus premar, neqoe commodè poſſim, quae mihi fortaſſe in meotem venirent, explicare, illis praeteritis, pauca quaedam de his ipſis rebus, de qoibus hoc anno agere inſtitui, dicam, in primiſque omne conſilium meum aperiam, & quid in hac re ſecutus ſim, vobis diligenter exponam. Huiuſcemodi res, & artes ſuperiore anoo declaraodas ſuſcepimus, quas magnitudine librorum, quibus conſcriptae ſunt, & obſcuritate materiae abſoluere, ac perficere ooo potuimus; oon parua igitur deliberatio ſtatim, annuo munere confecto, exorta eſt, quid me maximè facere oporteret; res ne illas inchoatas, imperfectaſque relinquere, & nouam aliquam materiem quaerere, an, quod ſemel incoeptum eſſet, & iofinitam in ſe vtilitatem habere intelligeretur, oon dimittere, ſed ſummo ſtudio ad exitom perducere, qua in deliberatiooe, quemadmodum debebam, qoid maximè vos vniuerſi velletis, id mihi probandum, ſequendomqoe eſſe putaui, ſtudioſeque quid veſtri animi eſſet, elicere conatus ſum, & pro hoc loco dixi, me in poteſtate veſtra futurum; Sed cum hoc facile cognoſcere non poſſem, ſtatui mihi ſingillatim ſeoſus, ac deſideria veſtra perſcrutanda eſſe, quo etiam in negotio propter diuerſa ſtudia, & multorum etiam pudorem, qui, quod maximè velleot, libere proferre non auderent, impedimenta multa inueoi. Cum igitur rationem, viamqoe excogitare non poſſem, qoa, quod maximè cupiebam, adipiſcerer, perſpexi, hoc etiam onus me ſubire cogi, quod multis de cauſis declioare volebam, ac toto animo mecum, quid veſtrae vtilitatis eſſet, cogitare coepi, poſtquam, quo animi veſtri inclioareot, iotelligere nullo pacto potui, quamuis maiorem partem veſtrum compertum habeo vtilitatem, ac fructus, noo voluptates, ac ſuauitates ex ſtudijs litterarum quaerere. Quod cum mihi propoſuiſſem, noo magnopere fuit laborandum: quis enim non fateatur, nullos libros ijs, quos in manibus habebamus, ſi vtilitas ſpectetur, praeponendos eſſe? Nam de altero ſtudio, ac labore noſtro, quo dicendi artem a grauiſſimo, & doctiſſimo viro traditam explicamus, dobitandum noo fuit: nullus enim fructus ex diſciplina illa inchoata percipi poterat; incredibilis aotem ex abſoluta, atque perfecta. Quod etiam de altera parte noſtri muneris facile intelligitur: quae eoim vtilitas ex lectione poëtarum deſiderari poteſt, quae noo ex his elegantiſſimis, abſolutiſſimiſque Georgicorum libris capiatur? Qua etiam io cogitatione aoimaduertebam illud, qood in primis a multis quaeritur, ac facit, vt io ijſdem auctoribus non libeoter verſentur, ſpreta etiam ſaepe vtilitate, a nobis in his libris manentibus facilè obtineri, varietatem ſcilicet rerum, quae magnam vim habet ad animos ooſtros oblectandos, & a faſtidio illo, quod eaedem ſemper res gignunt, recreandos: ita enim hi quattoor optimi poëtae libri eodem nomine appellantur, vt diuerſas, & magnopere inter ſe diſcrepantes res tracteot: quid enim tam diſſimile dici, aut fingi poteſt, quam ſtudium gregum, & armentorum, cultui terrae, ac glebarum ſubactioni? Quid praeterea tantopere ab alio diſcrepat, quaotopere diſtant apes a ſtirpibus, & illarum cuſtodia, ac tutela ab arborum cultura, ac diſciplioa? Praeteriti igitur anoi ſtudia, ac priores illi duo rerum ruſticarum libri, nihil faſtidij creare potueruot, languidis etiam, ac delicatis auditorum animis: res eoim ipſae ſua varietate incommodum hoc longè propellebant. Praeterea callidi, & elegantis ingenij poëta acria huic malo, ne paulatim irreperet, ac crebra remedia ioueoit, & infinita quadam arte, qua in primis valebat, viam, aditumque illi obſtruxit. Quod, ſiquis tameo delicatiore ſtomacho, quam oportet, langueſceret (laborat enim valde hoc malo humaoum genus, ac vitio naturae noſtrae fit, vt eaedem res parum oos delectent, ac ſummo ſtudio ſemper varietatem quaeramus) hic diuerſa, & ſua etiam vi elegantiſſima, & ſuauiſſima materia facilè reficie-

tur:

tur: quid enim elegantius eſſe poteſt, quid maiore iucunditate oblectare animos auditorum valet, quam accuratus ſermo de natura nobilium animantium, & explicata omnis illa diſciplina? nam, vt de alio pecore ſileamus, quis ingenuè, ac liberaliter educatus, quae ad equos pertinent non ſtudioſe, ac ſumma cum voluptate quaerere debet, quomodo illi parandi, quomodo paſcendi, quibus artibus, ac moribus erudiendi, quae ratio ſit illos curandi, cum reges etiam, ac ſummo loco nati, omnes huic ſcientiae operam dent, & mirificè in hoc ſtudio delectentur, quod & militiae, & domi vtile eſt, & (ſi verum fateri volumus) ſine quo commode humana vita traduci non poteſt. Eadem dici poſſent de aliis animantibus, quae ab hominibus aluntur: nam quemadmodum ingentes quaeſtus ex illis, & immenſae voluptates capiuntur, ita etiam incredibiles ſuauitates ex ratione, & diſciplina illarum tuendarum eleganter explicata ſumuntur; quae ſanè a poëta noſtro, qui huius rei in primis peritus fuit, ſumma diligentia traditur: quaecunque enim a veteribus, ac nobiliſſimis ſcriptoribus pertractata erant, colligit (nam grauiſſimi ac ſapientiſſimi homines de hoc ſtudio accuratè egerunt, deque illo doctiſſimos commentarios Graeco, ac Latino ſermone reliquerunt) cuncta praeterea, quae ipſe longo vſu, & aſſidua cogitatione animaduertit, exponit. Quod ſi tertius liber, qui haec complexus eſt, elegantia ſua, ac varietate retinere poteſt animos audientium, quid de quarto, ac poſtremo dicendum eſt? qui de admirabili apum natura ornatiſſimè ſcriptus eſt: quemadmodum enim his plurimum artis, atque ingenij natura tribuit, ita Virgilius illi libro, qui alueorum curam continet, plurimum ſtudij, atque induſtriae impertiuit, & vt natura imbecillitatem corporis in apibus plurimis animi dotibus compenſauit, ita poëta argumenti humilitatem in ſuo carmine plurimis ornamentis illuſtrauit. Quod tamen cum cauſa facere potuit: ſpectantur enim in tam parua volucre veſtigia, atque indicia maximarum virtutum, & non nulli traduntur a doctiſſimis viris tanto amore illarum, ac deſiderio correpti fuiſſe, vt maiorem partem vitae in ſyluis manſerint, & omnes ſuas cogitationes in natura illarum ſpectanda conſumpſerint: non ſunt enim illae ſolitariae natura, ſed homines imitantur, qui coetu, concilijſque gaudent, quod quamuis in aliis quoque expertibus rationis animantibus reperiatur, ſolae tamen, aut cum paucis ſocietatem ſeruant, & diſpertita munia inter ſe habent, communique fideliter vtilitati ſeruiunt. Cumque omnem multitudinem legibus quibuſdam, atque ordinibus regi neceſſe ſit, illud maximè reip. genus ſecutae ſunt, quod a ſapientiſſimis in primis laudatur, & cunctis alijs praeponitur: regem enim habent, qui iuſtè imperat, & quaecunque gerenda ſunt, ipſis patrio animo oſtendit: nam quod eadem paenè illarum in pace, quae hominum officia ſunt (opus enim, & ipſae faciunt, aedificant, ac cibaria condunt) minus mirum videri debet, cum eadem etiam in tumultu, ac bello, quae homines gerere conſueuerint, vel potius ſemper tamquam in exercitu viuant: nihil enim vmquam diligentiae, ac cuſtodiae in ſe, rebuſque ſuis tuendis remittunt, vt quaedam etiam ab illis homines, qui ingenio, & acumine ſuo reliquas omnes animantes facile ſuperant, didiciſſe videantur: tanta denique arte abundant, vt de illis veteres iniuriae ſtatuiſſe iudicentur, qui eas inter expertes rationis coniecerint: Sed haec, & multo plura de incredibili illarum ingenio, & eximijs virtutibus poëta noſter canet, quae nunc nos omnia praeripere ſuperuacaneum eſſet. Praeſertim cum pauca haec, quae a nobis tacta de illis ſunt, ſperem, quod in primis ſtudebamus perfeciſſe, explanaſſe inquam, mirificam quandam voluptatem ex accurata horum librorum lectione percipi poſſe, &, ne dum faſtidium, aut ſatietatem hae res gignant, potius huiuſcemodi eſſe, vt hoc incommodum remoueant, & malè affectum animum recreent. Quare, his relictis, de altera parte noſtri muneris breuiter agamus, quam imperfectam relinquere, numquam cogitauimus. Animaduertere potuiſtis optimi adoleſcentes, ac ſtudioſi Graeci ſermonis, me, qui multa vobis praedicabam de admirabili vtilitate horum librorum, mentitum non eſſe, vel potius multo minora pauciorаque, quam de illis verè dici poterant, dixiſſe, ſed alios nunc fructus, qui ex ijs capi poſſunt, omittamus, cogitemuſque, quanto artificio, quanta ſerie hic omnia pertractata ſint, quam nihil reliquerit Ariſtoteles ad inſtituendum bonum oratorem aptum, quod ab alijs ante ſe excogitatum eſſet, & quam multa ipſe praeclarus auctor diuino ſuo ingenio inuenerit, quae nemini antea in mentem venerant. Nam, quae adhuc expoſuit, ab omnibus, qui aetatem eum anteceſſerant, praeterita erant, nec potuerunt poſtea ab alijs, aut magis illuſtrari, aut melius explicari: totas enim illi curas, cogitationeſque ſuas in rebus non nullis, quae non tantam vim habent ad perſuadendum, conſumebant, & eam, quam habent, vitio iudicum, auditorumque habent, & ingenij ipſorum imbecillitate, non ſuis vllis viribus; quae tamen (quamuis recta, & honeſta non eſſe ſentiat, vt hoc opus abſoluat, & nihil praetermittat eorum, quae hanc artem adiuuant) Ariſtoteles quoque accuratè, ſtudioſeque perſequitur: nam tertius liber hanc partem continet, qui totus nobis reſtat,

ſtat, & in eo cuncta inueniemus, quae rhetores, vt priora, potioraque pertractant. cum enim antea acutè ſubtiliterque docuiſſet, vnde probationes ſumuntur, & quomodo aduerſariorum argumenta diſſoluuntur ibi demum, quae orationem ipſam illuſtrant, exponit: intelligit enim, ſatis non eſſe habere, quae dicas, ſed oportere etiam, haec ipſa rectè, ornateque exprimere, & non nullam in hoc quoq; vim eſſe putat ad efficiendum, vt oratio, qualem maxime optamus, videatur: non parum enim intereſt ad id, quod vis, probandum, his, aut illis verbis vtare, & hoc, aut illo modo dicas; nec tamen tantum intereſt, vt totum in hoc poſitum ſit, quemadmodum non nulli falſo ſentiebant. Exponuntur igitur tertio libro omnia illa, quae orationem expoliunt, tranſlationes, imagines, lumina ſententiarum, & orationis circuitus, ambituſq; verborum, quas Periodos Graeci vocant, quo artificio confici debeant, quot genera illarum ſint, quot partes, membra, inciſa, & cuncta alia, quae magnum orationi ornatum afferunt, & ita capiunt animum auditoris, vt leporibus illis, elegantiiſque delectatus, ſaepe in aliam ſententiam traducatur, deque iiſdem rebus longè aliter ſtatuat, ac feciſſet antea, quam his quaſi blandicijs captus eſſet. Praeterea, quot ſint partes orationis, exordia, narrationes, confirmationes, perorationes, eodem hoc in libro accuratiſſime tradit, & de virtutibus earum ſumma diligentia pertractat; vtiturque ad haec declaranda elegantiſſimis exemplis maximorum oratorum: nam multa etiam loca poëtarum, nec non ingenioſorum, illuſtriumque virorum voces, quibus pulcherrimae imagines continentur, adducit; quantum etiam orationi decorem verba tranſlata afferant, metaphoris celebratiſſimis docet, quae ſanè omnes res a Latinis, & Graecis quoq; rhetoribus traditae ſunt. Quis enim vmquam ſibi dicendi artem tradere propoſuit, qui non ſummo ſtudio haec omnia perſequeretur? nec tamen, quòd haec ab Ariſtotele potius diſcamus nos poenitebit: cum enim ille maxima quaeque ſuo ingenio, & arte explicare facilè poſſet, has etiam minores res non incallidè tractauit, & quod alij vſu, exercitationeque in hoc ſtudio effecerunt, ille admirabili mentis acie cognouit. Bene igitur nobiſcum actum eſt, quod doctiſſimus, & acutiſſimus vir de his rebus agere voluit: nos autem poſtquam tanto ipſius beneficio affecti ſumus, illud noſtra inertia turpiter perire non patiamur. Libri ſanè ipſi ſuperioribus temporibus, quibus bonae artes paenè amiſſae, & deletae erant, non valde frequentati ſunt: reiiciebantur enim ab ipſis litterarum ſtudioſi obſcuritate, nec tamen diu latuit vtilitas eorum: nam eruditi homines, magnique philoſophi, quamuis multis difficultatibus premerentur, eos degustarunt, &, quia praeclaram laudem ex eorum explicatione ſe conſecuturos arbitrabantur, & non parum ſuo ſtudio reliquos eorum cupidos ſe adiuuare poſſe ſperabant, conati ſunt, ſententias ipſorum interpretari; quod ſi Graeci ſermonis periti fuiſſent, & in ſcriptis oratorum, poëtarumq; veterum volutati, inutilis conatus ipſorum non fuiſſet; verum illi, his rebus deſtituti, non multum progredi in hoc ſtudio potuerunt. Noſtris vero temporibus, proximiſque annis magnum deſiderium illorum mentes eruditorum omnium occupauit; nec dici poteſt, quanto animi ardore plures, pluribus in locis, eos aggreſſi ſint. Quare nos quoque, ſiquid a nobis proficiſci potuit ad horum declarationem, eo reliquos fraudare noluimus, ac magnopere cupidi vtilitatum veſtrarum, ſummo ſtudio illos interpretari coepimus, & non paruam ipſorum partem explicauimus; conabimurque, quod pauci adhuc, aut nulli diuerſis de cauſis praeſtare potuerunt, hoc ſtudium ad exitum perducere, nec ante illos è manibus dimittemus, quam totum opus abſoluamus: aut enim attingendi non fuere, aut ſuprema illis manus impenenda fuit: omnis enim laborante in illis ſuſceptus, inanis, irritusque fuiſſet. Nos igitur nihil omittemus, quod vobis vtile eſſe poſſit, (quae autem in hoc negotio deſiderari poterunt, huiuſcemodi erunt, vt ſtudio, aut labore vllo ſuperari non queant) petimus tamen a vobis, vt quemadmodum nos, omnes ingenij vires in hanc rem intendemus, & nullo labori noſtro parcemus, ita vos quoque, ſtudio, diligentia, aſſiduitate veſtra faciatis, vt iudicium meum probari, commendarique poſſit, qui vtiliſſimos, elegantiſſimoſque libros, licet aliquantulum obſcuros, vobis interpretandos ſuſceperim: aliter enim mihi ipſi dedecori eſſetis, & auctorem ipſum infamaretis, quod ſiquos nulla in re aliqua difficultas deterrere debet, vos ij eſtis, qui ingenio, & eruditione veſtra omnes omnium rerum difficultates (ſi modo vultis) facilè vincere, ac ſuperare poſſitis.

PETRI VICTORII

ORATIO HABITA

FLORENTIAE.

QVs mihi labores, ac curas plurimas dies adfert, ſtudioſi adoleſcentes: vobiſcum enim ſermonem inſtituam, conceſſu horum omnium clarorum doctorumq; virorum, qui praeſentes adſunt; in primiſq; praefecti huius gymnaſij, optimi atque eruditiſſimi viri. Qui moleſtias inquam, mihi multas importat, ſummo deſiderio a me, quod alicui mirum fortaſſe videatur, ſemper dies expectatur: video enim hic vos omnes, quos ſingulos valde diligo, a quibuſque me multum diligi intelligo, vt vocem meam audiatis, conueniſſe: illa autem, ſi veſtrae expectationi par non eſt, nec ad ingenia veſtra excolenda, quae grauiorem iam eruditionem requirunt, habilis, non omnino tamen a vobis vmquam eiecta, expluſaque eſt; & a me, vt huic muneri idonea ſit, ſummo ſtudio conformata: alios autem alijs in rebus, ac maioribus negotijs verſari aequo animo patior; ipſe ſtudio hoc meo delector, & commodis vtilitatibuſq; veſtris mirum in modum inſeruire cupio, quod ſi deſiderio meo ingenium, doctrinaq; reſponderet, efficerem profecto, ne vllis praeceptis, quae ad omnem humanitatem, ingenuaſque artes perdiſcendas pertinent, egeretis: vt enim eruditiorem facile reperire poſſetis, ita vobis amiciorem, ſtudioſioremque laudum veſtrarum, vix vmquam inueniretis. Cur igitur hic me labor deterreat, qui & honeſtus eſt, & magna cō voluptate coniunctus, quam ex tractatione harum litterarum, & ex ſpe veſtrae laudis capio: ne dum enim nunc cotidiana hac opera mea defatiger, temporibus etiam, quae vacua ab hoc munere mihi data ſunt, nihil aliud, niſi de vtilitatibus veſtris cogito: nam & diu mecum, ex quibus potiſſimum auctoribus vberrimos fructus ferre poſſitis, quaero, & quae ex hac ſede poſtea cotidie in vos effundere poſſim, vndique non ſine magno labore colligo. Sed & de meo in vos amore, & contemptu maximarū moleſtiarum, vt ad vos erudiendos paratior ſim, dubitare neminem credo: quare his relictis, quibus in ſtudijs ingenia veſtra hoc anno exercere velim, quoſque auctores interpretandos ſuſceperim, vobis indicabo, ac de fructu, vtilitateq;, quae ex illis percipi poſſit, breuiter diſputabo. Duplex, vt noſtis, onus ſuſtineo, & Latini, & Graeci ſermonis interpretandi, quod quamuis alios humeros flagitaret, tamen meis impoſitum, quoad illi ferre poterunt, non abijcietur: volui igitur, vt cura illa gemina eſt, ita etiam artem, ac diſciplinam, quam interpreter, geminam eſſe; exiſtimans, varietatem hanc, & maiori vtilitati vobis, & ſolidiori voluptati fore, quam ſi in eodem ſtudio vtroq; ſermone verſaremini: nec tamen tantopere inter ſe illae diuerſae ſunt, vt nō praecepta multa ex alterutra ad alteram conformandam transferri poſſint; vtraeque certe magno ſemper in honore fuere, licet pauci, aut nulli omnibus temporibus ſummam laudem in ambabus adepti ſint, & excellentes in vtraq; re ſint habiti: intelligo autem ſtudium poëtarum, ac facultatem oratorum. Cum autem officiū meum ſatis amplam regionem habeat, & valde latos fines poſſideat, praecipue in his duabus artibus, tamquam in ſolo, ac domicilio ſuo habitare conſueuit: rant enim poëtas interpretati, aut rationem dicendi explanare ſolent, qui in hoc munere occupantur; ego vtrumq; hoc tempore ſuſcepi, & ea diligentia, quae in me maxima erit, explicabo: nemo autem, qui litteris deditus ſit, ac ſtudijs optimarum artium incumbat, non altero horum tenetur: vt enim ingenia hominum diuerſa ſunt, ita, cum varietatem multam inter ſe haec ſtudia habeāt, nemo non in altero horum conquieſcet: eſt enim alterum otij, ac quietis, alterum negotiorum, ac fori; altero animi relaxantur, & a maximis laboribus reficiuntur; altero, dum ſalutem innocentium, ac publica commoda tuentur, neceſſario defatigantur; quae tamen defatigatio alijs vtilis eſt, ipſis honeſta, ac magnis honoribus; praemijſque compenſata; alterum a natura praebetur, & quaſi Dei munere obtinetur; alterum diligētia, praeceptis, exercitatione paratur. Poëtae ſtudium omni periculo vacuum eſt, nec vlli vmquam tam feri, & agreſtes fuere, vt ipſos violarent. Oratoris ſaepe miſeri, infeliceſque exitus extiterunt, qui tamen laudis, ac gloriae cupidi ſunt, aut ſe natos eſſe rebus agendis, hominibuſq; iuuandis intelligunt, cuncta haec incommoda, periculaque contemnunt, ac meliores ſibi exitus plerumque proponunt. Sed, vt ea nunc, quae vtriuſque ſtudij propria ſunt, omittamus, quae plura ſunt,

& breui exponi non poſſent, cum & poëtarum genera multa ſint, & oratoris quoque offi-
cia non pauca, neque parum inter ſe diſtantia; eorumque non nulla moribus, ac conſuetu-
dini noſtrae repugnent: quaedam autem adhuc vigeant, nec vnquã, dum genus hominum
extabit, interitura ſint, partibus illis relictis, quae vſum nunc nullum habent, in his, quae
ſemper florebunt, manebimus: nam id etiam in poëta eligendo ſecuti ſumus: cum enim
idem, quod in oratoribus vſu venit, in illis non contingat: neque enim a genere poëtarum
vllo voluntate, atque animo abhorremus: alij tamen aptiores nobis quam alij ſunt, & hoc
magis, quam illo genere delectamur: quintus enim quiſque eſt temporibus his, qui aut he-
roicum carmen pangat, paremq; ſe tantis rebus canendis eſſe ſentiat, aut etiam tragoediam
aggrediatur, quae & ipſa magnum ſpiritum requirit, ac ſi egregie etiam ſcribatur, agi tamen
in ſcenamque adferri non poſſit; quibuſdam, quae in ea ſpectanda neceſſaria ſunt, vetuſtate
deletis, ac vitae inſtitutorumque noſtrorum diuerſitate, amiſſis: niſi autem in theatrum il-
la venit, fine ſuo caret, & ſatis, cui rei inuenta eſt, non facit; cum contra quaedam genera car
minum nunc quoque, non Latino ſolum ſermone, ſed patrio hoc noſtro valde celebrantur.
Haec cauſa fecit, vt Horatium Flaccum potiſſimum ſumeremus, & eius partẽ illam poëma-
tis, quae ad lyram canitur: quaque laudes clarorum virorum, ac Deorum ſuorum, nec non
amores, ac delicias ſuas celebrauit: nam ingenium poëtae, ſubtilitatem, elegantiamque ver-
borum animaduertere potuiſtis ex epiſtolis ipſius non paucis a me ſuperiore anno decla-
ratis: illae enim & optimorum praeceptorum plenae fuerunt, & politiſſimo ſermone exara-
tae; quod ſi ſermo ipſius ille a ſoluta oratione non valde abhorrebat, quo in carminibus v-
titur, idẽ a ſe bonum deſiderari non patietur, & tamen magis poëticis condimentis reſper-
ſus erit. Vitae autem ille excolendae, & a vitijs labibuſque purgandae tantopere deditus e-
rat, vt plura etiam in his libris legantur, quae ſtudioſe contra turpes improboſque mores
ſcripta ſint: quãtis vero laudibus fortitudinem, temperantiam, pietatem Deorum in caelum
ferat, non facile dici poteſt; quum autem inſtituta veterum Romanorum, tenuitatem victus,
abſtinentiam, & ceteras praeclaras animi virtutes commendat, aut mores illorum tempori
libere accuſat; acriterq; in libidinem, luxuriam, auaritiam, quae tunc maxime vigebant, in-
uehitur: Quod autem ſupra teſtatus ſum mirifice illum Etruſcis poëmatibus vtile eſſe, du-
bium non habet, cum princeps noſtrorum poëtarum in hoc genere carminum, cuique me-
rito nunc tantus honos habetur, ſummo ſtudio illum imitatus ſit, & quaedam etiam ab eo
ad verbum expreſſerit: falluntur enim, qui putant, ſe ſine accurata Latinorum Graecorum-
que poëtarum lectione, poſſe in verſibus faciendis ſummam laudem adipiſci; neq; enim tan
tum ingenio valemus, vt ſine his ducibus poſſimus in arduum Muſarum cliuum peruenire;
nam hic etiam ipſe, qui optimis diſciplinis imbutus erat, & natura multum valebat, dili-
genter Graecos Lyricos euoluit, & multa, quemadmodum ipſe teſtatur, & vt certis quibuſ-
dam indicijs cognoſcere poſſumus ex Ibyco, Pindaro, Alcaeo, Simonide, Anacreonte, Al-
cmane, ceteriſq; Graecis Lyricis tranſtulit, qui nunc omnes iniuria temporum deleti ſunt;
quod damnum cum alijs huius generis multis, aequo animo oportet feramus, cum inſtau-
rari nullo modo poſſit; ſed certe dolendum eſt, tantorum ingeniorum ſuauiſſimos fructus,
qui oblectandis animis a maeroreque, atque laboribus reficiendis mirum in modum vtiles
erant, incuria aut iniquitate ſeculorum perijſſe: nam praeter pauca Pindari, quibus Olym-
pionicas, ceteroſque aliorum Graeciae certaminum victores celebrauit, veſtigium reliquo-
rum nullum apparet; quo magis hic amandus, & in ſinu, atque oculis geſtandus eſt, cum
è tot Graecis, Latiniſq; vnus ſuperſit. Latini enim quoq; alij poëtae in hoc genere carmi-
nis verſati ſunt, quamuis parem huic gloriam adipiſci non potuere. Sed ad aliam iam labo-
ris noſtri partem tranſeamus. Quantopere floruerint olim ſtudia eloquentiae, & quam
propria hominis haec virtus ſit, neminem ignorare arbitror: mutatis autem regendarum
ciuitatum rationibus, magna, bonaque pars huius facultatis neglecta eſt, nec dignitatem,
quam antea habuit, retinere potuit: alia enim ratio litium iudicandarum, forenſiumque
cauſarum tractandarum excogitata eſt, in qua copia verborum, facultaſque dicendi mini-
mum valet: quare omnis illa pars, vt inutilis relicta eſt, ſed aliae quoque multum dignita-
tis amiſerunt, quamuis non vt iudicialis illa, iaceant: penuria enim potius auctorum labo-
rant, quam quod parum valere exiſtimentur, aut decus, gratiamq; in ſe nullam habeant: &
nunc enim, & omnibus temporibus apte copioſeq; quoduis, dicendo explicare, pulchrum
habetur, & magnos fructus parit, vt poſſe etiam recte facta, virtuteſque laudare, ac vitia ſce-
leraq; hominum atrociter vituperare. Sed, vt maiores has vires, effectuſq; eloquentiae prae-
teream, polito ſermone vti, apte concludere ſententiam, pro rebus, quas tractas, perſoniſq;
quibuſcum agis, poſſe aut orationem extollere, aut abijcere, ſiue etiam mediocritatẽ tenere,
magnifico genere, oppoſitoq; illi humili declinato, quis non eximium eſſe fateatur, &, vt id
conſequatur, multum etiã laboret: quemadmodum ita orationẽ fingere, vt quibuſdam quaſi
formis

ſormis illuſtretur, σχήματα Graeci vocant, quae & ipſae duorum generũ ſunt: alterae enim in verbis, alterae in ſententijs manent, maxime laudatum illum orbem orationis, περίοδον, ab iiſdem vocatum, conficere, paria paribus adiungere, duo membra ſimiliter definire, iiſdem caſibus clauſulas plures terminare, contrarijs referre contraria, tranſlata quaedam verba, atque immutata orationi inſerere, omnem denique virtutem, ac vitium orationis poſſidere, praeclarum eſt: ita enim, & a culpa ipſa abeſſe poteris, & aliorum lapſus erroreſq; notare. Vtilis autem haec cognitio eſt, & ad recte loquendum, & ad caſte ſcribendum, & ad vere quoque de veterum, recentiumque ſcriptis iudicandum, nec ad Graecum tantum ſermonem, ſed Latinum etiam patriumque hunc noſtrum exornandum praecepta haec valebunt: communia enim ſunt, & ex Graeco, cui excolendo inuenta fuerunt, commode ad alium quemlibet transferri poſſunt. Cunctam autem hanc elegantem politamq; doctrinam complexus eſt erudito libello, acutiſſimi ingenij vir, optimaque diſciplina imbutus Demetrius Phalereus; cuius nomen valde a veteribus ſcriptoribus celebratum, notum vobis eſſe arbitror: vt enim teſtimonia aliorum relinquam, M. Cicero plurimis in locis eius mentionem facit, & vt de optimo ciue, clariſſimo oratore, doctiſſimo homine, de eo ſemper loquitur: praeclaris autem ille his artibus in eum honorem venit, vt Athenas conſilio, & auctoritate ſua rexerit, & totam denique Remp. vt ipſe grauis auctor teſtatur, optime digeſſerit: nam idem hoc in eo admirari non ceſſat, quod paucis, aut nulli alij contigit, vt in vtraque re excelleret, & doctrinae ſtudijs, & regenda ciuitate Princeps eſſet. Hunc igitur libellum accurate interpretabimur, & eius lectionem nõ ſolum vtilem, ſed iucundam uobis fore ſpondemus: namque elegantiſſimis exemplis ex optimiſque auctoribus ſumptis praecepta ſua confirmat, & ſimilibus etiam ex pulcherrimis rebus ductis illuſtrat, nec non voces ingenioſorum acutorumque virorum plures refert, quae mirifice delectant: aut enim nihil harum rerum intelligo, aut nullus liber tam ſuauis, lepiduſque ſumi poterat, qui idem diſciplinam aliquam contineret: rebus enim inanibus futilibuſque recitandis animos auditorum oblectare nullum negotium eſt: in re autem graui explicanda vrbanitatem admiſcere ſummi ingenij opus eſt: non falſo autem me tanta de vtilitate elegantiaque huius libelli praedicaſſe, res poſtea declarabit: fructus inde hic etiam maximus colligetur, quod cum praeceptis Ciceronis, quae ipſe peritiſſimus huius artis pluribus libris accurate expoſuit, cuncta conferri poterunt, qua ex collatione, & melius haec diſciplina percipietur, & quomodo, quae Graece a Demetrio ornatiſſime dicuntur, Latine quoque eleganter dici poſſint, intelligetur. Haec autem vtilitas, niſi fallor, omnes alias, quae ex Graecis ſcriptoribus legendis vtilitates capiuntur, ſuperat. Sed exiſtimo, me in hac parte confirmanda, longius quam oportebat proceſſiſſe: confido enim, vos exploratum habere, me nihil, niſi quod aptum vobis, ingenijſque veſtris expoliendis accommodatum foret, propoſiturum: neque enim tam nihil de his rebus iudicare poſſum, vt falli penitus ipſe potuerim, aut fallere vos, quod a natura moribuſque meis alienum eſt, voluerim. De ſtudio etiam, ac diligentia mea nimium fortaſſe multa: cognitum enim vobis eſſe arbitror, me labori numquam, vt vobis prodeſſem, pepercisse. Reſtat igitur hortari vos, vt toto animo his ſtudijs incumbatis, quod etiam modice faciam: neque enim puto, ad id, quod honeſtum amplumque eſſe cognouiſtis, oratione alicuius impellendos eſſe: partim enim veſtrum ſemper animaduerti deſiderio harum rerum flagrare, & cuncta alia, quae aetati iſti cara eſſe conſueuerunt, vt his ſtudijs acriter operam daretis, abieciſſe: partim autem, quamuis temperatiores in earum cupiditate fueritis, cum ingenio tamen multum valeatis tãtum profeciſſe intelligo, vt ſua vi ſatis vos ad ſe pulchritudo harum cognita allectura ſit: quare potius confirmandi, laudandique, quam vituperandi, aut ſtimulis fodiendi eſtis: male autem agitur cum ingenijs illis, quae ad bonas artes percipiendas inuita trudere oportet, & non excitare illa, atque inuitare ſatis eſt. Confirmo hoc ſolum vobis, ſi vehementer his ſtudijs incubueritis, ſummam vos laudem, gloriamque conſecuturos, contra, ſi negligentiores ad ea fueritis, ſummam labem, turpitudinemque neceſſario ſubituros: nihil autem eſt, quod fieri non debeat, ab iſta praeſertim aetate, quam pudor in primis honorque commouere ſolet, vt ignominia declinetur, & gloria comparetur. Sed non vobis tantum ipſis laudem, honoremque acquiretis, ſi, vt ſpero, optimis artibus inuigilaueritis, ſed magiſtris, parentibus, cognatis, affinibus, toti denique ciuitati, ornamento, laudi, ſplendorique eritis. Quis autem ignauia ductus, aut turpibus voluptatibus auocatus, cum conciliare queat, tantum decus ſuis eripere aequo animo poteſt?

PETRI VICTORII ORATIO HABITA FLORENTIAE.

NOn paucos intelligo, qui hunc locum, ſtudijs litterarum, atque optimis artibus dicatum, colere, ac frequentare conſuerunt, abeſſe; quae res, nedum mihi dolorem aliquem inurat, incredibilem potius voluptatem parit: neque enim illi labore deterriti, aut corporis voluptatibus deliniti, haec diſciplinarum caſtra deſeruerunt; ſed, mutatis tantum ſedibus, acriore ſtudio ijſdem rebus tenentur, ſiue grauioribus potius artibus incumbunt: Huiuſcemodi enim noſtra haec ſtudia ſunt, vt in illis quidam ſemper habitare, & quaſi tabernaculum vitae conſtituere velint: non pauci autem ipſis, vt inſtrumentis ad ſubtiliores ſcientias capeſſendas vti cogitent; quorum neutrorum ratio reprehendenda eſt. Poëtarum namque cognitio, & veteris memoriae perceptio, nec non antiquorum oratorum tractatio mirificas in ſe habent ſuauitates, nec paruos etiam vitae noſtrae fructus adferunt; hae tamen eaedem artes, leuiter etiam deguſtatae, non parum ingenia exacuunt, ad diſciplinaſque percipiendas paratiora reddunt, ac ſtudioſorum denique animos difficillimarum, obſcuriſſimarumque rerum cogitatione fatigatos, reficiunt, ac recreant. Rectè igitur fecerunt qui his iam litteris ornati; domique Latina Graecaque lingua percepta, quo nunc ſcientiae omnes, ingenuaeque artes translatae ſunt, & ipſi ſe confeſtim contulerunt, atque ibi fructum capiunt praeteritorum laborum, & quantum illis praeſtent, qui earum rudes illuc venerunt, nunc denique manifeſto intelligunt. Sed, illis nunc relictis, qui metas iam attigerunt horum ſtudiorum, ad vos me cõuertam, optimi adoleſcentes, qui noui huc veniſtis, locumque eorum suppleuiſtis; nam, qui è veterum numero reliqui adſunt, rationis meae ignari nõ ſunt, vel ſenſus potius omnes meos perſpectos habent, vobiſcumque ſermonem inſtituam, conceſſu horum omnium clarorum, doctorumque virorum; qui praeſentes adſunt; in primiſque praefecti huius gymnaſij ingenioſiſſimi viri, mihique amiciſſimi: vt enim praeclaram veſtram voluntatem, honeſtumque deſiderium cogor amare; ita animum meum erga vos, amoremque veſtrae laudis debeo vobis indicare: in primis autem, quae ſuperioribus illis numquam defuerunt, aſſiduitatem, diligentiam, ſtudium, polliceor vobis praeſto ſemper futura, quod ſi augeri illa poſſent, quae non mediocria extiterunt, eniterer, atque vni ei rei ſtuderem; voluntas certè augeri non poteſt: poſtquam enim ſemel hanc curam ſuſcepi, vel potius hoc onus mihi imponi paſſus ſum nihil omiſi, quod vtile ſtudioſis putarem; de qua re longius non diſputabo; noti enim omnibus ſunt mei labores, neminemque ignorare arbitror, me publicè, priuatimque, quacunque ratione potuerim, ipſis ſatiſfacere conatum eſſe: vſus fortaſſe ipſe, aſſiduaque per tot iam annos cura, me ad hoc munus ſuſtinendum aptiorem facere potuit; quod ſi factum eſt, (neque enim de me quicquam arroganter polliceri auſim; neque me tenues ingenij mei vires fallunt) totum vobis partum, & acquiſitum eſt, probi adoleſcentes: non enim tantum laetor, me ob meam aliquam vtilitatem meliorem factum, quantum gaudeo, mea cura, diligentia, ſtudio vos, quos vehementer diligo, eruditiores futuros; & quod mihi laboris in me ipſo expoliendo auctum eſt, vobis in diſcendo diminutum eſſe. Cum igitur meus tamquam curſus ſemel confectus ſit, rurſuſque a carceribus vobiſcum ſimul exiturus ſim, & quaſi itineris veſtri dux, auctorque futurus, volui vobis animum meum notum eſſe, vt, quantum de me vobis polliceri poteſtis, intelligatis. Nunc, quae mihi dicenda hoc tempore putaui, quaeque vobis animum addere debent, & in hoc curriculo ſtudiorum alacriores reddere, exponam. Qui huc conueniſtis, linguarum perdiſcendarum cupiditate impulſi, vt arbitror, conueniſtis; nec non vt artem dicendi accipiatis, ac flores poëtarum, ſententiaſque vitae conformandae idoneas, deguſtetis; quarum & Latini, & Graeci libri pleni ſunt. Praeſtantiſſimarum autem linguarum perceptio plurimas in ſe habet vtilitates & conſilium maiorum noſtrorum magnopere probari debet; qui filios ſuos primos aetatis annos in Latino ſermone perdiſcendo, litterarumque ratione tractanda conſumere voluerunt, vt quod olim damni ſaeuiſſi-

marum nationum bella, ac paenè omnis barbaria in has regiones effuſa inuexiſſent, ſedulitate, atque induſtria illorum emendaretur: Cum enim multis modis irruptio earum noxia peſtiferaque noſtris hominibus fuerit, non minus detrimenti importauit, quod elegantiſſimum ſermonem, & in quo maximorum ingeniorum monimenta condita erant, deprauauit, ac paenè extinxit; quod niſi ipſorum ſapientia obſtitiſſet, atque huic tanto malo remedia, quae adhiberi poterant, inueniſſet, vt multi boni auctores temporum illorum iniuria amiſſi ſunt, ita cuncti veteres ſcriptores deleti forent, & omnes bonae artes, quae ab illis traduntur, è manibus elapſae; quae plaga quanta futura fuiſſet, facilè omnes intelligitis: quod enim tot ſaeculis, ſummis laboribus, atque infinitis vigilijs plurimi ingenioſiſſimi, eruditiſſimique homines inuenerunt, vna nox obruiſſet; verum huic tanto incommodo prudentiſſimorum hominum cura diligentiaque reſtitit, eoque iam ab initio tenui infirmoque res deducta eſt, vt a tali clade ſecuri ſimus: tantum enim ſtudio, atque opera doctorum virorum effectum eſt, vt ad priſtinum paenè nitorem ornatiſſimus ſermo redierit, & artes, ſcientiaeque, quae deformatae erant, antiquum & ipſae ſplendorem recuperarint; quod niſi rurſus externa aliqua vis exoriatur, (quod Deus immortalis prohibeat) ab omni huiuſcemodi metu vacui ſumus: Quis enim paruo labore, ac nullo paenè ſumptu artes eas percipere nolit, quae ſuperioribus temporibus non niſi maximis moleſtijs, atque ingenti rei familiaris iactura perdiſcebantur: non enim fruſtra ſuperiores homines laborarunt; ſed vigilijs, laboribuſque ſuis laborem noſtrum minuerunt; viamque ad bonas artes accipiendas interclusam antea, nobis aperuerunt. Tanta autem librorum, & Latinorum, & Graecorum copia nunc extitit; qua re maximè illi laborabant, vt quemuis ad bonas artes capeſſendas inuitare videatur. Quod ſiquis haec ipſa ea lingua, qua ſcripta primum fuere, percipere vult; cuius rei omnes paenè ſtudioſi non ſine cauſa cupidi ſunt, eique toto pectore incumbunt, facile etiam poteſt, propter ſummam non librorum ſolum, ſed doctorum quoque vbertatem, ac copiam. Eſt ſanè, quod huic ſeculo noſtro gratulemur, ac maximas etiam gratias agamus ſapientiſſimis illis hominibus, ac paenè diuinis; vnde tanta nobis commoda fluxerunt, illos inquam, eximij ingenij, ac probitatis viros colere, ac venerari ſemper debemus: qui, cum viderent has ipſas artes in Graecia, vbi ortae erant, extinctum iri: (quod regio illa ab immaniſſimo, & importuniſſimo hoſte oppreſſa eſſet) huc eas traduxerunt, & in hac noſtra terra, ex qua multis antea ſeculis exularant habitare voluerunt; vnde poſtea in omnem Europam translatae, ita firmiter plurima in loca radices egerunt, vt non facilè illinc auelli, extirparique poſſint, tanta vis eſt in paucis hominibus, vt quod illorum ſtudio diligentiaque retentum eſt, non potuerit poſtea ſublatum, multis ſeculis, infinitis laboribus ab acerrimis ingenijs inſtaurari: pauci enim omnino fuerunt, inſignes tamen opibus, nobilitateque viri: neque enim a tenuibus hominibus, atque ignotis tantum beneficium recipi potuit, nec ſatis erat, ruinam intelligere, quam ſtudia bonarum artium, niſi ſubuentum eſſet, factura forent; & remedia etiam, quae requirerentur, cognita habere, niſi adhibere ea poſſes: ſed & auctoritate, & amplitudine opus erat, quae res non ſaepe cum amore litterarum, ſtudioque adiuuandi bonas artes coniunguntur. In his autem primum locum ſine controuerſia obtinent maiores huius familiae, quae principatum poſtea noſtra in ciuitate conſecuta eſt. Qui cum multo minore fortuna, vitaeque conditione eſſent, ac paulo magis quam priuati forent, hac tamen in re cum potentiſſimis hominibus regibuſque certarunt; atque omnia ſtudia illorum, conatuſque ſuperarunt: ita autem magnum certumque hoc ipſorum beneficium eſt, vt a me nunc non poſtulet illuſtrari: ab eruditiſſimis namque omnium gentium hominibus ſummo ſtudio poſtea ſemper celebratum eſt, nec vlla vnquam temporis obliuione delebitur. Id autem, vt alias quoque ſummas eorum virtutes, imitari, atque exprimere conatur Reip. noſtrae Dux, quo nemo vnquam in tanta fortuna conſtitutus magis ſtudio verae laudis exarſit, magiſque bonas artes ex animo dilexit; quod cum ipſius deſiderium facilè etiam antea multis modis, qui hic viuimus, intellectum eſſet, nuper tamen omnibus nationibus, ac gentibus explanatum eſt, cum in antiquiſſima vrbe, ac liberaliſſimis ſtudijs quondam celebri, veterem laudem florere voluit; atque ibi domicilium omnium diſciplinarum renouauit, quod cum magnum ſua vi ſit, ac ſemper inſtam laudem mereatur, his tamen temporibus maiore admiratione dignum eſt, cum omnia commota ſint; ac multae Europae partes inteſtino, grauique bello conflictentur, nec ab externis etiam periculis tutae ſint: tranquillitatis enim otijque comites doctrinae eſſe conſueuerunt; tuncque maximè vigent, quum ab omni non ſolum bello, ſed etiam ſuſpicione belli, ac tumultu quies eſt. Declarat autem hoc manifeſto, inſitam habere eum in animo hanc curam, & bonas artes verè diligere, non quemadmodum multi fortunati homines faciunt, ſimulare, cum magnae curae, ac non nullae quoque periculi ſuſpiciones hanc cogitationem ex animo ipſius eruere, atque exturba-

re non potuerint. Conſilium autem eius, ſi verè quaerimus; magnopere laudari debet; valdeque pium eſt: tunc enim fouendae bonae res, ac fulciendae ſunt, quum in periculo verſantur, atque ab inimicis acerrime oppugnantur. Auocari vero animos hominum ab ijs ſtudijs, iniecto grauiore aliquo metu, atque hoc vno aduerſario maxime concidere notum eſt. Succurrendum igitur fuit, ac toto pectore huic curae incumbendum, ne grauior aliqua plaga acciperetur; quod ſi tardius auxilium fuiſſet, ſatis tempore fortaſſe quaeſitum non eſſet: minui enim iam in hac prouincia ob praeterita Reip. mala haec ſtudia videbantur, cotidieq; minor numerus eorum, qui his artibus incumberent, fiebat; quae negligentia ſi vlterius proceſſiſſet, cogitate cum animis veſtris, quot quantaq; incommoda inde euentura forent, & in qua perſonarum, ſine quibus conuentus hominum retineri non poſſunt, egeſtate futuri fuiſſetis? Quibus enim ſalutem vitamque veſtram commiſſuri eratis; ſi in morbum repente incidiſſetis? neque enim valere ſemper poſſumus; nec ſumma etiam diligentia ſanitas corporis perpetuo retinetur, niſi medicos haberetis, aut quos, cum lis aliqua inter ciues orta eſſet, de iure conſulturi eratis? ſi periti iuris nulli reperirentur: nam rerum etiam diuinarum ſcientia in noſtris hominibus, deleta foret, ratioque omnis colendi Dei retinendaeque religionis extincta, niſi a quibus acciperent diſciplinam, noui ſemper haberent: pauci enim ſunt, qui ſedibus ſuis relictis, in longinquas terras migrare poſſint; ac praeter patrimonij anguſtias aliae quoque legitimae cauſae impedire ſolent, ne domo aliquis proficiſcatur: vt autem impedimentum hoc multos ante reuocabat, ita nunc commoditas vicinae vrbis, ac multitudo eruditiſſimorum hominum, magnis praemijs ex omni Italia illuc euocatorum, plurimos inuitabit. Nam me quidem, qui ciuibus ſuis cunctis in rebus ſummo ſtudio conſulit, hic remanere voluit, vt eſſet, vnde adoleſcentes Latinum Graecumque ſermonem audirent: atque eas artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet, acciperent; vt illuc poſtea, quibus commodum eſſet hoc linguarum theſauro maximarum artium inſtrumento locupletati, parati proficiſcerentur; neque in eo campo, in quo grauioribus diſciplinis opera datur, his leuioribus ſtudiis implicari neceſſe haberent. Nec me ſolum hoc munere hic fungi voluit, ſed comitem etiam adiunxit, optimum atque eruditiſſimum virum, quem iniquitate fortunae grauiter olim mulctatum, numquam tamen ab honeſto hoc opere ceſſantem, quas artes diu domi cum magna adoleſcentium vtilitate docuit, eaſdem hic publice ipſum profiteri, melius eſſe iudicauit, & in eum locum, vbi iuuenis, nondum tanto vulnere accepto, ſumma cum laude manſit, nunc ſenem ſenſu oculorum captum; animo vero integrum, magiſque in litteris videntem, reſtituit. Adeo vtiles eſſe exiſtimat, magni iudicij, perſpicaciſque ingenij Princeps, has humaniores litteras, ad ſubtiliores artes, ſcientiaſque capeſſendas, tantopereque ſtudet, vt illuc iuuenes hac ſupellectile inſtructi ornatique proficiſcantur. Quamquam ne illic quidem deerunt, eruditi & ingenioſi iuuenes, qui idem, quod nos hic muneris habemus, fortiter illic ſuſtinebunt; quorum alter cui Latinae linguae explicãdae prouincia mandata eſt, in expediendis nodis poëtarum, tradendaq; arte dicendi aliquot annos verſatus, facundia quoque, ac ſtilo clarus, vt eſt laudis in primis auidus, omnes ingenij vires corporiſque firmitatem illo in opere ferendo, expectationeq; ſui explenda collocabit: alter etiam, qui Graecam linguam enarrandam ſuſcepit, eruditionis, atque ingenij ſui praeclara, & ipſe iam ſigna in florentiſſimo gymnaſio dedit, eumque ſermonem, ita ſemper calere exiſtimatus eſt, vt ſi in media Graecia, Atheniſque, non Italico in ſolo, atque Etruſca vrbe natus eſſet. Cuncta igitur vos, optimi adoleſcentes, hortantur, vt in haec ſtudia diligenter incumbatis: praemia certe, atque honores, quae alere bonas artes, ac deſiderio pulcherrimarum rerum inflammare animos hominum ſolent, his, qui in ipſis ſtrenue ſe geſſerint, & in aliquem altiorem gradum venerint, non deerunt: cognita enim humaniſſimi Principis voluntate, amoreque ipſius erga bonas artes perſpecto, quis eſt, qui praemia induſtriae ſuae ſedulitatique defutura vmquam arbitraretur? Cur enim ille tãtopere foueret initia litterarum, & ad eas capeſſendas vndiq; omnes conuocaret, niſi eos, qui multum in illis proceſſiſſent, opibus ſuis adiuuare, atq; omnibus rebus ornare cogitaret? Cum autem maiora ſint, vt ſupra copioſe oſtendi, quae mentes veſtras excitare, & ad praeclara ſtudia inuitare poſſint, ſiquid in me auxilij eſt, id totum in vobis poſitum eſſe exiſtimare debetis; Cum enim ſemper huic curae meo toto animo inuigilauerim, & commodis eorum, qui ſe aliquid a me eruditum, aut elegans percipere, atque audire poſſe putarunt, inſeruierim; hoc ſtudium, quod ſua vi deminutum numquam eſt, amplificabitur, cum vos parentum veſtrorum deſiderijs, optimi Principis liberalitati, ac ſpei, quae de vobis excitata eſt, reſpondere velle ſenſero.

PETRI VICTORII ORATIO HABITA FLORENTIAE.

NON paucos veſtrum arbitror, probi adoleſcentes, hunc diem auidè expectaſſe; cum animis, corporibuſque refectis a praeteritis laboribus integri, atque alacres huc reuerteremini: vt enim aſſiduae curae, cogitationeſque animum frangunt, nec paruum hominibus faſtidium gignunt; ita diuturnum otium, longaque ceſſatio ab ingenuis artibus honeſtiſque laboribus, non inutilis ſolum, ſed iniucunda etiam ingrataque cupidis laudis, & ad gloriam natis iuuenibus eſſe conſueuit. Ipſe ſane quamuis mihi multas curas moleſtiaſque apportet, numquam tamen illum valde reformidaui, tantum in me deſiderium eſt vobis obſequendi, ac laudibus, vtilitatibuſque veſtris inſeruiendi. Quamquam, quod tempus mihi vacuum a magnis curis, aſſiduiſque laboribus datur? quando ego reſpirare vnquam a perpetua lectione librorum, continuiſque vigilijs potui? quando denique mihi tranquillam, atque otioſam horam ducere licitum eſt? ſciunt, qui mecum familiariter viuunt, quae alijs feriae ſunt, mihi agmen moleſtiarum adferre: Cum enim omni ratione, qua poſſum, vobis, ſtudioſiſque litterarum omnibus prodeſſe cupiam, nullam mihi horam ſolutam, ac liberam reliqui, & id tempus, quod veteribus laboribus compenſandis aſſignatum eſt, omne maioribus diſtentus negotijs traduco; neque tamen, cum omnia faciam, mihique ipſi nulla in re parcam, pluſquam debeo facio: magnum enim eſt onus, quod ſuſcepi; magna, quae a me merito poſtulantur: aut enim deponendum id eſt, aut ita ſuſtinendum, vt, quo ferri a me debet, aliquando comportetur. Ratio autem alia, niſi fallor, non eſt, nouum ſemper huc veniendi; & quae alere poſſint animum, oblectareque eorum, qui audiunt, dicendi, niſi omnibus temporibus, atque horis in illis vndique colligendis occuperis: commutatio igitur potius laborum, quàm requies ceſſatioque mea appellanda eſt; vnde etiam mihi reditus huc meus minus moleſtus eſt, vel iucundus potius: poſtquam enim vitam omnem in acerrimis ſtudijs conſtituere debeo, varietas haec litterarum ſuauitatem mihi quandam adfert; maior tamen in me voluptas gignitur, quum cogito, fore ex veſtro numero aliquos, qui diligentia curaque mea inſtructi, & cohortationibus incitati, metas horum ſtudiorum attingant, & ſummam apud omnes laudem, ob eximium ingenium, magnamque optimarum rerum ſcientiam conſequantur: Haec enim ſunt, quae me quoque ornare poſſunt, &, quae ſi videro, incredibiliter gaudebo: officio enim mihi meo, & deſiderijs parentum veſtrorum ſatisfeciſſe videbor: magna autem eſt iucunditas honeſtis hominibus intelligere, ſe induſtria ſua alijs profuiſſe, atque expectationi hominum reſpondiſſe. Sed, vt hunc de me ſermonem omittam, ad voſque redeam, optimi, mihique cariſſimi adoleſcentes, ſi ea mente, qua puto, huc veniſtis, vobiſque deeſſe non vultis, ſpero, vos hoc anno iudicium meum probaturos, & magnam laetitiam patribus veſtris allaturos: ea enim mihi videor vobis propoſiturus, & in ijs ſcriptoribus ingenia veſtra ſubacturus; quae mirifice ipſa expolire, & viam vndique vobis munire ad ſummam laudem conſequendam poſſint; nec tamen de auctoribus ipſis nunc ſermonem inſtituam: ſciri enim iam illos arbitror: vtilitas autem ſingulis partibus explicandis patefiet, & a me quoque initio declarationis ipſorum explanabitur. Sed de genere ſtudiorum horum; quique inde fructus exiſtere poſſint, aliquantulum diſputabo. Nihil vndique perfectum abſolutumque in terrenis mortalibuſque rebus inueniri planum eſt; cunctaque etiam, quae praeclara habentur, ſincera, atque ab omni malo vacua non ſunt: ſed cum eximijs bonis, quae poſſident, coniunctum atque admixtum aliquid vitij, ac labis neceſſario habent; quod purgare, ac ſummo ſtudio delere oportet illos, qui veros inde fructus, maximaſque vtilitates capere volunt. Quod ſi vlla res integra a natura gignitur, praeſtantiſſimum hoc animal profecto eſt: quod hominem vocarunt: cum enim ex animo corporeque, vt ceterae animantes concretum ſit, quod commune ipſi cum alijs non eſt, altera ipſius pars, ex qua conſtat, aut caeleſtis prorſus, diuinaque eſſe, aut multum in ſe diuinitatis habere exiſtimatur: ipſum tamen quoque ſiue ex concre-

tione illa, ſocietateque terrena, ſiue ex inſtitutis vitae, prauaque educatione, ita vitiatur, vt ſaepe nihil caeleſte, diuinumque praeſeferat, ac potius, quo ſapit, vigetque, deterius illud, cum malo ipſo vtatur, reddat: maiora namq; ſibi ceteriſq; auxilio ipſius detrimenta adfert, quàm ſpoliatum illo facere vmquam potuiſſet: quod enim imbecillum, infirmumque eſt, periculum alijs creare, ac maius aliquod damnum importare non poteſt. Hoc intelligentes priſci illi mortales, vt mala incommodaque declinarent, quae hominibus ab hominibus naſcuntur, operam dederunt, vt maculas inde omnes eluerent, cunctaque extirparent, quae noxia, peſtiferaque eſſent, ac totum denique animum excolendum ſuſceperunt. Cum autem plures ab ipſis vtiles rationes excogitatae forent (nam & metu a vitijs coercere, & praemio ad virtutes elicere conati ſunt) nullam certiorem melioremque inuenerunt liberalibus ſtudijs, ſcientiaque artium ingenuarum: nullae enim leges tam ſeuerae ſunt, vt a flagitijs penitus homines deterreant: ſperant enim multi, quod ſcelus commiſerint, clam fore, ac ſi indices effugere potuerint, peccatum ſuum, quamuis atrox impunitum futurum: alij autem gratia, opibus, diuitijs, copia amicorum freti, ſi palam etiam rés facta fuerit, confidunt, ſe iudicium perrupturos: nec pauci reperiuntur, qui honori, ac gloriae voluptates corporis anteponunt; nec laude, aut praemio vllo ad recte aliquid agendum, a vitijſque ſibi temperandum excitantur, quod ſi ſtudium in animo purgando adhibitum ſit, & ſtirps, ac ſemen omnium malorum inde ſublatum fuerit, ipſe ſua ſponte a factis improbis turpibuſque abhorrebit. Oportet igitur, vt omnem feritatem exuamus, & quicquid in nobis agreſte, durumque eſt, molliamus, iudicium ſapientum, viamque ab illis monſtratam ſequi, ac teneram in primis aetatem hac diſciplina imbuere; vnde humanitatis ſtudia haec liberaliaque appellata ſunt: informant enim animos puerorum ad humanitatem, & liberos praecipue ingenuoſque homines decent. Conſtant autem ex cognitione optimarum elegantiſſimarumque artium, quae quemadmodum ingentes vtilitates adferunt, ita etiam plurimas ſuauitates oblectationeſque ſtudioſis ipſarum gignunt: nullarum enim litterarum tractatio tam lepida, iucundaque eſt, & quae magis omnibus temporibus, aetatibus, lociſque accommodata ſit. Illam autem a Graecis hominibus inuentam cunctae poſtea gentes, quae opibus imperioque floruerunt, recepere, atque in ſummo ſemper honore pretioque habuere: neque enim operarij homines abiectiſſimaeque fortunae, his praeclaris artibus inſtrui poſſunt; ſed illis operam dare coguntur, quae cum corpus alant, eaedem tamen, dum tractantur, deterius illud reddunt, & non parum labefactant. Romani autem praecipue homines illas auidè arripuerunt, & cum a bellicis rebus omnibus domitis nationibus profligatiſque hoſtibus requieſcere coeperunt, totos ſe ad haec ſtudia contulerunt, ſine quibus, neque quomodo ſe honeſtè in otio oblectarent, neque quomodo tantum imperium ſuſtinerent, habebant: neque enim iiſdem artibus, quibus otium paratur, retinetur: alia enim belli, alia pacis ſtudia ſunt; ſed vt arma, militariſque diſciplina augendae Reip. finibuſque propagandis neceſſaria ſunt, ita ſtudia litterarum, arteſque ingenuae, & ornandae paci, & ſtabiliendae quieti, accommodata ſunt. Quod autem de Romanis hominibus dictum eſt, idem etiam de cunctis opulentis populis verè praedicari poteſt, niſi aliqua ita immanis, ſaeuaque gens eſt, vt ab omni cultu abhorreat; quae tamen, aut ſaeuitia illa feritateque perpetuo teneatur, neceſſe eſt, vt tandem aliquando ipſa conficiatur, aut hanc vnam viam habet dititatem tantam morum exuendi, & mitiorem humanioremque naturam amplexandi: aditum enim patefaciat oportet ingenuis artibus, & humaniora haec ſtudia colere incipiat: non paucae autem Europae nationes, quae barbarae olim agreſteſque habebantur, hac vna ratione ſe expoliuerunt, receptiſque his humanioribus ſtudijs humaniores ſubito moderatioreſque extiterunt. Vnde manifeſto intelligitur, non regiones, caelumque mores informare, naturamque incolarum, aut ſaeuam, aut mitem reddere, ſed vitae inſtitutionem diſciplinamque hoc eximie praeſtare: cum etiam planum ſit, vt ingenia miteſcere cultu docuimus, ita etiam mutata ratione vitae, vetereque diſciplina relicta, eadem efferari, vt quod de agris cotidie euenire videmus, idem prorſus de animis ingenijſque contingere perſpiciamus: nam & cultura diligentiaq; agricolarum, qui ſteriles antea infoecundique erant, fertiles, atque vberes fiunt, & qui fructuoſi admodum foecundique ſunt, derelicti, & nullo labore induſtriaque agricolarum ſubacti, ſterileſcunt. Quod ſi tanta diligentia illos colimus, vnde multo minores fructus capere poſſumus, quanta conuenit optimam noſtri partem animos expolire, vnde infinitas, maximaſque vtilitates percipiemus: ſine tot enim vectigalibus agrorum, tantaque frugum, ac pomorum copia, ſine tot denique vini generibus ſuauiſſimiſque ſaporibus, qui ex inſitis arboribus funduntur, beatè viuere poſſemus, ſine fructibus vero animorum, qui ſcientia optimarum artium, excitantur, bene recteque viui nullo pacto poteſt: vnde ingenioſi viri, ſummique poëtae non ſine cauſa dixerunt, elegantiſſimiſque verſibus docuerunt,

multo

multo maiora mortalibus beneficia attuliſſe, qui doctrinarum repertores extiterunt, quàm qui viam colendi agros, frugeſque ſolertia ſua oſtenderunt, quod ſine illis aliquo modo viui poſſit: orbata autem bonis artibus, rectaque inſtitutione deſtituta vita hominum, vita nullo modo exiſtimanda ſit, & beluarum potius, quàm participum rationis animantium habenda. Cum tot igitur ex his ſtudijs commoda capiantur (nam vſibus quoque vitae multis ſeruire has litteras manifeſtum eſt) ac tot tamque ſincerae voluptates inde oriantur, quis illas deguſtare nolit? quis ſapiens pater, amatorque liberorum, ac verus denique pater non filios hac diſciplina erudiri velit? quis laudis cupidus adoleſcens nō hanc viam libenter ingrediatur, alacrique animo haec ſtudia ſectetur? vnde plurimas ſuauitates, ingenuaſque multas oblectationes haurire queat: ceterae enim, quae vulgo exiſtimantur voluptates, purae liquidaeque voluptates non ſunt, pluſque aegritudinis quàm laetitiae ſecum ferunt; ſed etiam faſtidium cito gignunt, ſatietatemq; illis, qui penitus corrupti non ſunt, ac lutulentis vitijs inquinati; cum harum nullam vmquam ſatietas hominem capiat: nam quantam, quamque iuſtam reprehenſionem illae habeant, quanta rei familiaris iactura, corporiſque, atque animi detrimento exerceantur, planum omnibus eſt; cum hae contra laudem ſubito ipſis adferant, laetitiam parentibus, nullum patrimonio damnum, nullam corpori labem iniungant, animo ſuauiſſimum cibum praebeant, ſpem maximorum honorum oſtendant; quorum rectè, atque ordine comparatorum aetatem hanc in primis eſſe ſtudioſam decet; nihil enim magnum in vita ab aliquo expectari poteſt, qui non maturè honores ſitire, nec auide gloriam expetere coeperit. Qui autem primis temporibus deſiderio laudis flagrarint, ſi habuerint, qui verum iter gloriae demonſtrent, praeceptiſque eorum parere non recuſarint, ſine dubio maximam proceſſu aetatis gloriam conſequentur. Quis vero tam hebeti ingenio eſt, quis tam anguſto animo, abiectoque praeditus, quis tam humum ſemper ſpectans, nec praeclaram naturam ſuam cogitans, qui ſplendore gloriae viſo, qui demonſtrata vera honeſtate, non ſubito illam amet? non deſiderio ipſius ſtatim inflammetur? non totis denique viribus contentoque curſu eam perſequatur? Qui autem primoribus labris has litteras deguſtarint, qui hanc viam ſtudiorum ingreſſi fuerint, ipſam mentis oculis manifeſto videbunt, ac paenè etiam manu prehendent, vt, ſi ſibi deeſſe noluerint, tenere illam ſemper, nec vllis vmquam caſibus amittere poſtea poſſint: vnde enim melius officia boni viri, quàm ex vetere memoria euoluenda intelliguntur, quae philoſophorum praecepta tantum excitant ad bene de ſuis ciuibus merendum, quantum ſcriptorum, & Graecarum, & Romanarum rerum monimenta? in quibus tamquam in ſpeculo facta optimorum, ac fortiſſimorum virorum cernuntur, vt quilibet inde ſibi proponere poſſit exemplar ad imitandum. Quae auctoritas grauiſſimorum hominum tam facilè a vitijs coercet, & ad virtutes impellit, vt ſcripta poëtarum: cum enim illi ingenio ſuo exornant honeſtos viros praeclaraque ipſorum facta extollunt, aut contra turpes deformant, perpetuiſque notis inurunt, quis non improbam vitam oderit, ac toto pectore illam fugiat, rectam autem diligat, ardentique animo ſectetur? nam ipſorum libros plenos eſſe optimarum ſententiarum, & praecipuè teneris puerorum animis informandis vtiles eſſe, quis ignorat? Oratorum vero tractatio quàm elegans iucundaque ſit, facultatiſque eorum cognitio quantopere conducat, & in publicis, & in priuatis rebus manifeſtum eſt: hi enim ſoli, quod nobis ſolis natura largita eſt, praeclarè efficiunt; tantumque paenè ceteris hominibus praeſtant facultate dicendi, quantum reliqui in eo ſtudio non exercitati, mutis animantibus, quae penitus expertes ipſius ſunt, antecellunt, vt eloquentia ſua facilè poſſint ad res vtiles Reip. ciues ſuos hortari, ab inutilibus reuocare, celebrare iuſtos, ac fortes viros, iniuſtos, inerteſque exagitare, dare ſalutem innocentibus, quibus periculum aliquod iudicij iniquè creatum ſit, malos nocenteſque vexare, & è ciuitate exturbare, & alijs multis temporibus, ac locis maximos vberrimoſque fructus Reip. ferre. Hae autem praecipuè res, ſeges, ac materies harum litterarum ſunt: maiorum etiam artium, & ingenuarum omnium diſciplinarum rudes illas, ieiunaſque non eſſe conſtat: ſed etiam viam aperire ad philoſophiam, vt, qui his imbuti ſint, poſſint paruo labore peruenire ad praeclariſſimam illam omnium artium ſcientiam, contraque, qui non didicerint, illuc aſpirare nulla ratione queant. Vnde conſilium maiorum noſtrorum magnopere laudari debet, qui filios ſuos in primis his litteris imbui voluerunt; quamquam haec laus ipſis cum multis alijs gentibus populiſque communis eſt: quae enim Italiae ciuitas, vel Europae potius? quod non omnino ignobile, ac deſertum huius regionis oppidum eſt, quod rationem hanc inſtitutionemque non probarit? In longinquas enim aſperaſque terras perueniſſe Graecum ſermonem, atque illuc firmas radices egiſſe, poſtquam ſedibus ſuis pulſus eſt, ac patrio mitique caelo exturbatus, certum eſt. Nam Latina lingua, quae ma-

gnitudine imperij vniuerſum orbem perluſtrauerat, ac multis gentibus familiaris facta erat, praecipue autem ad occidentem ſe propagauerat, illic quoque nunc viget; nec tamen a nutricibus illam ipſae quoque, parentibuſque accipiunt, ſed a magiſtris perdiſcunt, è libriſque eruunt, atque id cum multo maiore labore faciant (vernaculus enim eorum ſermo magis inquinatus eſt, magiſque ab antiquo Rom. abhorret) non tamen moleſtia hac defatigatae ſtudioſe illi operam dant, atque ita familiarem ſibi efficerunt, vt paenè patrium domeſticumque iam habeant. Quanto igitur magis nos conari debemus in Italia nati, & è ſanguine eorum procreati, vt antiquum ſermonem recuperemus? quod ſi exiguum laborem fugientes, hoc facere negligemus, non tantum eximio ornamento praeſidioque ad bonas artes captandas carebimus, ſed in magnam turpitudinem dedecuſque neceſſario incidemus: amiſiſſe enim nos illum culpa temporum videri poterit, non recuperaſſe autem, cum potuerimus, inertiae noſtrae meritò attribuetur. Graecus vero ſermo huiuſcemodi eſt, vt elegantia ſua, explicatione omnium artium, ſcientiarumque, multitudine, ac nobilitate ſcriptorum, mirum quendam omnibus ſui amorem inijcere debeat, nec eſt, quod quiſquam difficultate permotus, vtilitatem intelligens, eum relinquat, aut tempus ſibi defuturum putet ad rerum aliarum ſcientiam comparandam: dum enim ipſi incumbet, arti illi doctrinaeque, cui ſe dedit, incumbet: vnà enim, & proprietas ſermonis, & praecepta artis perdiſcentur. Vellem aliquid maius in me eſſet, quod vobis pollicerer, hoc certè quicquid eſt, quod longo ſtudio, ac multorum iam annorum exercitatione mihi comparaui, in vobis poſitum eſſe exiſtimare debetis: nedum enim operae quicquam diligentiaeque, mihi proſpiciens, remittam, ſi in hoc munere obeundo, commodiſque veſtris ſeruiendo, me ſpiritus vitaque defecerit, id mihi honeſtum iucundumque putabo. Quod vero vehementer vos hortari debet, & in quo multum auxilij poſitum eſt, beneficio Dei nuper extitit: ſedatis enim atrociſſimis bellis, animiſque potentiſſimorum regum reconciliatis, campus bonis artibus ingenuiſque ſtudijs largus patefactus eſt. Quis enim cum omnia bello flagrabant, vicinumque maius aliquod malum ſemper erat, ſecuro animo poterat ſtudijs litterarum incumbere, quae pacis ſocia ſunt, & quietè aluntur, atque otioſis tantum temporibus vberrimos fructus ferunt? Vnde animus Principis noſtri videtur diuinus fuiſſe, & in tantis tenebris, caligineque temporum lucem proſpexiſſe, qui ſuperiore anno in medio rerum turbine, cum omnia bello arderent, terraque, ac mari ingentia pericula impenderent, haec ſtudia excitarit, ac domicilium ipſis antiquum, quod ſpatio multorum annorum clauſum fuerat, aperuerit: intelligebat enim ſubtilis iudicij iuuenis, acerbas has diſcordias citò finem habituras, & defatigatos tandem bellorum auctores arma abiecturos, diuturnumque poſtea otium, ac longam temporum tranquillitatem conſecuturam. Quod Deus immortalis faxit; vt & ſecuro animo haec ſtudia colamus, & è multis grauibuſque damnis, quae miſeris his temporibus ſuſtinuimus, nos aliquando reficiamus.

PETRI VICTORII ORATIO HABITA FLORENTIAE.

MAGNAM mihi ſemper, probi adoleſcentes, conſpectus veſter laetitiam adfert, &, quum vos ſimul hoc in loco cerno, campum mihi meae induſtriae conſpicere videor: intelligo enim, vos eſſe, illos, vnde laudem dignitatemque mihi comparare debeo: cum enim huic muneri deſtinatus ſim, ingenijſque veſtris excolendis ſeruiam, ſine vobis, nec ſuſceptam vitae rationem tueri, nec in officio meo progredi quicquam poſſem. Hoc autem die cum frequentiores adſitis, quanto me alacriorem fieri putatis, ardentioremque ad munus hoc meum obeundum? Eſt illud mihi ſanè cauſa multorum laborum, nec horam mihi vllam liberam, ac ſolutam relinquit: nolite enim putare, me, quum feriae indictae ſunt, vacuumque tempus ab huius loci frequentatione datur, non ſemper iiſdem cogitationibus teneri, ac toto animo vtilitatibus veſtris proſpicere: neque enim hanc curam vnquam ex animo dimitto, nec poſſum alijs negotijs implicari; multae autem cauſae me, vt hoc faciam, impellunt: arbitror enim prudentis hominis eſſe, quod onus ſemel ſuſceperit, in eo ſuſtinendo totas vires contendere, nec labori vlli, aut defatigationi parcere. In primis tamen me, vt hoc ſtudioſe faciam, hortatur ſtudium veſtrae laudis, cupiditaſque honori veſtro ſuffragandi; quod ſi parem in vobis animum, voluntatemque inuenero, ſpero me aliquid in vita boni facturum: confido enim, vel video potius hoc ſeminarium eruditiſſimorum hominum futurum: multa autem ſunt, quae in animo meo hanc ſpem excitarunt; & quòd ingenio noſtros homines plurimum valere ſentio, & quòd tempora tranquilla magnum otium his ſtudijs pollicentur, & quòd non deſunt magiſtri duceſque, qui certum vobis iter oſtendant, ac ſemitam patefaciant, vt quem curſum magna cum ſpe ingreſſi eſtis, exequi vſque ad extremum, & celeriter conficere poſſitis: nam propinqua ciuitas, in qua bonarum omnium artium, ſcientiarumque domicilium nuper conſtitutum eſt, magnam mihi ſpem dat: opportunitas enim omnibus in rebus plurimum valet, multique fortaſſe, qui, niſi hoc beneficio optimi principis conſecuti eſſent, deterriti, ac multis impedimentis fracti, aut languore otioque obtorpuiſſent, aut ad alias artes, ac ſtudia animum conuertiſſent, hac commoditate incitati, honeſtiorem vitae viam, laudiſque ac gloriae acquirendae certiorem inibunt. Qui igitur illic eruditi ingenioſique viri huic curae praepoſiti ſunt, ingenijs veſtris maturioribus laboreque, ac diligentia noſtra expolitis vacabunt; ipſe nunc tenera illa, molliaque, quantum per me fieri poterit, colam, & in hoc negotio omnem curam diligentiamque collocabo: nam quem ſocium huius muneris tertium iam hunc annum habeo, eruditum hominem veſtrique amantiſſimum, partes ſuas impigre executurum puto, vel potius in me puero olim diligentiam ipſius expertus, liquido affirmo. Quòd ſi aſſiduitatem meam praeteritis temporibus perſpexiſtis, & aliquando commendaſtis, eandem illam, aut, ſi fieri poteſt, maiorem etiam in me inuenietis; ſed quod re, aut ipſi cognouiſtis, aut ab alijs accepiſtis, id nunc verbis vobis longius non ſignificabo, ſed potius ad laudem capeſſendam vos cohortabor, fructuſque, qui ex hac inſtitutione vberrimi capi poſſunt, indicabo. Praeclarum eſt, optimi adoleſcentes, ſtudium litterarum, quod colimus, plenumque maximarum voluptatum, hoc facilè, qui primo tantum ore id deguſtarunt, intelligere potuerunt, qui vero aetatis aliquam partem in eo conſumpſerunt, plurimas inde ſuauitates perceperint, neceſſe eſt: quare auctores alijs eſſe poſſunt, vt in illud acriter incumbant, vtilitates praeterea tantae ex eo proficiſcuntur, vt non facile decerni poſſit ob delectationem ne, an fructum magis amandum, ac frequentandum ſit. Paucae autem, ſi diligenter attendimus, in hac vita nobis res contingunt, quae eodem tempore, & vtilitatem, & voluptatem importent; ſed maior pars earum, quae iucunda ſunt, incommodi aliquid, ac damni adferunt, & quae conducere videntur, laboris non parum, ac moleſtiae exhibent, neque tamen nouum hoc inuentum eſt, nec tanta, ac tam ingenua oblectatio nuper extitit; ſed priſcis etiam temporibus cognita, ab iiſque in primis gentibus, quae gloria atque imperio floruerunt, vſur-

pata fuit: victis enim illae, ac ſublatis hoſtibus, via rationeque aliqua eguerunt, qua ſe honeſtè oblectarent, & ampliſſimum illum ſtatum firmiter retinerent: neque enim generoſos ſpiritus decebat, rebus magnis geſtis, in vilibus miniſterijs, ac ſordidis artibus occupari, nec otium illud virtute partum, niſi cum dignitate, & honeſto aliquo ſtudio coniunctum fuiſſet, fructum aliquem attuliſſet, ſed potius detrimenta magna inuexiſſet, poſtremumque populos fortes, beataſque ciuitates, quae illud amplexatae eſſent, perdidiſſet: quare ſapienter fecerunt, qui hanc viam, quae vna erat, humanarum artium, liberaliumque diſciplinarum, indicarunt, ac ſaluti, diuturnitatique eorum conſuluerunt; quorum eximiae florenteſque fortunae aliter cuſtodiri, incolumeſque ſeruari non poterant. Non tantum autem veteres ingenuam hanc oblectationem perceperunt, ſed ſibimet honeſtas voluptates quaerentes, nobis etiam poſteris ſuis illas pepererunt: diuino enim ingenio, quo praediti erant, ſumma in ea re poſita diligentia, multiſque vigilijs conſumptis, vbi nos honeſtè oblectaremus, & ex plurimis vitae moleſtijs animum reficeremus, reliquerunt: Ingenuae enim hae, quae appellantur artes, in ſcriptis antiquorum perlegendis, diligenterque animaduertendis manent, quique noſtris temporibus maiorem aliquam laudem in his rebus conſecuti ſunt, atque ipſi quoque ingenij, eruditioniſque ſuae monimenta reliquerunt, artibus his inſtructi, in libriſq; eorum diu volutati, id praeſtiterunt. Quanta autem illa ingenia fuerint, & quàm abſoluti ipſorum, perfectique labores, hinc facile perſpicitur, quòd vſque ad hunc diem perdurarunt, ac plurimas maximaſque calamitates euaſerunt: quis enim neſcit ſuperiorum temporum tempeſtates; cui ignotum eſt, bellorum atrocitate praeclaras multas vrbes deletas, irruptioneque ſaeuiſſimarum gentium imperio ſpoliatas ciuitates, quae tantum armis valuerant, vt vniuerſum orbem ſubegerint, ac legibus moribuſque ſuis parere coegerint. Quis non audiuit nobiliſſimorum artificum opera extincta, quis non regum monimenta euerſa, immenſaſque praepotentium hominum moles, quae fulminum ictus ſaepe contempſerant, delapſas, ac vetuſtate confectas aliquando vidit, vt vix earum veſtigium extet? Cuncta igitur, quae eterna fore videbantur, turbine bellorum perculſa, longitudineque temporis diſturbata ſunt, nec potuerunt tantos tamque varios caſus tolerare, nec fortunae impetum ſuſtinere; ſola ingeniorum monimenta vis Martis frangere, temporiſque diuturnitas labefactare non potuit. Sed infinitis illa grauiſſimis caſibus reſtiterunt, in manuſq; noſtras, ſi non omnia, maior tamen meliorque ipſorum pars, peruenerunt; nam potiora ſeruata eſſe arbitrari debemus, & hoc etiam bonitatis eorum praeſtantiaeque aeui teſtimonium habemus: maius enim ſemper ſtudium diligentiamque adhibent mortales in pulchrioribus, atque vtilioribus rebus conſeruandis, & ab omni labe iniuriaque defendendis. Haec autem a ſummis ingenijs litteris prodita, è totque aduerſis caſibus virtute elapſa, materies ſunt noſtrorum ſtudiorum, in quibus primum locum poëtae, atque oratores tenent: nam Graecarum etiam Romanarumq; rerum auctores, qui omnem vetuſtatem, factaque fortiſſimorum, ac ſapientiſſimorum virorum nobis ante oculos ponunt, multum tractari a ſtudioſis harum litterarum ſolent. Poëtae autem ipſi, aut natura arteve excitati, aut diuino numine afflati, & selectu optimorum verborum, & ſuauitate numerorum, granditateque ſententiarum, omnes vndique floſculos decerpentes, ſinceras nobis voluptates, & infinitas vtilitates adferunt: hi enim perſonas certas quaſdam exprimentes, quae aut ſanctitatis, fortitudinis, ſapientiae, exemplar nobis ſint, aut ſummam improbitatem, ignauiam, ſtultitiam prae ſe ferant, mirificè nobis proſunt: Has enim contemptas paſſim ab omnibus iuſtoque odio habitas inducentes, vt ſuperiores illas imitandas, vitaque ac moribus a nobis exprimendas, ita has declinandas, omnemque illarum ſimilitudinem fugiendam docent: nemo enim neſcit finem poëtarum, & quò illi mentem conſiliumque ſuum omne dirigant: mores namque noſtros emendare, & eodem tempore animos oblectare volunt. Cum autem illi omni aetati idonei ſint, pueris in primis, & adoleſcentibus apti, atque accommodati ſunt: cum enim tenera haec aetas conſilio adhuc non valeat, nec perpeti res poſſit penitus expertes ſuauitatis, hanc viam ſapientes viri, prodeſſe illi cupientes, excogitarunt, & vtilia vitae praecepta, grauemque diſciplinam multis illecebris voluptatis miſcuerunt, & tamquam condimentis reſperſerunt, vt ita quicquid amari in ea foret occuleretur, ac totum ſuaue iucundumque redderetur. Cum autem res iucundae, ſi nihil detrimenti adferant, ad vitae noſtrae finem faciant, eaedemque è multis moleſtijs laboribuſque, quos neceſſario ſuſtinemus in vita, reficiant, ac recreent, quae temperatam, coniunctamq; iucunditatem illam cum vtilitate habent, quomodo negligendae, aut fugiendae ſunt, ac non potius toto animo expetendae, ſummoque ſtudio amplexandae? Rectè igitur olim magnaque ratione inſtitutum eſt, vt poëtae diligenter pueris declararentur, virtuteſque eorum omnes ipſis ſtudioſè indicarentur. Summae ſapientiae vir, omniumque doctrinarum magiſter Ariſtoteles, cum Alexandrum Macedonem,

cedonem, Philippi regis filium, inſtituendum a patre, omnique eleganti doctrina expoliendum accepiſſet, traditis illi ſubtilioribus etiam diſciplinis, Homerum dicitur ipſi explicaſſe, plurimaſque abſconditas alijs eius poëmatis, virtutes ei aperuiſſe. Vnde tanta illa admiratio eius poëtae in animo potentiſſimi regis nata exiſtimatur, vt ipſum ſemper comitem ſuorum bellorum haberet, & plurima inde ad rem gerendam praecepta conſiliaque caperet, fortunatóſque demum eos duceret, qui diuino ipſius ingenio celebrati, ac ſuarum virtutum eo praecone vſi forent. Oratores quoque diligenter tractandi, & in omni ſermone, ſcriptoque a nobis imitandi: cum enim omnibus temporibus, atque horis praeclaro hoc inſtrumento orationis egeamus, quo a belluis diſcrepamus, cur non ſummo ſtudio, ac diligentia illud acuamus, ac ſemper firmius validiuſque reddamus? ex oratorum autem nobiliſſimorum monimentis; & magnum ſplendorem verborum, & vbertatem ſententiarum eliciemus, & viam rationemque perdiſcemus, qua quicquid nobis commodum fuerit, ſingulis hominibus, aut multitudini ſuadere, ac diſſuadere poſſimus, vt alicuius etiam culpae falsò inſimulati, egregiè nos purgare, & aliorum improba facta aperire, ac ſubtiliter criminari valeamus; nec non ornandi quoque, & oratione noſtra celebrandi, quos laude, honoreque dignos exiſtimauerimus, magnam inde nobis facultatem comparabimus, vt turpes, ac ſceleſtos vituperandi, atque omni infamia verborum, maculiſque vitiorum aſpergendi. De hiſtoriae vtilitate ſatius eſſe puto tacere: cui enim cognitum non eſt, quanta voluptas vtilitaſque inde percipiatur? illa quidem certè tantam vim habet, vt qui ea inſtructi ſint, non tantum, quae ipſorum aetate geſta ſiot, intelligant; verum etiam praeteritae omnis memoriae facta cognita habeant, quod eſt, non ſemel vixiſſe, ſed ſaepe vita functum eſſe, ac verum huius lucis fructum immenſo tempore deguſtaſſe. Sed illa a ſummis eruditiſſimiſque ſcriptoribus copioſe laudata eſt; quorum ſententiae argumentaque illuſtri loco poſita cum omnibus pateant, non operam meam requirit, vt magis exornetur, nec voce teſtimonioque meo eget, nacta eximios laudatores. Haec igitur ſeges materiaque eſt noſtrae induſtriae, hic latus opimuſque campus veſtrorum ſtudiorum, vnde & varios flores delibetis, & vberem meſſem faciatis. Haec eſt ingenua illa oblectatio, quae cum ineuntis aetatis propria ſit, grauiorem etiam non dedecet: & hoc enim & alijs multis bonis illa praedita eſt, vt, & aetatum, & temporum, & locorum omnium, communis ſit. Non plenè tamen poteſt, ſincereque deguſtari liberalis haec voluptas, quae ex lectione antiquorum ſcriptorum capitur, niſi ab his, qui linguam eorum didicerint, ſermonemque, quo illi vſi ſunt, calleant: vnde vetus mos eſt, pueros in his ſtudijs tenere, ac primam aetatem Latina lingua imbuere: nuper autem coeptum eſt, eandem quoque Graeci ſermonis elegantia vbertateque augere, quod manifeſto declarat, cenſere prudentes viros, & harum rerum peritos non poſſe ſummorum ſcriptorum virtutes plane percipi, niſi quae illi litteris mandarint, ea ipſa lingua, qua mandarint, perlegantur: cum enim omnes ferè Graeci auctores in Latinum ſermonem verſi ſint, multo tamen magis nunc, quàm quum eorum expers ſermo ille erat, opera Graeco datur, vt imperfecta haec eorum cognitio, quae ab interpretibus traditur, potius deſiderium ipſorum in nobis excitare, perſpecto quaſi per tranſennam ſplendidiſſimo apparatu, quam ſitim extinguere, ac famem ſatiare, copia lautiſſimarum epularum queat. Nec tamen non ingenioſi, atque eruditi viri in hac parte litterarum verſati ſunt, & magnum ſtudium poſuerunt in eorum ſententijs reddendis, planeque exprimendis, quod aliqua ſanè ex parte praeſtiterunt; elegantiam tamen ipſorum, copiam verborum; lumina orationis, quibus illi ſcatent, imitari, atque adumbrare non potuerunt: perſpicere enim haec, atque in illis ipſis adnotare, non paruus labor eſt: confidere autem ſe poſſe in alium ſermonem comportare, atq; illic eadem ornamenta explicare, temerarium, atque arrogans: neque enim anguſtiores imperfectioreſque linguae, quibus ampliores ditioreſque redundant, ornamenta recipiunt, multaque politè ſubtiliterque in aliquo ſermone dicuntur, quae alio expreſſa eandem vrbanitatem non ſeruant; ſed illo ſplendore orbata, frigida ſaepe, atque inſulſa videntur. M. Cicero cum omni modo, quo poſſet, Latinum ſermonem ditare, & ingenij ſui vim, ſcientiamque bonarum artium vellet oſtentare, hanc quoque rationem transferendi in eum Graecos ſcriptores, non omiſit, itaque multa, quae a Platone, Xenophonte copioſè eleganterque de grauiſſimis rebus diſputata erant, Latinè explicare eſt aggreſſus, ad verbumque ſententias eorum omnes expreſſit. Qui ipſius labores deleti ferè cuncti ſunt, cum, vt opinor, non ſine cauſa mallent eruditi homines illa ipſa, quo ſermone tractata erant, perlegere: conuerſa autem ab omnis etiam elegantiae, ac copiae principe, atque inuentore, negligerent, vt autem ex relliquijs quibuſdam eorum intelligere licet; munere interpretis fungi Cicero cum vellet, victus difficultate eſt: neque enim reſpondent illa ceteris ipſius diuiniſſimis ſcriptis, nec ipſis vbertas, ac ſplendor, quem a genitoribus ſuis primum acceperunt, apparet. Quomodo igitur

quiſpiam, quod Cicero temporibus illis, quum vterque ſermo vigebat, praeſtare non po-
tuit, id his quibus neutrum niſi a magiſtris inculcatum, è librisve erutum habemus, prae-
clare vmquam efficiet? nam ingentis laboris, plurimarumque difficultatum, quibus pre-
muntur, quicunque in hoc ſtudio verſantur, teſtimonium etiam ſatis certum dat, quod cum
omnes ferè, qui facultatem aliquam id tentandi habuerunt, in hoc incubuerint, nulli tamen
ſatis laudati inde diſceſſere, non paucique in reprehenſiones magnas, variaſque incidere, ſa
tiſque certa indicia omnibus ſuae inſcitiae reliquere, vt mihi ſapientius feciſſe videantur,
qui cum aggredi id non ſine ingenij ſubſidijs, doctrinarumq; poſſent, & eximia linguarum
cognitione praediti forent, ſibi tamen ab eo temperarint, & neceſsitatem alijs vtilem, quan-
tum in ipſis fuit, impoſuerint, fontes ipſos adeundi, atq; inde fidelem ſcientiam hauriendi:
eodem enim tempore, & exiſtimationi ſuae proſpexerunt, & vtilitati aliorum cõſuluerunt:
velle enim eripere hoc pacto laborem ſtudioſis, eſt moleſtiam augere, & impedire, ne ali-
quando poſſint iucundiſſima lectione optimorũ ſcriptorum expleri: tunc enim verè aucto-
res ipſi cognoſcuntur, cum in ſermone ſuo, linguaq; leguntur. Linguarum autem externa-
rum cognitio, locupletiſſimarum praeſertim, iucunda mirum in modum eſt, & ingenia ho-
minum non parum exacuit; mentemq; quaſi proprijs quibuſdam earum gentium ſenſibus
conformat: vnde ſummus poëta Ennius, qui trium populorum ſermonem perceperat, cum
ſe multo ob eam rem ſapientiorem factum videret, tria ſe corda habere dicebat. Cuius etiam
laudis, gloriaeque vos, ſi vobis deeſſe nolueritis, compotes omnino eritis: quem enim a ma
tribus accipimus, vnaque cum lacte nutricum ſugimus, moleſtiam nobis nullam in perdi-
ſcendo exhibet: Latinus autem nunc adeo peruagatus eſt, vt & ipſe percipi commodè poſ-
ſit, cum aliquo ſanè labore, qui tamen & facilè toleretur, & maximis vtilitatibus cõpenſetur,
Graecus vero, qui maiorem operam requirit, quòd a nobis alienior ſit, & ipſe ob copiam li-
brorum, facultatem doctorum, voluptatem, quae in eo percipiendo, primis rudimentis tran
ſactis, elicitur, nos perterrefacere non debet. Ipſe ſanè affirmo, qui primis temporibus aeta-
tis, quum memoria in primis viget, operam ei dederint, libenter ipſum celeriterque deuo-
raturos, cum ſciam non nullos iam ſenes, qui virides, florenteſque annos alijs litteris con-
ſumpſerint, repentè eius amore correptos, tantum ipſius percepiſſe, vt magna inde auxilia
ad ſubtiliores artes melius intelligendas, obſcurioreſque locos exquiſitius expendendos,
acceperint, neque vnus, aut alter noſtris temporibus, ita ſe rurſus conformarunt, ſed plu-
res eruditiſſimi ſenes, ope ipſius ſe expoliuerunt: Quòd ſi confecti iam aetate, referti-
que copia difficillimarum rerum, locum tamen huic eleganti cognitioni dare in animo
ſuo potuerunt, qui virent annis, nullaque re obrutum animum habent, quàm auide ad ſe
rapient, penituſque in memoria recondent? Quantopere autem conducat, & ſcientiam
praeclariſſimarum omnium artium adiuuet, hinc manifeſto intelligitur; quòd hac aeta-
te nemo ferè artes libero viro dignas tenere ſe putat, niſi a Graecis ſcriptoribus ſuo i-
pſorum ſermone expreſſas acceperit: nunc enim ferè mathematici, medici, philoſophi
Graecam linguam attendunt, cumque ſuis doctoribus, non communione praeceptorum
ſolum, ſed ſocietate etiam ſermonis coniuncti ſunt. Non nulli quoque magni nominis
iuris conſulti illum perceperunt, adiumentaque inde plurima eruerunt; cum tamen no-
ſtri temporis antea iuris periti ab elegantioribus litteris abhorrerent, & cuncta orationis
ornamenta deſpicerent; & ſanè ſiqua diſciplina eſt, quae percipi commodè, ac tueri fi-
nes ſuos ſine hoc auxilio poſſit, legum cognitio haec eſt: artifices vero, quos ſupra no-
minaui, cum ab hominibus eius gentis praecepta accipiant, & artes traditas eo ſermo-
ne habeant, niſi eum deguſtarint, non vere ſe earum compotes dicere vllo pacto
queunt. Plura adhuc afferre poſſem, optimi mihique cariſſimi adoleſcentes, quibus
haec ſtudia vobis commendarem, ſed non arbitror, oportere, cum parati animo, incenſi-
que huc veneritis, longiorem me orationem in illis celebrandis, auctoritatibuſque, atque
argumentis confirmandis conſumere: quae enim dubia ſunt, maiore opera comprobari
debent, de quibus omnes conſentiunt, inanis labor eſt, conſtituere: Quis enim non in-
telligit fructus horum ſtudiorum; quod ſi voluptas ſola, remiſſioque animi inde pete-
retur, fuiſſent tamen illa expetenda, ac toto pectore perſequenda: neque enim de-
cet magni animi viros, ingenuoſque homines omnibus in rebus vtilitatem ſpectare:
nam, quin ineuntem aetatem lubricamque optimè regant, a prauiſque multis rationi-
bus abducant, nemo inficiabitur. Quod ſi nihil aliud boni, niſi hoc, inde capere-
tur; omnis, qui in illis percipiendis labor ſuſtinetur, aequo animo ferendus fuiſ-
ſet; vno certè ore cuncti veteres ſapientes non poſſe adoleſcentibus vtiliorem vl-
lam diſciplinam tradi affirmant. Vt autem ipſe antea ſemper, & nunc vos ma-
gnopere hortatus ſum, vt totis ingenij viribus in illa incumbatis; ita, quae a me pro-
ficiſci poſſunt, auxilia volo expectetis. Quae ſanè officij mei eſſe duco, perſonamque,
quam

quam ſuſtineo, poſtulare intelligo, ſine vllius admonitu ſponte amplector, volo tamen, ſemperque volui, arbitrium veſtrum de his rebus eſſe, & quaecunque grata vobis cognoro, libenter arripiam: nihil enim malo, quàm voluntatibus veſtris, probiſque deſiderijs ſatisfacere, & vt id praeſtare queam, nullum laborem, moleſtiamque recuſabo. Cum vero, fractus laboribus, aſſiduiſque vigilijs comminutus, me parem huic oneri ferendo non eſſe ſenſero, (quod vereor ne propè ſit) tunc illud deponam: alij autem firmiore corpore, vegetioreque animo ſubibunt. Vobis quidem certè culpa mea non patiar moram fieri, ne eo, quo contenditis, maturè perueniatis, curſumque eum, quem & animi inclinatione, & conſilijs parentum veſtrorum, & cohortationibus meis ingreſſi eſtis, ſecundiſſimè conficiatis.

PETRI VICTORII

ORATIO HABITA

FLORENTIAE.

MAGNOPERE me ſemper hic dies ſollicitum habuit, quum cogito, me apud tot eruditos, ingenioſoſque viros dicturum eſſe; quamquam enim alijs etiam temporibus non pauci periti homines hunc locum frequentant, hoc tamen potiſſimum die, quo totius anni ſtudia litterarum, quaſi auſpicato, initium ſumunt, magna doctorum, ac diſertorum hominum multitudo huc conuenit; quorum iudicia ſi reformido, non timidè omnino, ac ſtultè me facere arbitror. Hunc tamen omnem timorem, doctiſſimi, atque ornatiſſimi viri, quem mihi admirabilis quaedam, iuſta tamen ac vera de vobis opinio adfert, conſpectus poſtea veſter multo iucundiſſimus eripit: video enim vos mihi, ac laudibus meis amicos, vt non ſolum aequi iudices futuri ſitis, ſed etiam valde ad probandum propenſi: quare alacriore animo benignitate veſtra fretus, ad ea, quae dicenda ſunt, aggrediar. Viguerunt ſanè paucis ab hinc annis in hac vrbe ſtudia litterarum, quae domeſticis antea ſeditionibus pulſa, prorſus iacebant, ac ſingulis paenè diebus magis efflorescunt. Nam ea curricula ingeniorum excogitata ſunt, eaque ratio inita, qua ſinguli bonis artibus praediti, ſe non fruſtra in illis laboraſſe, oſtendere poſſent: Quae enim antea intra domeſticos parietes artes exercebantur, ac priuata laude contentae erant; nunc publicis in ſedibus, & tamquam theatro totius ciuitatis pertractantur, ac popularem laudem adipiſcuntur. Nec genus illud exercitationis ab hoc noſtro abhorrere, aut aliqua in re ab ipſo diſcrepare, exiſtimari debet; etſi alio ſermone ſententiae illic exponuntur, ac diſciplinae explicantur: quamuis enim linguae diuerſae ſint, res tamen eaedem ſunt; & inter ſe haec ſtudia, quemadmodum omnes ſentire arbitror, valde coniuncta. Cum autem mea praecipue cura ſit, vim Graeci, ac Latini ſermonis ſtudioſae iuuentuti explanare, ac tot dicta hoc anno ſint de diuerſarum gentium linguis, magnaeque ac meritae laudes huic noſtrae, in qua nati ſumus, tributae, mei muneris eſſe puto, de hac ipſa re aliquantulum diſputare, vt priſcarum linguarum maieſtas conſeruetur, atque huic noſtro ſermoni debitus honos habeatur. Vt reliquae res humanae imbecillae, caducaeque ſunt, ita etiam ſermo hominum interit, nec longo temporis ſpatio idem manet, quod ſi natura, quemadmodum mortalibus vocem, ac cuncta, quae ad vſum ſermonis neceſſaria erant, dedit, ita etiam eundem omnibus ſermonem tribuiſſet, eumque perpetuum, & qui corrumpi, variarique non poſſet, multis moleſtijs careremus; illa tamen, quod potuit, commodis hominum conſulens, fecit; nec tantum ipſius meritum veram vllam, ac iuſtam habet querelam: noſtro enim vitio fit, aut condicione rerum humanarum, ita poſcente, ne perfecto, abſolutoque hoc bono vtamur: non ſunt autem, quae fieri non poſſunt, poſtulanda, aut ij, qui extra noxam ſunt, ab illis, in quibus alicuius rei culpa haeret, accuſandi. Si cum externis igitur, ac remotis gentibus verſari volumus, aut praeteritas res a priſcis mortalibus geſtas ſcire, ac cognoſcere cupimus, neceſſario linguas eorum percipere cogimur; quae res magnos ſanè labores habet, non minores tamen

vtilitates apportat: omnis enim vetus memoria extingueretur, ſi cuncti hunc laborem detrectarent, noſtrique homines, praeſentibus tantum rebus cognitis, vetuſtiſque omnibus abolitis, tamquam pueri ſemper eſſent: ita enim Graecos, nouas tantum res callentes, antiquarum autem imperitos, cum Solone apud Platonem loquens antiquiſſimus Aegyptiorum ſacerdos appellauit plurimis praeterea, maximiſque commodis vita careret, ſi regionibus ſuis homines contenti, alienas terras non peragrarent, nec inde, quae ciuibus ſuis idonea ſunt, exportarent, quod ſine commercio ſermonis fieri nullo modo poteſt: neceſſarius igitur, fructuoſuſque hic labor eſt; modum tamen is quoque habere debet: neque enim omnes omnium linguae perdiſcendae, aut cuncti homines in hoc ſtudio occupandi. Saepe autem mihi diuque mecum de hac re cogitanti Graecus ſermo maximè vtilis viſus eſt: cum enim illa gens quondam imperio floruiſſet, ac magnam Europae, Aſiaeque partem occupaſſet, & colonijs etiam muniſſet, ſermo ipſius peruagatus eſt, quamuis huiuſcemodi eſſet lepore, ac copia verborum, vt, nulla neceſſitate impoſita, facile propagari poſſet: cotidieque magis dilatari. In longa igitur fortuna, qua Graecia vſa eſt, & otio, quod tot victoriae importarant, cum ingenio admodum valeret, optimis ſtudijs, atque artibus operam dare coepit, celeriterque cunctis diſciplinis ornata eſt, quas partim impigri, & ingenioſi viri, longinquis terris peragratis, inde aduexerant; partim aſſiduo ſtudio, & admirabili ſubtilitate ingeniorum excogitarant: Quid enim acuminibus ſuis inuenire non potuerunt, & omni vita, quam in ijs ſtudijs conſumpſerunt, diuini illi, ac ſapientes viri, Democritus; Anaxagoras, Parmenides, Empedocles, Xenophanes, atque alij etiam priſci phyſici, quos omnes nunc nominare non neceſſe eſt, nec non ij etiam, qui tempore ipſos conſecuti ſunt, Socrates, Plato, Xenocrates, Ariſtoteles, Theophraſtus. Breui igitur tempore Graecia cunctis bonis artibus ſcientijſque aucta eſt, quas poſtea, cum diutius coluiſſet, ſemper expoliuit; quamuis imperium alio translatum eſſet, & in noſtram hanc prouinciam importatum: Romana enim natio magna belli peritia, incredibilique fortitudine animorum praedita; quemadmodum alias gentes domuit, ita etiam Graeciam in poteſtatem ſuam redegit; neque tamen eam artes ſuas dediſcere voluit, aut grauiore, acerbioreque iugo preſſit; ſed contra ſtudia illius gentis amauit, & ab ipſa volente ea accipere conata eſt. In quo cum multi eruditi, ingenioſique viri laboraſſent, numquam perfecerunt, vt ſine Graecis vocibus, atque doctoribus res illae percipi, atque intelligi poſſent: Qui igitur Graecarum artium ſtudio tenebantur, linguam illam perdiſcebant, Graecoſque magiſtros ſibi aſciſcebant: quamuis enim Latinus ſermo, & elegans, & politus eſſet; ciuiles tamen ille melius forenſeſque res explicare poſſe, quàm aut naturales, aut dialecticas exiſtimabatur. Magnitudo tamen imperij, ac diuturnitas temporis, quo vniuerſo orbi leges dedit, fecit, vt ipſorum ſermo funderetur, ac multis prouincijs familiaris fieret; ſincerior tamen ille, puriorque cuſtoditus eſt, donec exiguis finibus contentus fuit, nec radices extra Italiam egit: quum autem in vſu externarum gentium eſſe coepit, inquinatus eſt, & naturali earum barbaria conſpurcatus: nam quum in vrbem Romam recepta eſt peregrinitas, non parum Latinus ſermo dignitatis amiſit: Brachatis autem poſtea, Tranſalpiniſque nationibus infuſis, vt optimi auctores locuti ſunt, omnis ille vetus lepos, & linguae ipſius candor extinctus eſt; quantoque magis mos ille ciuitatem longinquis gentibus dandi viguit, tanto magis puriſſimus ſermo foedatus eſt: nam peregrini, barbarique homines, peregrinas, ac barbaras voces inuehebant, donec Romanorum imperatorum ignauia (in quibus etiam antea ex magna parte huius incommodi culpa haerebat) Latinus ſermo penitus extinctus eſt: eum enim illi imperium tueri non poſſent, nec armis Italiam contra immaniſſimas gentes defendere, amiſſa ſede ſua, ſermo etiam interijt. Cum autem nunc hae, nunc illae gentes Italiam conculcarent, ac non nullae etiam ingenti multitudine magnam ipſius partem occuparent, diutiuſque in ipſa dominarentur, factum eſt, vt multas ſuas voces relinquerent: neceſſario enim homines potentiorũ, quorumque in ditione ſunt, linguam perdiſcunt, ac ſuam licet elegantiorem, obliuiſcuntur: nam omni dignitate ſpoliati, cunctiſque alijs bonis exuti, aequo animo linguae ipſius maieſtatem eripi ſibi patiuntur. inde etiam belli calamitas, & quot mala ſecum vehat, cognoſci potuit: nam quae paulo antea lingua cupide a longinquis hominibus expetebatur, & ſummo ſtudio ab omnibus perdiſcebatur, repente a ſuis hominibus, & qui primo ortu eam familiarem habebant, negligi coepit, & cum agreſti, rudique commutari: Neque tamen non aliqua vetera vocabula retenta ſunt: magna enim vis eſt patrij ſoli, verum illa quoque non parum deprauata, & ita cum peregrinis barbariſque permixta, vt vix agnoſci poſſint. In tanto igitur motu rerum omnibus concuſſis, ac perturbatis, cum miſera haec regio, antea fortunatiſſima, aliquot ſeculis poſt meliore fortuna vti coepiſſet; nec tot bellis tumultibuſque vexaretur; noua repente rerum facies apparuit: nam cum

antea vno impetio omnia tenerentur, tunc ſingnli italiae populi parere recuſabant, ac ſuis legibus viuere contendebant; cumque vnus idemque ſermo omnibus ciuitatibus, Italiaeque incolis in vſu quondam eſſet, tantopere ille breui variatus eſt, vt plures, diuerſique inter ſe merito viderentur: quae enim loca maius cum barbaris hominibus commercinm habuerant, & in quibus illi diutius conſederant, magis corrupto ſermone vtebantur: nam magnae etiam relliquiae barbarorum reſtiterant, & aut cum Italis hominibus ſanguine conſociatae erant, aut ſolae adhuc ſuis moribus, ac legibus alicubi viuebant. Eſt igitur in quo nos Deo immortali gratias agamus; qui in tanta ſermonis colluuie, & cum barbaris hominibus coniunctione, minus ſpurcato, faedoque praeter alios vtimur: quamuis enim omne veteris illius decus interierit, abiecteque homines, ſeruiliterque ſuperioribus ſeculis, vt neceſſe erat, in tanta temporum iniquitate locuti ſint, noſter tameu ſuauior politiorque ſeruatus eſt, quod aut caeli benignitate, aut regionis ſitu aſperitateque factum eſt, quamuis non parua laus etiam tribui debeat maioribus illis noſtris Florentinis poëtis, qui labore, & induſtria ſua eum expoliuerunt, & ex magno aceruo, inconditoque vocabulorum elegantiora, ſplendidioraque ſtudioſe collegerunt. Verum etiam opera illorum in Latino quoque ſermone enituit, qui cum ex ore hominum conſuetudineque euolaſſet, ex libris quoque, ac cartis deletus eſſet, niſi illi ſtudio, ac diligentia ſua huic malo ſubueniſſent. Quo magis amandi optimi, ac ſapientiſſimi viri ſunt, ac ſummis laudibus in caelum tollendi, qui nouum ſermonem ornarunt, & veterem tam nobilem, elegantemque in vita retinuerunt. Quemadmodum autem omnes in Latino ſermone fouendo occupati fuerunt, ita etiam ex eo numero fuit, qui Graecum deguſtarit, & vtilitatem, quae ex eo capi poſſet, cognorit. Nam è Graecia litteratum hominem euocauit, optimique poëtae partem ab eo audiuit, ac multis, vt linguam eam perdiſcerent, auctor fuit: Quamuis enim non pauci poſtea opera, & induſtria ſua vtrumque ſermonem enixe adiuuerint, & in eum locum adduxerint, vt mirari omnes debeamus, illis tamen, qui fons, origoque huius boni extiterunt, gratia habenda eſt. Graecus ſanè ſermo tunc, & ipſe a vetere valde degenerauerat. Erant tamen adhuc nobiles Graeciae ciuitates, quae antiqua ſtudia recolebant, nec tantopere, niſi fallor, optimae diſciplinae in illis extinctae erant: id autem non multo poſt manifeſtum fieri potuit: nam a ſaeuiſſimo hoſte illis vrbibus captis, docti multi, & eruditi viri, ex impetu belli elapſi, huc ſe effuderunt, & bonas ſecum artes, magnamque peritiam eius ſermonis vexerunt. Hae ſunt linguae (poſtquam ortum illarum, progreſſumque narrauimus) quae nunc maiore in honore habentur: nam ex veteribus alia etiam aliquam vtilitatem haber, ex nouis vero nulla praeter hanc noſtram digna habetur, cui aut rerum memoria, aut humanae ingenuaeque artes committantur. Vt autem, quid noſtri iudicij de ipſis ſit, aperiamus, ab antiquiore copioſioreque ordiemur. Quanta voluptas, vtilitaſque ex Graeco ſermone capiatur, perſpicuum eſt: omnis enim doctrina liberalis, omnis hiſtoria, omnis vrbanitas eo perſcripta eſt; in illo oratores, medici, poetae, mathematici, philoſophi floruerunt, & quae ab alijs gentibus poſt in ijs artibus percepta ſunt, ex Graecis libris emanarunt: quanto antem vberius illa meliuſque ea lingua exponantur, neminem ignorare arbitror. Labor igitur, qui in ea perdiſcenda capitur, magnis commodis compenſatur, neque tamen oportet de hoc longius diſſerere: nam omnibus hoc ferè hodie inſitum eſt, neminem poſſe in quauis arte eruditum appellari, qui Graeci ſermonis expers ſit, certatimque omnes eum perdiſcunt, cum ſuperioribus temporibus pauci ex magno numero ſtudioſorum litteris Graecis incumberent. Latinum etiam multos bonoſque auctores habere conſtat, quamuis artium ſcientiarumque ſcriptores, niſi ex Graecis tranſlatos non habeat, magnus tamen eſt ornatus eius ſermonis, magna elegantia, plurimaſque, ac maximas vtilitates adferre poteſt: nam in vſu ferè Tranſalpinarum omnium gentium eſt; cotidieque apud illas purior ſinceriorque fit: Itali enim homines iampridem hanc palmam conſecuti ſunt: quae autem eo ſcripta ſunt, in omnibus paenè gentibus leguntur; cunctis certè regionibus, quae Chriſti legibus parent, communia ſunt. Noſter vero, ſi elegantiae ipſius, candorique fortuna reſponderit, vetuſtis illis non cedet: eſt enim omnis ornatus capax; inops tamen adhuc eſt, & ſuis exiguis ſanè finibus continetur, aut ſi radices in proximum ſolum egit, de ipſo cum vicinis populis in contentionem venimus. De hoc tamen, & plura iam dicta ſunt ab eruditis, & ingenioſis viris, ac ſaepe dicentur: quare in eo ornando non diutius commorabor; quamuis amore ipſius flagrem, & patrij ſermonis laudibus, quemadmodum par eſt, magnopere delecter, ad id potius, in quo mihi cum illis conuenit, tranſibo; ac non nulla de Graeco Latinoque diſputabo: Vnam eſſe rationem huius noſtri augendi, atque expoliendi ipſius amatores fatentur, ſi Graeci Latinique ſcriptores in eum transferantur, ac lumina

quoque orationis, quibus abundant, inde ſumantur: non poteſt autem hoc fieri ab ijs, qui ipſos optime non teneant: ita alias etiam maximas vtilitates res habet, vt ſupra oſtendimus: nam bene veterum ſcriptorum ſententiae percipi non poſſunt, niſi, qua lingua ab ipſis expoſitae ſunt, legantur, & quod a Romanis hominibus in tantis opibus, tantoque imperio obtineri non potuit, vt ſine Graecorum lingua ſapientiae ſtuderent, ceteriſque praeclaris artibus, ac diſciplinis erudirentur, quomodo nos adipiſci poſſimus, videndum eſt. Niſi autem maiores noſtri toto pectore Latino, Graecoque ſermoni ſtuduiſſent; atque illos pereuntes, ac propè omnibus oblitos induſtria, ac labore ſuo reuocaſſent, omnes fortaſſe artes, ſcientiaeque tot ſeculis inuentae, breui ſpatio temporis concidiſſent; omniſque vetus memoria extincta eſſet, quo damno maius nullum fingi, excogitarique poteſt: lingua enim alicuius populi amiſſa, res etiam ab eo geſtae amittuntur. Vt vetuſtiora nunc relinquamus, non ne putamus Carthaginienſes in tanta fortuna, tantoque imperio, praeclara multa domi militiaeque geſſiſſe; quae ſuis ipſorum ſcriptoribus copioſe expoſita eſſent; eandemque acutiſſimam omnibuſque opibus florentiſſimam gentem non ingenuas artes familiares habuiſſe? illa autem omnia, ita abolita ſunt, vt veſtigium eorum nullum appareat. Quid de Etruſcis dicam? qui hanc ipſam regionem incolebant, ac bellicis quoque rebus florebant, nec non optimas artes domi exercebant, non ne ſermone illorum deleto, cuncta deleta ſunt, ac nihil nobis obſcurius eſt eaſdem ſedes incolentibus, quam quid ab illis, dum imperio potiebantur, geſtum ſit: nam optimis legibus ipſos vixiſſe, ac diuinam, eandemque humanis rebus vtiliſſimam diſciplinam calluiſſe, notum eſt; quod ſi eadem negligentia maiores noſtri in Graeco, Latinoque vſi eſſent, qua in ijs priſci illi fecerunt, magnae tenebrae conſecutae forent, nihilque nobis ſtultius, agreſtioſque nunc eſſet. Quare, & illi laudandi, & noſtri homines excitandi; vt, quod ab illis inceptum eſt, perficiant: nam hoc etiam ad hanc rem amplexandam cohortari debet, quod multo minore labore nos, quam patres noſtri hoc conſequemur: illorum enim labores hunc nobis laborem minuerunt; nec non magna copia librorum, quibus illi carebant, abundamus. Quod autem è tenebris erutum, magnaque in luce collocatum eſt, retinere non poſſe, ignauiaque rurſus obſcurari pati, acerbum eſt. Sed cum vos conſpicor, optimi, ac studioſiſſimi adoleſcentes, nullo modo vos hoc commiſſuros puto: magnam enim haec res vobis labem dedecuſque importaret: vos autem ad laudem gloriamque nati eſtis. Vos ne praeclara naturae munera, admirabileſque ingenij dotes, vobis a Deo immortali traditas, torpore deſidiaque corrumpi patiemini? Vos magna illa auxilia a maioribus veſtris, ad hanc rem parta, irrita facietis? Vos principis domus, diuina beneficia inertia veſtra extinguetis? Vobis enim multitudo illa Graecorum, Latinorumque librorum comparata eſt. Vobis in totius Europae angulis libri conquiſiti. Vobis tanto ſtudio diligentiaque doctiſſimorum hominum è Graeciae ruinis incendijſque erepti. Nec non vobis tot tamque magnificae ſedes, in quibus collocentur, conſtructae. Vt igitur hanc inſignem notam turpitudinis effugiatis, atque animum optimis artibus excolatis, toto pectore his ſtudijs incumbite, & hunc, quicunque in ipſis ſuſtinetur, laborem contemnite: neque enim aetatem iſtam decet, laborem maximè reformidare; nec ſine illo quicquam vllo tempore, quod praeclarum honeſtumque eſſet, geſtum eſt. Nos certè vobis, quantum in nobis erit, non deerimus: ſumus enim veſtrarum laudum ita cupidi, vt non ſolum, dum omni laude vos cumulatos videamus, nullum laborem recuſaturi ſimus, ſed etiam noſtras (ſi modo aliquae noſtrae ſunt in his ſtudijs vllo tempore partae) libenter in vos effuſuri ſimus.

PETRI VICTORII ORATIO HABITA FLORENTIAE.

CVM quieſcendi iam tempus foret, probi adoleſcentes: vobiſcum enim ſermonem inſtituam, conceſſu horum honeſtorum virorum; in primiſque praefecti huius gymnaſij, ingenioſiſſimi, atque eruditiſſimi iuuenis, poſſemque labori huic meo pudenter veniam poſtulare: aſſiduitate namque operae meae Latinum; Graecumque ſermonem in animos veſtros inſerueram, & dicendi artem, poëtarumque ſtudium explicaram; eoque iam rem deduxeram, vt non deeſſent, qui, inſtructi a me maiore otio, acriore que ſtudio vſi, poſſent hoc onus ſubire; nouaeque ſoboli, & ad has litteras ſe applicanti iuuentuti, praeclare conſulere; immutata nunc ratione muneris mei, grauiorumque artium tractatione, noua exorior, & altius iter ingredi incipio; quod vtinam perficere poſſim, &, comitantibus vobis, ad propoſitum mihi finem commodorum veſtrorum peruenire. Si enim humanarum rerum euolutio iucunda vobis fuit, nec paruos fructus tulit, haec grauioris diſciplinae cognitio, ſolidiorem voluptatem, maioreſque multo vtilitates apportabit. Ipſe ſanè non inficiabor (aperti enim ingenij, ſimpliciſque ſemper fui) me vitio illo, quo humana natura laborare conſueuit, impediri ſolitum: earundem enim rerum tractatio, tam longaque in illis docendis occupatio faſtidij multum importarat, taedioque animum meum affecerat; vincebat tamen naturalem hanc labem vinculum, quo tenebar, voluntaſque officij huius praeſtandi, cum mirifico quodam vobis ſatisfaciendi deſiderio coniuncta, ſatietati occurrebat. Nunc vero varietas haec, immutatioque ſtudiorum animum moleſtia liberabit, vegetumque ad nouos labores efficiet; ſed non tantum commune hoc vitium languidiorem me reddebat, nouitatiſque deſiderium in pectore excitarat; verumetiam aetas iam ingraueſcens, & ab ijs rebus, quae honeſte etiam pueritiam oblectare poſſunt, aliena me inde reuocabat, & animum miro quodam amore ſanctioris alicuius, ſubtilioriſque doctrinae incendebat: honeſti vero huius deſiderij ſtimuli eo acriores erant, quod ſincerae illius, liquidaeque voluptatis, quae percipitur ex contemplatione rerum pulcherrimarum rudis, ieiunuſque non eram: cum enim ad vos labore, induſtriaque mea erudiendos, & liberali omni, atque ingenua diſciplina poliendos acceſſi, inde profectus ſum, & è media philoſophia arreptus. Tantopere me autem ceperat grauium illarum rerum cognitio, adeoque animum deſiderio ſui inflammarat, vt ardor ille numquam extinctus ſit, nec vllo tempore penitus ab ea abſtrahi potuerim; ſed cum ratio ſuſcepti negotij paſſa eſt, libenter eo reſpexi; quodque vacui temporis nactus ſum, in ſtudijs illis recolendis omne conſumpſi, ſimulque inde ſemper aliquid ad vos erudiendos, munuſq; hoc meum exornandum idoneum duxi, quod facile ſingulis paenè diebus animaduertere potuiſtis: nunc vero, multis rebus hortantibus, eodem reuertens, diuturnam ſitim explebo, &, vt copioſe vos ex eodem fonte bibatis, operam dabo. Vt ipſe igitur huc alacer, ſpeique plenus venio, ita cupio vos promptos, ſanctaeque huic ſcientiae hauriendae paratos inuenire; quod ſi mihi tribueritis, auideque optima haec praecepta imbiberitis, confido, vos breui tales euaſuros, vt omnis probitatis, ac modeſtiae exemplum futuri ſitis: neque enim vos cognitione illorum, accurataque perceptione contentos futuros puto, ſed cuncta veſtra facta, vitamque ad illa accommodaturos. Hic enim verus fructus eſt horum librorum, vt auctorem ipſum hoc tradentem, & clara voce praecipientem, cito audietis. Sed, quia ſpero, vos omnia facturos, ac veſtras partes impigre executuros, de ipſa iam ratione horum ſtudiorum aliquantulum diſputabo. Antiqui illi, ſapientes viri (quamuis ipſi inuidiam huius nominis declinantes, ſe ſtudioſos ſapientiae, cuius amore flagrabant, non ſapientes, tamquam illius iam compotes, appellarent) ſtudium illud ſuum, quod vitae noſtrae ornandae aptiſſimum eſt, in tres partes diuidebant; quarum vna eſſet de vita, ac moribus, quae virtutem perſequeretur, ac vitia expelleret; altera de natura, in rebus ipſius occultis indagandis, occupata; tertia de Dijs immortalibus, ac praeſtantibus illis, aeterniſque naturis; quamuis etiam non deeſſent, qui tertium

locum tenere rationem diſſerendi, & quid verum, ac falſum eſſet, in oratione iudicandi, cenſerent: nam germani peripatetici, & qui iudicia, ſententiaſque optimi auctoris ſequuntur, non partem hanc, ſed inſtrumentum philoſophiae exiſtimarunt; huiuſcemodique illam eſſe firmis multis, acutiſque rationibus docuerunt, ijdemque non contenti parum diſtincta veterum partitione, articulatim eam conciderunt, pluraque ipſius membra excogitarunt. Prima autem illa pars bene viuendi, quae plures poſtea cultores habuit a Pythagora primum orta eſt: princeps namque ille de virtute egit, ad eamque ſummo ſtudio cohortatus eſt. Vt autem auctoritatem ipſius ſecuti multi mortales, totos ſe virtuti colendae tradiderunt, ita ſententiam eiuſdem, qui numerum ipſam eſſe voluit, eruditi viri non probarunt. Poſt illum autem natus Socrates copioſius, planiuſque eam explicauit; nec deſtitit vnquam omni vita ipſam pertractare: alter enim bonam partem ſuarum cogitationum in mathematicas deriuarat. Reliqui vero omnes, qui aetate Socratem anteceſſerunt, cum ſcientia rerum pulcherrimarum delectarentur, atque in ijs ſtudijs tempus omne conſumerent, aut in naturae rebus abditis inquirendis, aut in ſiderum curſu, aut in numeris, aut in ſonoribus, aut in menſuris verſati ſunt; Socrates philoſophiam penitus inde remouit, & ad vitam communem traduxit, non quod earum rerum cognitionem deſpiceret; ſed quia maius, quam oportebat, ſtudium in illis poni intelligeret: obſcuritatem enim ipſarum eam operam requirere, quae ſi tribuatur, neceſſario magis ad nos pertinentia, & ad bene viuendum facientia, negligantur; cum enim videret, vitam noſtram multis perturbationibus refertam, & tamquam procellis quibuſdam vexatam, antea iudicabat, ſummo ſtudio eſſe omnia, quae in nobis forent, perſpicienda, atque omni labe, vitioque animum purgandum, quod cum magni negotij eſſet: contemptum autem grauia incommoda importaret, non differendam hanc operam putabat, nec ſtudium rerum a noſtra intelligentia remotarum, cognitioni bonarum, ac malarum rerum, quae magnopere ad vitam conferunt, anteponendum arbitrabatur: omnem enim curam adhibendam, vt ſpatium hoc aeui, quod victuri ſumus, bene beateque traducamus; quod ſtatim fieri putabat, vt aliquis virtutis vim, naturamque percepiſſet. Cum enim virtutes, ſcientias eſſe cenſeret; quod in omnibus eius generis vſu venire videbat, idem etiam in virtutibus contingere affirmabat: cognita enim ſcientia quapiam, ſubito aliquis inde recte appellatur: qui namque medicinae praecepta, vimque didicerit, ilico eſt medicus; vt geometra etiam, qui rationem eius ſcientiae cognorit; peritus aſtrorum, qui motus ſtellarum, ortuſq; atque obitus earum intellexerit; cum probus homo virtutumq; compos vere vocari non poſſit, qui vſum cognitioni non addiderit, nec quomodo illae, quibuſq; ex rebus gignantur, acceperit; neq; enim, qui iuſtitiae naturam nouit, ſtatim iuſtus eſt, vt noſter, qui acutius vidit, atq; has res magis illuſtrauit, exiſtimat. ſtudia enim, & quaſi conſuetudinē adiungi oportere affirmat, & exercitationis aſſiduitate ipſas conformari, vt ſine vſu omnis illarum perceptio inanis, atq; irrita ſit. Socrates igitur partem hāc philoſophiae multum tractauit, honoremq; illi magnū acquiſiuit, cuius copioſos, varioſq; ſermones auditores ipſius, doctiſſimi & eloquentiſſimi viri, litteris mandarunt; qui cum ita inſtituti forent, & eius ſententiae optimum ducem habuiſſent, quamuis non totos ſe ad res bonas, malaſque explicandas contuliſſent, tamen & ipſi multum ſtudij in ea philoſophia poſuere, ac mores, vitamque hominum toto pectore expoliuere. Primum autem locum in his tenuerunt Aeſchines, Xenophonque, Athenienſes ambo, qui tamen a doctore ſuo, auctoreque diſciplinae, Socratici poſtea vocati ſunt, nec non qui doctrina, & facultate hos etiam ipſos ſuperauit, eiuſdem oppidi ciuis, & miro quodam amore, fideque erga magiſtrum praeditus, Plato. Poſteriorum autem duorum ſcripta politiſſima extant, cum Aeſchinis libri, atque elegantiſſimi ſermones, vt aliorum etiam, qui eandem ſectam ſecuti ſunt, perierint. Qui vero poſtea ex eodem fonte fluxerunt, vt hic noſter, qui & ipſum audiuit, & extincto illo, Platoni ſe in diſciplinam dedit, maiorem operam in natura inueſtiganda poſuerunt, nec tamen partem hanc philoſophiae maxime neceſſariam, omiſerunt, excepto Stratone, qui penitus ipſam deſeruit, vt ea etiam de cauſa phyſicus appellatus ſit: nam in hoc etiam doctorem ſuum imitatus eſt Theophraſtus, & vberem hunc agrum ſumma diligentia, ac labore coluit, quamuis a quibuſdam inſimulatus ſit, tamquam virtutis robur fregerit, neruoſque ipſius omnes eliſerit, quod nimis quam ferri poſſet, fortunae tribuerit, & in humanis rebus ſummam ipſius poteſtatem eſſe affirmarit. Sed ijs nunc relictis, quorum ſcripta amiſſa ſunt, Ariſtoteles, qui diuinitate ingenij ex multiplici cognitione rerum omnibus praeſtitit, ſolus huic rei ſatis erit, vt ad omne officij genus nos inſtruat: cuncta enim, quae ad expetendas, & fugiendas res pertinent, accurate copioſeque perſecutus eſt: cum enim de optimo reip. ſtatu ſcribere vellet, ac ſtratū ipſius, ciues eſſe intelligeret, propoſito ſibi fine illo, ac ſcopo, antea mores hominum informauit; &, quae ſequenda, quaeque declinanda forent in vi-

ta,

a, diligenter explanauit, neque hoc vno tantum opere tractauit, ſed diuerſo conſilio, & ordine, varijs temporibus, de iiſdem rebus accurate perſcripſit: vt enim ſermones, quos ἐξωτερικοὺς appellauit, populariter ſcripti forent, & ad eos etiam alienos admitteret, relinquam: duo qui adhuc extant libri, ac μεγάλα ἠθικὰ vocantur, omnem & ipſi hanc materiem explicatam continent, quamuis breuius omnia, conciſiuſque illic tradita ſint, ac tamquam compendium huius diſciplinae merito haberi debeant. Illi vero, quos ad Endemum Cyprium, ſodalem ſuum miſit, vberius totam hanc rem perſequuntur, qui libri, niſi iniuria temporum, negligentiaque hominum tam male habiti forent, magnam per ſe vtilitatem adferrent, atque intelligentiam quoque horum, qui nunc manibus omnium teruntur, non parum adiuuarent, quippe qui ne nunc quidem, licet manci, ac decurtati, inutiles ſint. Quos vero ad filium Nicomachum ſcripſit, plenam abſolutamque hanc ſcientiam continere putantur; vnde etiam maiore in honore ſemper habiti ſunt, atque alijs omnibus praepoſiti, quamuis inde etiam teſtimonia citent veteres ſcriptores, ac veros germanoſque ipſius eſſe fateantur: ad filium autem, ſummo conſilio vſus, eos ſcripſit, ab ipſoque appellari voluit, vt cariores illi commendatioreſque forent: qua enim de re potius pater filio, quam de rebus bonis, ac malis praecipiat, vt has ſequatur in vita, illas fugiat. Ipſum vero Cicero imitatus eſt, qui libros ſuos de officijs, quibus admonuit, quomodo nos cum priuatis perſonis, & erga remp. gerere debeamus, & ipſe ad M. filium miſit, atque eius nomine inſcripſit, vt ipſos magis diligeret, atque ita frequenti eorum lectione mores ſuos ornaret, quamuis in hoc ſequendus Cicero non videatur, quod contra receptam, communemq; Graecorum opinionem, a Nicomacho Ariſtotelis filio ſcriptos, non ad ipſum a patre miſſos putauit: iudicij huius ſui ſatis inanem cauſam adferens, quod non videret, cur ſimilis patri filius eſſe non potuerit. Index autem librorum, Nicomachi illos eſſe oſtendens, hoc videretur ſignificare. Recte igitur, & ipſe feciſſe exiſtimari debeo, qui vos, quos liberorum loco, fratrumque habeo, inſtituere, atque omni morum elegantia exornare cupiens, huic ipſi muneri publice praepoſitus, horum librorum declarationem ſumpſi, qui filio informando a parente, ſummo doctore, ſcripti ſunt; doctrinae namque excellentiam, atque ingenij abundantiam, non parum etiam patrius amor, charitaſque liberorum adiuniſſe credi debet, cum ſe ipſum etiam viciſſe in perfectione huius operis Ariſtoteles videatur: quamuis enim ſubtiliores multo res, obſcurioreſque alijs voluminibus docuerit; fructus tamen, qui hinc capiuntur, non minores habendi ſunt, ordoque praeceptorum, & deſcriptio diſciplinae magnitudinem illius ingenij redolet, vt non defuerint etiam huius aetatis eruditi viri, atq; illa omni difficiliore naturae cognitione imbuti, qui tamen elegantiam, abſolutionemq; horum librorum admirantes, nec è manibus vnquam dimittentes, fieri poſſe non putarent, atque id etiam ſaepe praedicarent, vt qui diligenter ipſos legerit, non ita virtutis amore incendatur, vt toto animo eam complectatur, ac bonus vir, ſpretis illecebris vitiorum, fiat. Hos igitur ipſos tantopere omnibus probatos, ac teſtimonio doctiſſimorum hominum valde laudatos, accurate interpretabimur; &, cum primus, veruſque eorum fructus futurus ſit expolitio vitae (huic enim ipſi incumbendum ante omnia eſt) non aberunt tamen inde quoque vtilitates aliae noo paruae: admirabilis enim quaedam copia ſermonis, atque elegantia eſt horum librorum: fuit enim eloquentiſſimus vir, politiſſimuſque ſcriptor Ariſtoteles, Atticaeque in primis linguae ſtudioſus: cum autem acutioribus in libris, quibus naturam eonluit, difficultate rerum impeditus, iodulgere ſermonis vbertati, ornatuique verborum non potuerit, io harum rerum expoſitione, concedente id materiae varietate, vel potius adiuuante, omnes ingenij vires effudit, ac res, ſua vi ſatis politas, vbereſque, omni copia verborum ornatuque decorauit: nam, quod leporis etiam, ſuauitatiſque non parum in ſe habet, & verſibus poëtarum, & acutis vocibus ingenioſorum virorum, & clariſſimis exemplis haec omnia diſtincta, illuſtrataque ſunt, quo facilius animi lectorum oblectari poſſint, ac iucunditate horum coodimentorum in graui hac ſeueraque diſciplina contineri. Non valde igitur primo a praeterita ratione veſtrorum ſtudiorum diſceſſiſſe videbimini, voluptatemq; inde incredibilem capietis: iidem tameo poſtea fertiliorem campom peragraſſe, vos liquido intelligetis. Quod vero ad me attinet, ſi aſſiduitatem, induſtriamque meam aliquando vidiſtis, ſpero, vos in hac re ſtudium ſedulitatemq; cognituros: quantum enim ingenio conniti potero, quantum labore, diligentiaque contendere, totum in hanc rem conferam, atque vtilitatibus veſtris toto pectore ſeruiam, quod cum officij gratia, muneriſque obeundi, cui deſtinatus ſum, efficere debeo, tum libentius id praeſtabo, quia mirifice rebus ipſis delector, nec librorum horum euolutione ſatiari vnquam poſſum. Adiuuabit enim haec quoque res (niſi fallor) operam meam; amorque, quo incredibili teneor huius diſciplinae, ingenium exacuet, ac fortaſſe, quae aliter mihi in mentem non veniſſent, nec videri a me vlla ratione potuiſſent, hac de cauſa ſe mihi offerent, facilemque ſui cognitionem prae-

bebunt: multum enim valet ad aliquid peragendum, id ex animo aggredi, & cum quadam voluptate tractare, nihilque eſt, quod ad exitum perduci non poſſit ab eo, qui incenſus amore id agat; ac toto animo in ea cogitatione verſetur. Cuncta igitur, quae olim ab erudito viro accepi, cum hoc ipſo in loco hanc ſcientiam explicaret, ac ſenſus Ariſtotelis, quo conſilio hoc, aut illud dixiſſet, oſtenderet. nec non quae a Graecis, Latiniſque interpretibus eruere licebit, cui rei diligenter operam dabo, & ſiqua etiam è veteribus meis vigilijs, accurataque horum librorum lectione promam, nouaque hac attentiore ipſorum retractatione, effundam, atque in vſum veſtrum transferam; quod ſi praeſtare potuero, nec vires huic egregiae voluntati defuerint, praeclare operam meam me poſuiſſe putabo; laetitiaque ingenti afficiar: quid enim melius in vita efficere queam, cui rei magis ſtudere debeam? quam ciues meos erudire, quo meliores ſint, & priuatis, publiciſque rebus obeundis commodiores? In quo denique, dum animi vires corporiſque ferunt, potius euigilare, quam honeſtae huius, vtiliſque diſciplinae ſemen ita ſpargere, vt firmas radices hic agat: nec facile poſtea euelli, extirparique vlla ratione queat: nec enim ſe veris legibus in vobis a rebus turpibus coercendis, ad honeſtaſque impellendis, hac doctrina inſtructis, opus erit; ſed ſponte, & cum voluptate quadam animi ea geretis; quae reliqui metu paenae coacti aegre faciunt, & ab omni libidine, iniuriaque animum reuocabitis. Quod ſi inſtitutio haec vtilis vmquam fuit, hoc ipſo tempore, cum ſeueritas maiorum noſtrorum, tantopereque tota Italia celebrata diſciplina, dilabitur, ac paenè iam è manibus effluxit, neceſſaria eſt: tunc enim potiſſimum remedia adhibenda ſunt, atque omnes obices vndique opponendi, cum maior vis morbi inceſſit, & quaſi tempeſtas quaedam vitiorum erupit, omniaque labe ſua madefecit. Cum autem reip. Princeps, noſtrae ſalutis valde ſtudioſus magnitudinem damni intelligens, multis modis atroci huic malo occurrat, voluit etiam a me huic rei operam dari, a teneriſque annis animos veſtros excoli, ne in vobis poſtea emendandis, in malis iam moribus, prauiſque opinionibus corroboratis, legum praeſidio, animaduerſioneque opus ſit: mauult enim, vt clemens medicus, valentes integraſque corporis huius partes ſeruare, quam vitioſas iam, tabidaſque factas acrioribus remedijs neceſſario cogi ſanare. Qui natura igitur, ita procreati ſunt, vt ſemina virtutum aliqua in ſe habeant, optimis his praeceptis imbuti, nullo negotio expolientur, ac perfecti homines euadent; qui verò a primo ortu, ita facti non ſunt, audita ratione hac, virtutiſque pulchritudine cognita, paulatim ipſam diligere incipient: legum autem poſtea hortationibus, miniſque additis, in officio continebuntur. Reſtat igitur, ſi animi veſtri integritatem caram habetis, ſi ſecuram vitam degere, & ab omni errore, perturbationeq; vacuam cogitatis, vt diſciplinam hanc auido arripiatis, totoſque vos ad ipſius praecepta, normamque conformetis: nam praeterquam quod, ſi hoc feceritis, magnam inde laudem, opinionemque probitatis auferetis, ſolidam etiam, puramque ex his inſtitutis, ac factis voluptatem haurietis: ceterae enim, quae aetatem iſtam plerumque capere conſueuerunt, inanes fragileſque ſunt, ac ſaepius dolores, & moleſtias pariunt; temporeque tandem, quum damnum acceptum eſt, quales fuerint, cognoſcuntur: nihil enim ſinceri in ſe habent, cum contra hae, praeſentes iuuent, in poſterumq; ſemper veriora gaudia procreent, ac nullam denique partem aegritudinis admixtam habeant. Reliquas vero vtilitates, quae hinc maximae elicientur, ſupraque a me breui tactae ſunt, non oportet commemorare: quamuis enim negligendae illae nullo modo ſint, iacent tamen, anguſtaeque ſunt prae fructu, qui ex hac ſui conformatione colligitur: quis enim linguae cultus, quae ſermonis vbertas, quae argutorum dictorum, exemplorumque expoſitio conferri poteſt cum copia, grauitateque ſententiarum ad vitam corrigendam accommodatarum? vt enim illae politum hominem, diſertumque reddunt, ita hae, ſi cognitae fuerint, vſuque ac conſuetudine confirmatae, beatum efficient: qui enim virtutis vim nouit, illique in vita obtemperat, vere beatus eſt: beatitudinem autem hanc nos ſemper ante oculos habere oportere, eoque omnia noſtra facta dirigere, vt ad finem, ac maximum noſtrorum bonorum, conſtat. Praebete igitur, optimi adoleſcentes, humani finis conſequendi ſpe excitati, vos mihi attentos: non parua enim ex parte, vt tam eximium bonum adipiſcamini, in vobis poſitum eſt; & cuncta a me, quae optari poſſunt a cupido veſtrorum commodorum, expectate: nihil enim eorum, quae a me proficiſci debent ad hoc praeſtantiſſimum opus efficiendum, patiar deſiderari: ingenij namque imbecillitatem, doctrinae mediocritatem diligentia, ac vigilijs compenſabo; cupiditaſque vos adiuuandi (qua toto animo ardeo) omnes, vt ſpero, difficultates ſuperabit.

PETRI VICTORII

ORATIO HABITA

AD IVLIVM III.

Initio Pontificatus ipſius, quum Ducis ſui nomine vnà cum alijs quinque nobiliſſimis viris orator ad eum miſſus eſt.

LEGEM hanc veterem, quam ſapientiſſimus Pontifex, ac dignitatis reip. otijque amantiſſimus Chriſtianis populis tulit, vt iudicijs huius ordinis in Pont. Max. creando ſtarent, ad auctoritatemque ſe ſubito ſacroſanctae ſedis conferrent, ſedulo ſemper maiores noſtri obſeruarunt: neque praeterea officium ſuum deſiderari in tanta omnium regum gentiumque gratulatione voluerunt; ac libenter quoque vires ſuas ad maieſtatem huius reip. defendendam, nouaque ſemper ipſi ornamenta acquirenda polliciti ſunt. Quamquam maioribus praeſidijs illa regitur, ac Dei Opt. Max. numine ab omnibus inſidijs aduerſariorum defenditur. Nec tamen non humanis opibus aliquando armiſque contra ſceleratos, atque impios hoſtes viſa eſt eguiſſe. Quibus aduerſis ipſius temporibus ijdem illi maiores noſtri muneri ſuo non defuere, ſed ſe ipſos, ſalutemque ſuam maximis periculis obiecere, ac graues iniurias belli aequo animo pertulere, vt ab omni impetu nefariorum inuiolatam ipſam cuſtodirent. Quare nunc Coſmus Medices, noſter Dux, cum erga Chriſtianam pietatem, iuſtumque hunc ipſius principatum eodem modo affectus ſit, quo modo vniuerſam Ciuitatem omnibus temporibus affectam fuiſſe accepit, vt inſtitutum hoc ritumque ſeruaret, miſit nos, qui ipſius nomine tibi, Pontifex Maxime, gratularemur, atque omnes opes copiaſque ſuas polliceremur. Quamuis nobis met ipſis potius, ceteriſque huius noſtrae religionis cultoribus gratulari debeamus, qui te talem Pontificem nacti ſumus. Quod & Dei Opt. Max. voluntati amorique erga nos acceptum referimus, qui noſtris rebus extremo ipſarum tempore prouidit: & ampliſſimo huic ordini, qui relictis proprijs commodis, communi tandem vtilitati conſuluit. Et certè huiuſcemodi fuit exitus horum auguſtorum comitiorum, ſummique Pontificis electio, vt diuinis potius, quàm humanis conſilijs res adminiſtrata videatur: Quis enim putaſſet in tanto ſtudio partium, tantaque cupiditate animorum fore, vt tam diſſidentes hominum voluntates, tantopereque diſcrepantia inter ſe iudicia in vnum coirent, & ſaluti tandem reipub. tranquillitatique temporum incumberent? Magnus ſanè metus animos Chriſtianorum hominum mora Pontificem declarandi occuparat: ac vetera iam mala non pauci, vel noua potius quaedam flagitia non ſine cauſa reformidabant: notum enim omnibus eſt, qui exitus diſſenſionum eſſe soleat: ac quo denique pertinacia partium erumpat, cum ſubito, nihil minus nobis ſperantibus vos optimi, atq; omni laude digniſſimi Cardinales conſenſiſtis: ac quem maximè optabamus, Pontificem Maximum ſapientiſſimis veſtris ſuffragijs nobis dediſtis. Quis enim non omnibus votis eum expeteret, ac reipub. gubernandae praeponi cuperet, cuius induſtria ſaepe in hoc munere obeundo ſpectata eſſet: vel qui potius aetatem omnem in regendis populis conſumpſiſſet? Cuique magis vniuerſum reip. corpus curandum dandum fuit, quàm illi, qui ſingulas eius partes antea ſumma cum laude ſanaſſet, è maximiſque periculis conſilio ſuo ſaluas incolumeſque eripuiſſet. Quique noſtra memoria, iuſtitiae, integritatis, diligentiae, lenitatis animi maximum ſpecimen, atque exemplar eſſet. Poſſem Iuli. III. harum tuarum virtutum exempla multa commemorare, quae & in multis Italiae oppidis, & hic in vrbe, cum Praefectus ipſius fuiſti, crebro edidiſti: atque id etiam ad iudicium horũ grauiſſimorum Cardinalium commendandum magnopere pertineret: Verum ne pudorem tuum offendam, qui ea te praeſente dici nolles: & quia ſatis nota, ac peruulgata puto, ipſa ſilebo. Fructus igitur tantorum laborum probitati tuae, ſedulitatique nunc maximus datus eſt, cum in altiſſimum hunc in terris locum ſublatus es; atque eodem

tempore

tempore malor eximiae iſti virtuti tuae explicandae campus praebitus: quo ipſo non minus gaudere te puto, quàm tanto teſtimonio praemioque honeſtorum tuorum factorum, cum ſemper nouis in mortales beneficijs conferendis delectere: ac verae laudis, & gloriae, quantum Chriſtiani hominis ratio patitur, cupiditate flagres. Nam qui tibi nunc ſummus locus tributus eſt, patrui tui debitus fuit, atque iniquiſſime tantum mortis ereptus: Cuius admirabilia quaedam, ac numquam interitura merita in remp. extant, cum ſeditioſis quibuſdam ſtatum ipſius perturbare volentibus, prauis illorum rationibus nefarijſque conatibus occurrit: ac magnitudine conſilij, prudentiaque humani, ac diuini iuris, omnem ipſorum impetum eluſit, atque opes labefactauit. Quibus egregijs ipſius factis animoq; in remp. ſingulari grauiſſimus Princeps in ordinem ſummorum Cardinalium ipſum cooptauit, ac magno, donec vixit, in honore ſemper habuit. Vnde tua quoque ſapientia imitari nunc eum in referenda gratia voluit, ac nomine ipſo, quod ſibi aſciuit, memoriam illius inſtaurauit; quae fortiſſimi Pontificis memoria numquam ex animis, non ſacerdotum modo, ſed omnium Italicorum populorum delebitur, quorum ille libertatis, ac commodorum acerrimus ſemper defenſor, ac propugnator fuit. Quamquam non deſunt, qui putent non te grati animi oſtendendi cauſa hoc feciſſe, ſed vt indicium omnibus tui conſilij dares teſtarereque, quam rationem in gerendo Pontificatu, viamque inſiturus eſſes. Ipſe verò arbitror in hoc te vtrumque ſecutum, & quòd memorem te maximorum in tuos collatorum olim ab ipſo beneficiorum, ornataeque, atque amplificatae domus tuae praebere, & quòd animos noſtrarum gentium fractos, ac plurimis iniurijs debilitatos erigere, & ad ſimilia de te expectanda excitare volueris. Tuae ſanè ditionis populi maiore adhuc ſpe ingentium bonorum ſtudio tuo aliquando impetrandorum tenentur, & nō contemnendo hoc ſigno vtentes, & in minoribus rebus immenſum tuum amorem erga ſe cernentes, & ſingularem liberalitatem deguſtantes: qui ſtatim Pontifex Maximus factus, non expectatis ipſorum precibus, commodis eorum proſpexeris, ac grauibus vectigalibus ipſos leuaris. Iter autem illud vitae, ac diſciplinae, quod maioribus tuis maximam claritatem peperit: quodque ad ſummos honores ſtudioſos ſui plerumque euehit, à te quoque primis temporibus aetatis tuae cultum eſt: iurique perdiſcendo operam dediſti, quo facile percepto, optimoque inſtrumento tractandarum humanarum rerum comparato, non in foro, neque in litibus ſouendis, ſed in curia controuerſijſque diiudicandis vſus es: Atque ita tandem & naturae, largae in te ſuorum munerum, benignitate, & optimarum artium ſtudio, & aſſiduo vſu, atque exercitatione rerum maximarum, euaſiſti, vt nihil in te deſiderari ad ſumma omnia peragenda poſſe videatur, ſed perfectus vndique, atque omni virtute cumulatus intelligare. Quod videntes ampliſſimi hi Cardinales, poſtquam ipſis lumina omni caligine propriarum vtilitatum pulſa, diſſenſionumq; tenebris diſſipatis, aperta ſunt, te vnum eſſe iudicarunt, qui tantum onus ſuſtinere poſſes, admirabiliq; conſenſu ſapientiae tuae Chriſtianorum ſacrorum curam commiſerunt. Quòd ſi vllum vmquam tempus huiuſcemodi Pontificem deſiderauit, qui auctoritate, magnitudine animi, peritia rerum gerendarum floreret: idemque etiam ſtudia pacis amaret, a belliſque ac tumultibus toto animo abhorreret (nam quae turbulentis temporibus pro dignitate reip. partibuſque ipſius conſeruandis, fortiter ac magno animo feciſti, eloquentia potius conſilioque adminiſtraſti, quàm vi facienda armiſque inferendis extorſiſti) hoc ipſum profectò eſt, quo Chriſtiana omnis Ciuitas inteſtinis malis, ac diſcordijs laborat, animique regum, ac ſtultorum populorum inſaniunt, vt niſi ſummis opibus ſuccurratur, ad interitum omnia cito peruentura videantur. Qui autem tam atroci morbo medeatur, remediaque huic peſti adhibeat, Pont. Max. excepto, nullus inuenitur. Ipſe verò cum Dei immortalis munia in terris obeat, grauiſſimamque Chriſti perſonam ſuſtineat, pacificator idoneus eſſe, ac mentes eorum componere, armaque de manibus excutere, aut in verum capitalemque hoſtem conuertere poteſt. Et perſona igitur, quam geris Iuli. III. Pont. Max ſanctiſſimo huic operi efficiendo aptiſſima eſt: & vt perſona quam geris, ita tempus hoc ipſum ſacerque annus, quo culpae omnes mortalium, qui ad ſanitatem redire voluerint, priſco ritu extinguuntur, ac graues animaduerſiones paenaeque remittuntur, his curis agitandis maximè idoneum eſt: vt quemadmodum notae omnes turpitudinis contractaeque labes animorum nunc purgantur, ita cunctae fibrae ſimultatum ex animis Chriſtiani populi euellantur. Neque alia vlla de cauſa arbitrari homines poſſunt, mentem his ampliſſimis Cardinalibus a Deo Opt. Max. datam, vt te potiſſimum eligerent, ſummamque totius reipub. curae tuae traderent, niſi vt diuina ſapientia tua ſedares haec mala, peſſimeque affectam, ac deploratam iam ciuitatem ſuam ſanares, firmamque aliquando ac vegetam redderes. Ipſa ſanè, quae nuper, creſcentibus ſemper malis, quae ipſam interimunt, capiti ſalutique ſuae propè deſperarat, ac triſtis vndique maeſtaque iacebat, nunc oculos extollere, ac bene ſperare,

te, freta medicina conſiliorum tuorum ſalutaribuſque auxilijs, coepit. Confidit enim ſe veteris morbi grauitatem, te curatore, depulſuram. Confidit a nouis ſemper tentationibus tua diligentia liberam futuram. Confidit denique antiquum robur, ac firmitatem totius corporis breui recuperaturam. Videt ſe miniſtrorum ſuorum vitijs inquinatam. Videt prauis opinionibus, ac licentia impiè diſputandi diſcerptam. Videt odijs, atque inimicitijs ſui gregis penitus percuſſam, atque diſsipatam. Intelligit vltimum tempus, ac perniciem ſibi, niſi maturè ſubueniatur, inſtare. Te autem poſſe cognoſcit, & cupiditates improborum exemplo tui comprimere, & diras ſententias multorum, ſcientia verae pietatis refellere: & odia ſimultateſque, auctoritate Chriſti, cuius perſonam in terris agis, ſedare. Componendae ſine dubio reipub. cura, erroreſque inde amputandi, numquam ex animo tuo elabetur, ſed ad exitum potius ſumma cum tua laude cito perducetur: huic namque rei toto pectore incumbebas multos antea annos tam graui negotio a Paulo III. praepoſitus, cum interitu ipſius es huc euocatus, atque orbae reipub. tutor deſtinatus. Nemo itidem non iram flectet, furoremque animi totum abijciet, cum cernet huic vni curae intentum ſummum Pontificem, qui & conſilio regat, & poteſtate cogat, ab omni propriorum commodorum cura ſemotus: neque enim, aut veris rationibus, aut tantae auctoritati reſiſtent fortunati homines, cum ſanctitatem tuam videbunt, nec vllis praemijs poſſe tentari, nec vllo metu a pio hoc officio reuocari: commemorabis enim haec in primis mandaſſe ſummoque ſtudio legatis ſuis praecepiſſe latorem noſtrarum legum, humanaeque ſalutis ducem, vt pacem inter ſe colerent, omneque ſemen diſcordiarum è coetu ſuo eijcerent: Cui rei te nunc optimoque mandato nullo modo defuturum, ſed cuncta magno animo facturum, vt tumultus componas, omneſque inimicitiarum cauſas extinguas: huic enim officio te praepoſitum eſſe: hoc, locum, in quem aſcendiſti, poſtulare: hoc in primis Vicario Chriſti conuenire. Quis autem, hoc cognito, tam obſtinati animi, ab inſtitutiſque Chriſtiani hominis prorſus alieni erit, qui non placetur, ad auctoritatemque ſe totum diuinitatis tuae, ſingularisque pietatis conferat? Quae grauiſſimae tuae cogitationes, dignaque Pontifice Maximo conſilia, ſi finem aliquando conſequentur: quod confiſi ſapientia tua, & Dei Opt. Max. clementia, ſperare poſſumus, ac debemus, quot, quantaque gaudia mentes pij populi occupabunt? Quàm vera laetitia cuncti ordines efferentur? Quanta voluptate orbis terrarum geſtiet? O verè beatum illum diem, qui Chriſtianum gregem concordem, omni procul ſeditione pulſa, atque exterminata, videbit. Sol medius fidius ipſe clarius lucebit, ac muta tellus tam excellenti bono ridebit: atque vbique omnia, quae nunc maerent, ac ſquallent, nitebunt, & noua quadam inauditaque voluptate exultabunt. Tunc verè nos Chriſtianos homines dicere poterimus: tunc auctorem noſtrorum rituum Chriſtum agnoſcemus: tunc metus immaniſſimo Principi, atque exitio noſtro auide inhianti, cotidieque aliquod nobis periculum, atque inſidias molienti, inijcietur: Conuerſiſque rebus regno ſuo peſſime fundato diſcordijſque Chriſtianorum aucto timebit: vt enim ille noſtris diſſenſionibus laetatur, ita concordia maerebit. Nec inanis ſanè falſuſque hic ipſius metus erit. Cerno enim iam animo delectus ad pium hoc bellum haberi. Cerno fortiſſimos milites armari. Cerno ſanctiſſimis his copijs ducendis, optimum, ac multorum bellorum victorem Imperatorem eligi. Video ex hoſtili agro iuſtiſſimas praedas agi. Video inconditam turbam aduerſariorum ab ordine noſtrorum agminum fugari. Video maximam caedem teterrimarum beluarum, quae nimis diu patientiae noſtrae inſultarunt, fieri. Proſpicio iterum Graeciam è manibus barbarorum Romani Imperij auſpicijs ereptam, Proſpicio locupletem exercitum ſumma laude, ac gloria parta, redeuntem. Proſpicio ſummum Imperatorem de perpetuis hoſtibus Chriſtiani nominis ampliſſimum triumphum agentem. Atque huius quidem laudis, ac gloriae non parua pars ad te Pontifex Optime pertinebit, cuius ſtudio, monituque noſtrorum regum animi ſint conciliati, atque in ſaeuiſſimum hoſtem inflammati. Vt enim hoc efficere, ac praeſtare magnum in primis, ac difficile eſt (difficile autem alijs, nam ſapientiae tuae in hoc incumbenti, atque in iſta, qua coepiſti, mente perſeueranti, facile id procliueque omnino erit) ita felicem exitum alterius, hoc confecto, non temere nobis poſſumus polliceri: huius enim eximiae victoriae fons, ac fundamentum eſt Chriſtianorum populorum pax, atque in communem hoſtem conſpiratio animorum. Quare qui in animos diſſidentium Principum concordiae ſemen iecerit, atque illic propriam noſtri nominis, veteremque Chriſtianorum charitatem ſenerit, is praeclarae huius gloriae, nobiſque omnibus laetitiae futurae dux, atque auctor erit. Nam quin toto animo huic quoque rei incubiturus ſis, dubitari non poteſt: quomodo enim quod praeterita omni vita valde voluiſti, quodque

alijs aliquando ſummo ſtudio ſuaſiſti, poteſtatem illius efficiendi nunc adeptus, te non praeſtabis? Nam te olim luculentam orationem de pio hoc bello gerendo, ſpoliandoque iniuſto imperio ſaeuiſſimo Turcarum Tyranno, habuiſſe conſtat: Vt enim ceteris omnibus ingenij laudibus flores, ita ſtudijs eloquentiae clarus es, & in omni genere dicendi magnopere verſatus. Praeclaram vero honeſtiſſimi huius facti occaſionem nunc dant res ipſius aduerſae, & in bello numquam ab ipſo proſpere tentato, ſuperiore autem anno infeliciſſime geſto, plane perditae. Sed ego immenſae tuae laudis amore abreptus, gloriaque noſtri nominis, ac commodis aſportatus, nimis longe fortaſſe vagatus eſſe, atque a mandato mihi munere diſceſſiſſe videri poſſum, quamuis non praeſenti tantum amplitudini tuae, ſed futurae quoque dignitati fuerim gratulatus. Quare his nunc rebus relictis, quae maiorem operam, magiſque opportunum tempus requirunt, in proprio officio noſtro permanentes, ſuoque huius rei, atque vſitato modo loquendi vtentes, debitam obedientiam praeſtamus, ac maieſtati tuae, ampliſſimoque huic Cardinalium ordini opes omnes noſtrae ciuitatis Principis ipſius nomine ad ſanctiſſima haec conſilia peragenda, dignitatemque huius imperij tuendam pollicemur: ipſe enim magna pietate praeditus iuuenis, ac verae laudis acquirendae ſtudioſus nulli labori parcere decreuit, nullum periculum declinare, vt officio ſuo pareat, ac Chriſtianae reip. vſibus ſeruiat: Cumque id ſponte nunc faciat, ac probitate ſua tantum excitatus inflammabitur cotidie magis, cum audiet grauitati tuae mentem ipſius perſpectam eſſe, animumque in rempub. ſingularem. Nam cum eiuſdem animi futurus fuerit erga omnem, cui tanta poteſtas a Deo Opt. Max. data eſſet, procliuius multo laetioreque animo cuncta tibi adminiſtrabit, omnibuſque in rebus auctoritati tuae parebit, cuius antea egregiam voluntatem erga ſe, minore in fortuna collocati, mirificamque beneuolentiam ſaepe expertus eſt: Nunc vero paternum amorem, & incredibilem quandam liberalitatem in altiſſimum iſtum dignitatis gradum ſublati vidit, ac certiſſimis indicijs cognouit: ac quem, quod in Imperij ſui finibus natus es, in ſuis numerat, atque omni laude gloriaque vndique cumulatum cupit. Tantam autem virtutem tuliſſe terram, quae ipſi paret, tantoque honore illam auctam, gaudio triumphat: & ad decus quoque dignitatemque ſuam augendam non mediocriter pertinere putat: Quare & ſolum illud ſemper amabit: & hac quoque de cauſa (vt dixi) ardentius cuncta prolixiuſque tibi ſuppeditabit.

ORATIO FVNEBRIS DE LAVDIBVS IOANNIS MEDICIS S. R. E. CARDINALIS: habita VII. K. Dec. CIƆ IƆ LXII.

A PETRO VICTORIO in aede Diui Laurentij Florentiae.

SIQVIS vmquam ſecum de imbecillitate rerum noſtrarum dubitaſſet, eſſeque aliquid in ipſis virium, ac firmitatis credidiſſet, hic graui hoc, acerboque nuntio accepto, erroris, ſtultitiaeq; ſuae admoneri potuit, planeque intelligere, nihil eſſe incertius rebus humanis; nihil, quod tam facile dilabatur, ac fluat, & quum venti noſtri valde ſecundi, fortunaeque proſperae videntur, tunc maxime inſtare nobis aliquod immenſum malum, vicinamque eſſe perniciem, atque exitium ipſarum. Vtinam huius rei minore noſtro cum damno documentum haberemus, Deuſq; immortalis potius feciſſet, vt in illo turpi errore permaneremus, quàm ipſum è pectore, tanto incommodo accepto, luctuque, depuliſſemus. Sed certe decipere quemlibet, non inſipientem etiam hominem, potuiſſet ſtatus vndique eximius, ac florens huius optimi, atque innocentiſſimi adoleſcentis; cuius immaturam mortem hodie lugere hic debemus: ille namq; initio ſui curſus, quum tamen iam magnam ſpem magnarum ſuarum virtutum commouiſſet, ſaepeque ſpecimen aliquod maximi ingenij, rarae eruditionis, praeclaraeque indolis dediſſet, ſubito extinctus eſt, nobiſque miſerabiliter ereptus. Erat ſanè in te (quanto haec cum dolore loquor) ſanctiſſime iuuenis aetas, erant vires; erat corpus vegetum, quod diuturnam vitam, & eam quidem integram, atque omni dolore carentem, polliceretur; erat praeterea diſciplina domeſtica, quae regere ipſam, viamque obſtruere morbis, atque omnibus ipſorum tentationibus facile poſſe videretur. Sed haec omnia vicit importuna quaedam vis, ac tempeſtas ſaeuiſſima, quae inuidit nobis tam praeclarum bonum, inciditque, ac fregit ſpes omnes noſtras, bene ſapienterque conſtitutas. Fuit profecto Demetrius, ille Phalereus, ob ſtudia doctrinae, & ob remp. Athenienſium, quam optime digeſſit, ac praeclaris etiam legibus ornauit, in primis clarus, ac nobilis; fuit, inquam, Demetrius ſapientiſſimus vir; qui, cum Euripides ſua quadam in tragoedia dixiſſet, nullius fortunati hominis opes, reſque admodum proſperas eſſe ſtabiles, ſed ſpatio tantum vnius diei perdurare, non nullaque alia addidiſſet in eam ſententiam, laudato iudicio eruditiſſimi illius poëtae, inquit. cetera omnia vere prolata eſſe, melius tamen eum dicturum fuiſſe, ſi non diem vnum terminum ipſarum eſſe, ſed momentum, & quaſi punctum temporis affirmaſſet. Sed his relictis, quae ab optimis ingenijs ad erudiendos homines edita ſunt, propius accedamus ad atrocem hanc plagam contemplandam, & eam, ſi vlla ratione poſſumus, ſanandam. Video vos, optimi & honeſtiſſimi ciues, magno, iuſtoque dolore commotos, quibus moleſta eſt grauiſque haec ingens iactura, vel potius repentina, & inopinata calamitas, intelligoque, vos non tantum angi interitu indigniſſimo huius caſtiſſimi adoleſcentis, quem in oculis ferebatis, cuique & longam vitam, & omni decore ornatam optabatis, ſed etiam dolere vicem optimi Principis, qui orbatus eſt eo filio, quem vnice amabat, & in quo etiam multas ſuas magnaſque ſpes non ſine cauſa collocabat. Eſt ille quidem conſtantiſſimus omnium, & admirabili quadam animi magnitudine praeditus. Sed nullus eſt tam fortis vir, quem non moueat huiuſcemodi aliquis ſubitus, & inexpectatus caſus, & è ſtatu penè mentis deijciat. Aliud quoque eſt, quod (vt in malis) conſolationem ei adfert; quod non eſt ipſi nouus hic dolor, ſed aſſuetus eſt his malis tolerandis. Quanquam haec aegritudo acerbiſſima omnium eſt, magiſque pectus ipſius fodit, ac labefactauit. Ah ſaeua fortuna nimis iniqua es, nimiſque tibi in ipſum indulges, quem non ceſſas tam ſaepe violare; & nimis crebro huiuſcemodi aliquo vulnere deformare. An vires tuas in hoc oſtentare vis? patefacereque omnibus quanta tibi poteſtas

ſit nocendi; ſatis hoc iam ſatiſque experti ſumus, & quae ſit tua temeritas, exploratum habemus. Deſine igitur, & quem alijs omnibus rebus ornaſti; comite tamen adiuncta tibi, vel duce potius, ſapientia, noli hac in parte vexare, & quantum ſit imperium tuum in bonos, improbe declarare. Quantam fuiſſe putatis aegritudinem matris, lectiſſimae, atque optimae feminae; quae prope è gremio ſuo ſibi illum abſtrahi vidit, hauſitque oculis hunc dolorem acerbiſſimum. Sed cum nulla tanta vis orationis ſit, qua ipſa impelli poſſit, vt maerorem nunc luctumque deponat, ſatius eſſe arbitror id pertransire, totumque hoc ſapientiae ipſius, ac grauitati relinquere. Quantus etiam fuerit amor in illum ſororis, quae vna è multis ſupereſt, nouiſtis, illam ego audio conflictari, nec ratione vlla dolorem eius poſſe mitigari. Nam vir ipſius, nobiliſſimus ac fortiſſimus homo, Paulus Iordanus ingentem aegritudinem robore animi ſuperauit, extremumque hoc munus amoris, aduerſante illa, ipſi exhibuit; ac praeſentia ſua, ſuorumque, omni genere luctus maerorem declarantium, funus hoc honeſtauit. Qui tamen, & ipſe modo, cum ei nuntiatum eſſet, vxorem interclusa anima inter manus ancillarum collapſam, vixque poſſe illius miſerae animum reuocari, eo ſe repente proripuit. Maiorem vero fratrem fortunatum iudico, qui longe nunc abſit, praeſenſque huic ſaeuo ſpectaculo non adfuerit: minus enim nos tangunt, quae auribus accipimus, quàm quae oculis cernimus. Eodem pacto fato functas ſorores morte ſua felices extitiſſe arbitror, quae in hunc dolorem ſeruatae non ſint; quarum tamen interitus nobis tunc valde luctuoſus fuerit. Sed nos praeſentia tantum, & quae ante oculos ſunt, intuemur; quae futurum tempus ſecum vehat, magna caecitate animi prouidere non poſſumus. Auſim etiam affirmare Pium IIII. Pont. Max. iniquiſſimo animo hanc rem tuliſſe; & ſi ille proprio dolore, domeſticoque funere hoc tempore oppreſſus eſt, qui hunc optimum iuuenem ornauit, & in ampliſſimorum Cardinalium ordinem, cum maius ei nihil dare poſſet, cooptauit. Amarat ille quidem ſemper eum, praeclareque de ipſius natura, moribuſque exiſtimarat; nec tam vt patris voluntati ſatisfaceret, tanto honoris gradu ipſum in ea aetate decorarat, quàm quia conceperat animo mirifica quaedam de indole ipſius, illumque ſperabat, vt nomine, ac vultu, ita etiam factis, ac prudentia Leonem X. relaturum. Quae opinio de virtute ipſius in animo Pont. Max. valde aucta eſt (ſi creſcere illa, ampliorque fieri vllo pacto poterat) quum primum ille Romam profectus eſt: in omni enim ſermone colloquioque cum eo, prudentiam ipſius grauitatemque perſpexit, animumque ſublimem, ac magna ſemper, altaque cogitantem cognouit. Redit hoc loco mihi in mentem, quòd litteris ab antiquis mandatum eſt de Alexandro Philippi filio, qui poſtea Magnus appellatus eſt: cum enim puer adhuc eſſet, venerunt in Macedoniam Perſarum legati, abſente patre, quibus a ſe acceptis, ſaepe Alexander cum ipſis congreſſus, ita illos ſibi comitate ſua, & ijs, quae quaeſiuit ex ipſis, deuinxit, ac ſtupore impleuit, vt magnopere eum admirati ſint, magiſque a rege ſuo de pueri illius acriore ingenio, quàm de Philippi iam ſenis timeri oportere iudicarint: neque enim aliquid puerile, aut puſillum, ſed longitudines viarum, itineriſque illius rationem exponi ſibi voluit, ac de rege etiam ipſo non pauca interrogauit; quomodo ſcilicet ille regni fines tueretur, & quales eſſent copiae Perſarum; in quibuſque poſitae vires, ac robur exercituum ipſorum foret. Paria igitur fuere, quod ad magnitudinem, & grauitatem ipſorum pertinet, colloquia ac ſermones huius noſtri ſpectatiſſimi adoleſcentis, cum ſapientiſſimo, & omni veneratione digno ſene. Nec ſanè oportet valde mirari omni tempore regum filios plurimum iudicio, ac grauitate praeſtitiſſe ſuis aequalibus; quod optime norunt etiam veteres tragici poëtae; ſapientes viri, & qui omnibus in rebus, id quod veri ſimile eſſet, ſectabantur: illi enim aetatem eam ſemper finxerunt ſingulari prudentia praeditam, ſaepeque ab illa dicta, ac facta ea faciebant, quae multo plures annos, maioremque vſum rerum requirebant. Sed magnam vim habet è ſapientiſſimis viris procreatum eſſe, & in plena conſilij, ac dignitatis domo eſſe itidem educatum. Non tacebo etiam, quod vere praedicare poſſum, quodque cognitum eſſe plurimis ſcio, quanta fuerit eius eo tempore, quo Romae vixit, continentia in contemnendis corporis voluptatibus, quanta conſtantia in omnibus illecebris libidinum repudiandis: illic enim, in magna copia proborum, & honeſtorum virorum, numquam defuerunt quidam impuriſſimi homines, qui his artibus adoleſcentes aggrediantur, teneramque eam aetatem, obiecta omni ſpecie libidinum, expugnare conentur: ſed plus apud eum valuit naturae integritas, optimaque diſciplina, quam vlla illorum artificia, ac doli; quae ſane omnia, cum ad aures Pont. Max. perueniſſent; qui diligenter ipſum ſeruabat, ac quaecunque diceret, aut faceret ad ſe referri mandarat, amori illi veteri in eum tamquam faces admouebant. Obſeruantia autem in illum huius optimi iuuenis quanta eo tempore fuerit, vel potius pietas, & vera quidem ſinceraque pietas, non ſo-

lum

lum tamquam in alterum parentem, ſed etiam quaſi Deum quendam; certè locum illius, ac ſedem in terris obtinentem, inde etiam intelligi poteſt, quod extremo vitae ſuae tempore, paulo ante quam è vita excederet, in eo omnem mentem cogitationeſque ſuas defixas habebat; & ita demum totus in ipſo occupatus erat, vt de officio etiam ipſius diſputaret, & tamquam animum ipſi, ſtimulo nullo egenti, addere contra ipſius acerrimos hoſtes non dubitarit. O admirabilem, atque inauditam ſanctiſſimi iuuenis, vel adoleſcentis potius, probitatem dicam, an ſapientiam, ſiue vtrunque? quem neque recordatio bonorum, quae relinquebat, ſollicitarit; neque propinqua mors, quae viros quoque & fortes ſanè, praeſtanteſque etiam viros commouet, perturbarit, ſed de officio tantum, ac proprio munere eius perſonae, quam ſuſtinebat, cogitarit. Haec igitur fuerunt extrema verba, quae edidit, hoc ipſo ſermone prolata, & nulla paenè voce immutata. Cum enim primum ad diuos Petrum Paulumque mentem, atque orationem direxiſſet; rogauit illos ſuppliciter, vt ſibi adeſſent apud Deum Optimum Maximum; ſtudioque ſuo efficerent, vt piam ſedem, ſalutaremque animo ſuo praeberent, ſtatimque tamquam ad praeſentem Pont. Max. quem animo cernebat, verba fecit; a quo etiam, veluti vero Dei Opt. Maximi, qui nobis ſalutem dedit, vicario, poſtulauit ea, quae moris eſt eo tempore poſtulare, vt ſibi ſcilicet ignoſceret, manuque ſua ſibi propicia ſe expiaret, atque omni labe purgaret. Quibus iam editis, altiore voce, & ita vehementi, vt paenè omnis, qui reſtabat, ſpiritus cum ea conſumptus ſit, inquit. Noli, Pont. Max. pertimeſcere; noli impetum vllum aduerſariorum reformidare, noli de euentu horum malorum tecum dubitare: quamuis enim non nullae gentes conſpirarint in perniciem Romani principatus, ac verae Chriſtianorum pietatis, numquam tamen tantum virium habebunt, vt Petri nauim, quamuis contrarijs ventis agitatam, ac paenè fluctibus, ſcelere illorum, demerſam, euertere poſſint, ac iuſto gubernatore ſpoliare. Quin potius ipſi impij, non apud inferos tantum, ſed hic etiam ſui parricidij paenas luent, ac maximis meritiſque ſupplicijs afficientur. Quis vmquam tam admirabilem conſtantiam ab illa aetate expectaſſet? quis tantam grauitatem tam firmas illic radices egiſſe exiſtimaſſet? quis tantum mortis contemptum in adoleſcente reperiri poſſe crediddiſſet? ſed nihil eſt, quod non efficiat natura, de quo ſupra diſputatum eſt, niſi malis moribus, prauiſque opinionibus deprauetur: quum accedit autem diſciplina, inſtitutioque vera, tunc eximij inde fructus exoriuntur, ac cito quidem omne illud prouenit, quod in alijs, qui naturae conatum ſtudio nullo adiuuiſſent, ſerius idemque imperfectius extitiſſet. Sed domum iam, vnde multum digreſſi ſumus, redeamus; Romamque, ac Pont. Maximum, cuius fortaſſe auguſtiſſima perſona, in re tam triſti tractanda, nimis abuſi ſumus, relinquamus. Erat ſanè iam antea cuncta ciuitas dolore magno commota; ſtatimque, vt triſtis hic nuntius venit, ſummi, medij, atque infimi mirum in modum affligi coeperunt: cum vero auditum eſſet appropinquare mortuum eum, quem viuum videre maluiſſent, vniuerſi ſe illi ad portam obuios effuderunt. Erat, inquam, ciuitas antea maeſta, ſed vt viſum eſt pheretrum, quo vehebatur, atrataque illius cohors, quae ſupremum hunc ipſius honorem comitata eſt, gemitu ac ploratu omnia complens, maiorem in modum aegritudo publica aucta eſt, cunctaque vndique clamoribus, ac lamentationibus perſonarunt, nec facile aliquis tantam vim doloris; tamque horribilem plangorem, & quaſi mugitum quendam, qui non adfuiſſet, complecti animo poſſet. Nobiles illi, atque honeſti viri clamabant ſe mitiſſimum, atque humaniſſimum dominum perdidiſſe; & qui de commodis ipſorum toto animo ſemper cogitabat. Multitudo noſtrorum, quae magna aſtabat, quaſi reſpondebat, ſe delicijs amoribuſque ſuis orbatam eſſe, & eo, quem ſibi quandoque magno ornamento futurum confidebat. Nam fletus familiarium quantus fuerit, ſiqui forte illic non adfuiſtis, quum in vrbem ingreſſi ſunt, facile ex praeſenti ipſorum maerore intelligere poteſtis; qui aegre ſibi hoc in loco ab effuſa lamentatione temperant, ac prae ſe ferunt omni ſuo aſpectu triſtitiam infinitam. Sed illi (vt ſpero) cum docti viri, ac prudentes ſint, aegritudini vim adhibebunt; fraenoſque inijcient dolori; quod etiam mihi videor poſſe polliceri de ceteris, qui ex hoc acerbo caſu incredibilem dolorem ſuſceperunt, qui multi mortales ſunt, atque omnes fere, qui in his, aut propinquis regionibus viuunt. Quis enim tam durus, & inhumanus eſt, qui non valde huius morte indoluerit; ſtatimque, vt audiuit, non toto corpore contremuerit? Debetis igitur & vos, prudentiſſimi ciues, cum pium hoc munus obiestis, maerorem veſtrum minuere, luctuique ac lacrimis modum aliquem facere. Nam, quod conſolari omnes debet: in primis autem parentes, vt maiore ſapientia praeditos, verumque ipſius bono magis gaudentes, putare debemus, ipſum a Deo Opt. Max. euocatum, & ex his tenebris, miſerijſque eſſe ereptum. Si namque priſci illi, qui verae pietatis rudes erant, putabant, Deos diligere eum, qui paruus mortuus eſſet, quanto magis nos ita

ſentire debemus, quibus penitus cognita eſt egregia conſeruatoris noſtri voluntas erga nos; curantis ſedulo noſtras vtilitates, atque in ſalutem hominum toto animo incumbentis: quamuis a mortalibus, parum videntibus, aliquando ratio ipſius conſiliumque ignoretur; aegreque illi ferant ea, quibus maxime laetari ipſos oportebat, vt in huiuſcemodi caſibus plerunque contingit. Euocatum autem, & è terrenis in ſuperas caeleſteſque ſedes ſublatum, non tantum ne diutius in corpore, tamquam in cuſtodia quadam, integerrimus ipſius animus vinctus eſſet, ſiue in buſto quodam viuo defixus, ſed ne verſaretur amplius in his nouis, grauibusque malis, perſonamque, quam gerebat, non poſſet ob diſcordias tumultusque inteſtinos, qui remp. Chriſtianam lacerant, cum dignitate tueri: vix enim humanis opibus medicina huic peſti adhiberi poteſt. Quod ſi ipſum non orbatum magnis vitae commodis arbitrabimur, ſed ex ingenti mole moleſtiarum diuino conſilio ereptum credemus, facile modum lacrimis adhibebimus, vel potius hac ipſius commutatione loci, migrationeque in meliorem multo ſedem, gaudebimus. Quod ego vos facere prorſus oportere cenſeo, ac ſi facietis, rem dignam Chriſtiana pietate, & ſapientia veſtra geretis, & quae mirifice conueniat ſpei, quam conceptam animo merito habemus de noua condicione vitae; ſtatuque vndique beato huius optimi, & ſanctiſſimi adoleſcentis. Vos autem, ſacerdotes optimi, & religioſiſſimi huius fani cuſtodes, qui tanta pietate, tantoque affectu operam huic funeri dediſtis, precibusque veſtris fortunatiſſimum iter huius integerrimi iuuenis adiuuiſtis, & tamquam viam illi muniuiſtis, cum rem diuinam abſolueritis, in monimentis ipſum illis ſuorum maiorum manibus veſtris collocate; quae, cum multis modis ornata ſint, & ſtudio etiam optimi opificis fabricata, maiorem quidem certe ſplendorem capient ex vno hoc corpore huius caſtiſſimi iuuenis, quàm ex omni alia materia, & arte vnde conflata ſunt. Nam illud ipſum buſtum, quo ipſe illatus fuerit, erit ad omnem memoriam poſterorum ara probitatis, allicietque praeter cetera oculos ad ſe ſpectantium, nec vlla vmquam aetas, viſo illo, de laudibus ipſius conticeſcet: quanta enim vis admonitionis ſit in locis, & quàm libenter homines viſant monimenta, in quibus honore magno digni homines ſiti ſint, ac relliquiae aliquae ipſorum côditae, notum eſt. Nunc autem, quum quantum in me fuit, officium tibi meum praeſtiterim; & partes etiam aliorum ornauerim; mihi ipſi ſi proſpiciam, reprehendi non poſſum; praeſertim quum iam tamquam cum quodam nouo Deo, ac caeleſtes ſedes incolente, agendum ſit: huiuſcemodi enim mihi ſpecies tua obijcitur, ac videor mihi videre te vnà cum puriſſimo illo grege diuinorum miniſtrorum exultantem. Quare te rogo, ſanctiſſime ac beatiſſime iuuenis, vt mihi ignoſcas, ſi cum tuas laudes toto pectore celebrare voluerim, atque hoc ſane onus mihi impoſitum fuerit, quod tamen firmioribus humeris dignum erat, nedum eas, vt debebam, augere potuerim, aut ſaltem, vt erant, ſine vllo ornatu exponere, potius ipſas contriuerim, ac valde tenuitate ingenij mei extenuauerim: multa enim fuere, quae conatum hunc meum impediuerunt: in primis autem magnitudo ipſarum: nec enim exiguo hoc temporis ſpatio ipſae enumerari potuerunt. Quae res etiam fecit, vt non auderem de paucitate dierum, immo horarum, quae mihi datae ſunt ad meditandum queri: ſi namque tua virtus vlla alicuius accurata oratione ſatis explicari poſſet, iuſtam cauſam accuſandi illos habuiſſem. Deinde maeror, qui me, vt ceteros omnes, primo confecit, ac vehementer perturbauit; ſed etiam memoria imbecilla, vt in ſene, cauſa huius, alij tamen magis, quam tibi, damni eſſe potuit; aliaque non nulla, quae in te minime neceſſaria, omittenda decreui: cum enim animi mei ſenſus praeclare nunc tibi cognitus ſit, & quae ſemper fuerit voluntas mea erga te numquam fallere potuerit, ſpero te mihi, ſedulo hoc roganti, ignoturum; qui nihil vmquam alicui, quod honeſtè a te peteretur, negare conſueſti.

LAVDATIO ELEONORAE, COSMI MEDICIS, FLORENT. AC SENENS. DVCIS, VXORIS.

Quae habita eſt IIII. Kalen. Ianuar.

A Petro Victorio in aede Diui Laurentij Florentiae.

DOLET mihi, ciues mei, me nimis crebro cogi munus hoc idem obire, angorque intimis ſenſibus, quod video luctum, quem finitum eſſe oportebat, renouatum; & cum primo illi, triſti in primis, & acerbo, nihil addi poſſe videretur, inuentum tamen eſſe, qui ipſum longo interuallo ſuperaret: quare ſollicito animo ſum, nec video, quomodo poſſim pro perſonae dignitate, tempori huic ſeruire: in damno enim illo deplorando omnes ingenij vires conſumpſi, effudique, quicquid lacrimarum habui. Ea praeterea ilico ſecuta ſunt, quae ne dum nos reſpirare ſinerent, modumque aliquem facere dolori, potius illum auxerunt, ac, ſiquid reſtabat lacrimarum, euocarunt. Acceſſit, paucis diebus interiectis, tertium vulnus, grauiſſimum atque acerbiſſimum omnium, & quod altius in animos noſtros penetrauit, atque inde omnem penitus pacem, ac ſecuritatem exturbauit. O rem acerbam, atque omnibus paenè ſeculis inauditam, ò atrocitatem caſus, omnem aliam fortunae iniquitatem ſuperantis. Quis vmquam audiuit, aut legit, tot continentia funera tam breui ſpatio temporis florentiſſima in domo eſſe nata? Mediam illam plagam obſcurare voluit humaniſſimus Princeps: ſilentioque praeteriri tantum incommodum a ſe acceptum, vel potius ab vniuerſa ciuitate, melius eſſe iudicauit; credo ne ruſus, vix prioribus lacrimis areſactis, animos veſtros perturbaret, ac nouo, eoque magno dolore inflammaret. Sed tamen vos domi probum illum adoleſcentem, & in quo magni virtutis igniculi lucebant, luxiſtis, tacitique maerorem illum, ac triſtitiam vobiſcum tuliſtis. Huic vero quaſi fulmini cuidam, quamuis ſit fortis, reſiſtere non potuit; ac cariſſimam ſibi coniugem omni funeris pompa comitari voluit. Adiuuemus igitur voluntatem ipſius, ac dolorem, quem ſentimus animo, patefaciamus: Ipſe autem huius lectiſſimae, atque optimae feminae, ſi vlla ratione valebo, dotes eximias, ac laudes celebrabo: etſi illae oratione mea non egent, cum per ſe ſatis illuſtres, ac clarae ſint: vobis autem in primis notae, ac valde probatae. Orta eſt ELEONORA antiqua ſtirpe, nec ſolum in Hiſpania, vbi poſtea radices egit, illuſtri, ac clara, verum etiam in illis locis, vnde primum eo venit, in excelſo loco ſita. Quippe cum Byzantij regnarit, imperioque totius Graeciae potita ſit. Sed vetere ipſius origine, Palaeologorumque familia relicta, nata eſt ELEONORA inferioribus temporibus in ea tellure, in qua multa, magnaque nobilitas exiſtit. Cui enim ignota eſt vetus, eademque praeclara in bello Hiſpanorum laus, ac gloria, quae nullo tempore interrupta eſt, ſemperque continens, ac iugis permanſit; quod alijs non paucis fortiſſimis nationibus minime contigit, quae cum breui tempore floruiſſent, non multo poſtea iacuere, omnemque illum ſplendorem funditus amiſere. Eandem etiam plurimis alijs, maximis virtutibus, ornatam eſſe nemini dubium eſt: de bellica autem potiſſimum, quae magis inſignis eſt, veramque nobilitatem gignit, loqui volui. Ex hac igitur gente, familiaque Toletana, in ipſa valde illuſtri, ac ſuis proprijſque decoribus ornata, orta illa eſt. Patris ipſius prudentiam, magnitudinem animi, auctoritatem, quam apud Carolum V. ſapientiſſimum Imperatorem habuit, non oportet commemorare: magnum enim theatrum hae magnae ipſius virtutes habuerunt, teſtiſque ſemper erit Neapolis, vniuerſumque illud regnum, ſingularis iudicij huius excellentis viri; quod ipſe ſpatio vnius, & viginti annorum pro rege gubernauit, atque optimis legibus, & inſtitutis ornauit; tanta ſanè fuit in hac re prudentia hominis, vt omnes, qui poſtea

eo loco fuerunt, veſtigia ipſius diligenter perſecuti ſint, atque inde optimam famam collegerint, ac ſaluti illius prouinciae proſpexerint. Matris verò Mariae, feminae primariae, ſingularem probitatem cuncti mortales in illis locis nouerunt, quae ex antiquiſſima honeſtiſſimaque familia Oſoria nata fuit, ſecumque nomen dignitatis, & poteſtatem tulit, quo vir prius ipſius inſignitus fuit, & poſtea maior natu filius ornatus: inde enim profectum eſt, quod & Petrus ipſe, & nunc Federicus Villae Franchae Marchiones appellantur, ac iure optimo ſedis illius principatum obtinent. Reliquorum duorum fratrum virtus, quae, quantaque ſit, & in omni genere laudis commendatio ſingularis, neminem veſtrum fallere poteſt: Garziae namque iodustria in militari diſciplina rebuſque maritimis, ac terreſtribus adminiſtrandis clara in primis, & nobilis eſt. Aloiſij vero, qui multum nobiſcum vixit, opera ac ſtudium in magnis rebus Principi noſtro non ſemel vtile fuit. Garziae, maioris Federici filij, admirabilem virtutem in bello, in quo fortiſſime occubuit, in littore Meiogis inſulae contra Mauros pugnans. Itemque Ioannis patrui Cardinalis grauitatem, magnopere laudati viri; & qui, dum vixit, ob vitae ſanctitatem, ſummumque conſilium in rebus agendis, ſpecimen illius ordinis fuit. Didacique, & ipſius patrui, merito celebratum nomen, magniſque gradibus honoris ornatum. In primis autem Ferdinandi, Albae Ducis, huius noſtrae Principis feminae fratris patruelis, dignitatem, multis honeſtis factis claram: qui paternae Garziae gloriae multum addidit, ac veram vndique honeſtatem conſectatur, vel ipſam paenè potius iam adeptus eſt, totamque expreſſit, arduum hic eſſet explicare: neque enim hiſtoriam ſcribimus, ſed ornatiſſimae mulieris laudes ſtrictim attingimus. Hunc igitur patrem habuit, atque hos ſtrenuos, & omni honore dignos fratres (vt quattuor illa lumina eiuſdem familiae omittam; atque alios non paucos, qui factis ſuis praeclaris quamlibet domum poſſent illuſtrare) praeſtantiſſima virgo, quae cum optimo noſtro Duce, initio ſui principatus, in matrimonium collocata fuit. Quid oportet me nunc vobis prolixius corporis ipſius bona, quae cotidie vidiſtis, ac ſemper magnopere ſuſpexiſtis, praedicare? cur ego tempus nunc teram in laudanda forma ipſius? quae cum alijs multis de cauſis ſpectanda, caraque habenda eſt, tum in primis, quia illi fortunae congruit, mirificeque apta eſt hominibus honeſtandis, qui imperium in aliquos habent. Fuit illa quidem certe tanta, vt potius immortali alicui naturae, deoque, quàm mortali feminae conuenire videretur. Cuius etiam rei certum indicium erat pulcherrima omnis ipſius ſoboles, quae, cum alijs eximijs bonis, tum etiam hoc ipſo mirum in modum matrem referebat. Quum formam ipſius laudo; eodem tempore, quae conſtituunt ipſam, ac ſine quibus ſpecies manere non poteſt, cetera corporis bona commendo; quae cuncta in ipſa collecta, & ad ſummum perducta, extitere: in primis autem venuſtas incredibilis, lepoſque grauitate temperatus. Nam de valetudine, viribuſque corporis, dicere non eſt neceſſe, cum eo in bono mulieres ceteras vicerit; cuius rei documentum ſaepe vidimus ea in re, quae debilitare in primis, ac frangere corpus feminarum ſolet; cui rei illa tam facile reſiſtebat, vt natos ſuos manibus alicunde ſuſtuliſſe, non ipſa paulo ante peperiſſe videretur. Poſtquam autem attigi oratione mea hoc bonum, ac de partus facilitate, aliud agens, locutus ſum, non omnino alieno loco, vt arbitror, celebrabo hic ingentem eiuſdem dotem, & qua nulla verior, aut maior a femina iure optimo expectatur; foecunditatem, inquam, ac copiam liberorum, & eorum quidem omni corporis, atque animi laude ornatorum: cum enim alia ratione viri ad ſuperas ſedes aſcendant, hac vna fere feminae viam ſibi ad caelum muniunt; quod etiam ſanctiſſimi viri, & qui optimi vitae Chriſtianae auctores ſunt, affirmarunt, ac monimentis litterarum prodiderunt. Sed, his relictis, ad animi bona, quae maiora ſunt, veniamus: & partem aliquam ipſorum breuiter perſtringamus. Initium autem a pietate erga Deum Opt. Max. ducam. Quae igitur vmquam magis ipſum coluit; aut veriore ratione ſemper venerata eſt? vnde etiam, quod inde proficiſcitur, radicemque eam habet, caſtas, illique dicatas virgines ſemper fouit, ac quibuſcunque potuit commodis auxit. Nam de amore in virum, egregiaque animi beneuolentia minime dubium eſt, cum ambo inter ſe, vnde vera ſolidaque voluptas naſcitur, ac vita prorſus beata prouenit, certarint, vter eorum magis alterum diligeret, & quacunque re honeſte poſſet, oblectaret. Quare inde omnia illa mala longiſſime afuerunt, quae matrimonium, ſanctiſſimumque hoc vinculum labefactare conſuerunt; ſuſpiciones, irae, altercationes, diuerſae voluntates, libidines: irrepere enim hoc quoque flagitium in opulentiſſimas domos conatur, atque eo, quo minime decebat, penetrare non timet. Quanta comitas eius fuerit, quanta humanitas in noſtris mulieribus accipiendis, exploratum nobis eſt. Diſciplina domeſtica non poteſt ſatis laudari, ſeueritaſque, qua illa multa vſa eſt, & in liberos ſuos omnis aetatis ſexuſque, & in gregem illum honeſtiſſimarum virginum, ac ſummo loco natarum, quem prope ſe habebat. Nam amorem magnum in illas, & egregiam voluntatem

ſupremo

ſupremo vitae die ſignificauit, quum de ſuis bonis illis conſuluit, & ampliſſimis muneribus cunctas donauit. Liceret etiam mihi de magnitudine animi ipſius, prudentiaque in conſilijs de magnis rebus capiendis, multa praedicare; ſed quia virtutes hae muliebrem naturam ſuperare videntur, & his omnibus, reliquiſque ipſius admirabilibus virtutibus exponendis, longiore temporis ſpatio opus eſſet, finem illis referendis faciam. Hoc tantum, quod valde aptum eſt ad narrationem hanu confirmandam, adiungam. Hanc ſpectatiſſimam mulierem, quum Romam vna cum viro profecta eſt, omnium ora in ſe conuertiſſe; atque illic, in oculis paenè cunctarum gentium, mirifica exempla maximarum virtutum edidiſſe; ita certe ipſa a ſummis Cardinalibus eo tempore domi foriſq; culta, & obſeruata eſt, vt admirationem res illa magnam in animis multorum mouerit: in alijs vero quibuſdam inuidiam excitarit; vnde manifeſto teneri potuit virtus ipſius incredibilis, ac paenè diuina, quae tam breui tempore tot grauiſſimorum virorum animos ſtupore impleuerit. Quae igitur tot, & tam praeclaris bonis abundabat, vnumque praeterea, quod vincebat illa omnia, poſſidebat; intelligo quod cum Coſmo Medice, ſapientiſſimo viro, eodemque noſtro, ac Senenſium Duce, in matrimonium copulata erat, repente omnibus illis ſpoliata eſt, ac miſerabili morte oppreſſa. Ego autem, qui longiſſimam illam aetatem viuere voluiſſem, vel potius, ſi fieri potuiſſet, numquam mori, perpetuoque frui in hoc noſtro caelo bonis illis, quibus referta erat, audebo dicere, (vereor, quomodo hoc accepturi ſitis ciues mei; metuoque, ne apud vos ſtatim offendam: ſacunſque atque impius exiſtimer, ſed audebo tamen dicere: Deus enim mihi teſtis eſt, quo animo dicam) audebo inquam dicere, prius illam extingui malniſſem; nec vſque ad eam diem, qua in vita manſit, ſpiritum perducere. Non vidiſſet illa, ſi hoc eximia quadam felicitate ipſi contigiſſet, acerbum interitum optimi filij, ac ſummo gradu honoris ornati. Non paucos poſt dies alterius, qui aetate ipſi ſuccedebat, atque omnes aequales ingenij, & animi magnitudine ſuperabat, indigniſſimam itidem mortem. Non Ferdinandum etiam, eodem morbo conflictatum, & in magno vitae periculo conſtitutum; non luctum viri; non filiae fletum; non generi lacrimas; non denique multis modis deformatam eam domum, quam ſemper antea florentiſſimam, & omni laetitiae genere abundantiſſimam viderat, & illo demum bono nō parua ex parte orbatam; quod ipſa illi large, ac copioſe pepererat. Vnde veram eſſe perſpicitur illam ſapientum virorum vocem, qui diutius in vita eſſe minime expetendum clamant, ac multo ſaepius lacrimaſſe, qui ſenes, quam qui infantes moriuntur, poſitis exemplis, declarant. Sed Deus Opt. Max. (vt opinor) cuius multas alias ſaepe virtutes in ſecundis rebus cognorat, huius etiam maximae omnium, ac praecipue Chriſtiano homini aptae, aequitatis inquam animi, ac patientiae in laboribus, periculum in ea facere voluit, atque experiri, quomodo illa res aduerſas ferret, vt ipſam poſtea perfunctam omnibus rebus, quae peccandi anſam mortalibus dant, atque vndique ſpectatam, ad ſe traheret; ac tot optima ipſius facta magnis veriſque praemijs compenſaret, & perpetua denique vita donaret. Sed ipſam etiam non inuitam voluntati eius obtemperaſſe, vel potius libenter cariſſimorum ſibi filiorum iter proſecutam fuiſſe, exiſtimare debemus, vt reliquam veriorem vitam cum illis perpetuo degeret, cum quibus ipſi in hac miſera, ac multis grauibuſq; malis repleta, diutius eſſe non licuit. Quin certe illa mortem non reformidarit, extremumque illud tempus conſtanter, ac forti animo expectarit, dubium non eſt. Cum autem, vt potui; & vt breuitas temporis mihi conceſſit, hanc ſanctiſſimam, atque optimam feminam honorarim, & de ipſius laude non nulla dixerim, ſequitur, vt videam, ſi vlla ratione valeam dolorem veſtrum lenire: in primis autem maerori noſtri Principis mederi; cuius ille in pectore altius inhaeſit. Si namque aegritudinem illius leuatam audieritis, magna ex parte, vt confido, dolorem veſtrum minueritis; qui ipſum, quacunque re poteſtis, imitari debetis, & ex ipſius ſalute, tranquillitateque animi, toti pendetis. Poteſt ſane hoc a me merito poſtulari, & hoc non parua pars officij mei eſſe videtur. Sed omnia in te poſita, ſapientiſſime Princeps, roboreque iſto animi tui ſunt (tecum enim quamuis abſente, tamquam praeſente loquar) ſi namque cogitamus, quot quantaque incommoda paucis diebus acceperis, nullam orationem parem tantae aegritudini ſedandae inueniemus, ſi rurſus in mentem nobis venit, cui medicina facienda ſit, non magnopere laborabimus: nullus eſt enim tam grauis animi morbus, qui non ab eo facile depellatur, qui ſe ſanari voluerit, remediumque eius mali minime reſpuerit. Eſt autem illud, cogitare eum, qui vehementer dolet, ac dies noctesque morte ſuorum cruciatur, ſe nullum nouum malum accepiſſe; ſed ea, quae cotidie nobis imminent, ſtatimque a primo ortu omni homini propoſita fuerunt, perpeſſum eſſe. Quis autem eſt; cui aliqua ſanitas ſit, qui legibus naturae parere recuſet? aut quis tantae arrogantiae eſt, qui eum, quem velit, praeter ceteros debere huius mali (ſi mors malum appellanda eſt) immunem eſſe, fatoque a ſe eripi poſſe arbitretur? Non ero

in hoc longior, nec cuncta nunc praecepta doctorum hominum huc comportabo, qui omnes accuratè caſus hos aequo animo tolerari debere, docuerunt: neque enim illa omnino in te curando, neceſſaria puto. Quod, niſi perſpecta mihi penitus eſſet animi tui aequitas, & vt in alijs omnibus rebus, ita etiam in hac ſingularis prudentia, non tantum iudicia illorum huc adferrem, ſed fortaſſe etiam auderem te accuſare, ac verbis denique ijſdem obiurgare; quibus apud ſapientiſſimum poëtam regem regum Agamemnonem multo inferior perſona, ac ſeruus denique condicione, oratione tamen liber, eroque valde fidelis, obiurgat; quod nimis aegritudini indulgeret, ac ſe totum conflictaret: cum enim illud minime ſe probare in tanto rege dixiſſet, addidit. Noli putare, Agamemnon, Atreum patrem te procreaſſe, vt omnibus paſſim bonis fruerere. Et laetitia enim te, & aegritudine affici neceſſe eſt: mortalis namque natus es; teque nolente etiam, ac recuſante, conſilia Dei exitum habebunt. Conueniret certe hoc tibi quoque omnī ex parte, ſi eadem, qua ille, imbecillitate animi fores: cum enim multa, & magna in vita commoda conſecutus ſis; ampliſſimiſque fortunae muneribus inſtructus, ſperare non debuiſti tibi cuncta ſemper ex ſententia euentura: quae vero illa ſint, quibus vndique cumulatus es, cum ante oculos omnium poſita ſint, ac magnitudine ſua ſulgeant, non opus eſt nunc commemorare. Abijce igitur maerorem iſtum, nec patere, partem vllam aegritudinis in animo tuo reſidere; cogitaque te viro dignis muneribus fungendis, ac populis denique imperio regendis natum eſſe, non fletibus muliebribus, lamentationibuſque tractandis; qui mentis tuae ſtatus, vel motus potius, ac perturbatio ingens, quemadmodum alijs multis modis tibi obeſſet, ita etiam conſilia tua, vtilia nobis, ac ſalutaria, valde impediret. Affirmabo etiam, ſi hoc feceris, te gratum vxori tuae mortuae eſſe facturum; cui viuae ſemper omnibus in rebus placere ſtuduiſti: illa enim ex alto loco te nunc ſpectat, & cum amore tuo erga ſe, fidelique memoria gaudeat, capit ex hac vna re moleſtiam incredibilem

PETRI VICTORII
ORATIO HABITA
in Funere
COSMI MEDICIS
MAGNI DVCIS ETRVRIAE.

In aede Diui Laurentij XVI. K. Iun. CIↃ IↃ LXXIIII.

DVRAE partes meae ſunt,ciues, qui huc pietatis cauſa, conueniſtis: cum enim debeam optimum Principem mortuum landare; &, excitato aliquantum fletu, maetorem veſtrum lenire, vtriuſq; rei magna mihi hoc tempore penuria eſt. Quomodo enim poſſum breui tot, tantaſq; virtutes ſapientiſſimi viri enarrare,nednm illas, vt officium meum foret, atque vt ipſarum veritas magnitudoque poſtulat exornare valeam? Praeterea vnus ego praeter ceteros alteri horum muneri obeundo minime idonens ſum: omnî enim dolore vacare debet, qui alinm conſolari ob incommodum acceptum aggreditur: ipſe autem in primis luctu afflictus ſum, neque aliter ſane ſine ſcelere, ac culpa ingrati animi eſſe poſſem; enitar tamen, poſtquam mihi hoc onus impoſitum eſt, vt pauca quaedam de ſummis animi dotibus, honeſtiſſimiſque factis extincti Magni Ducis tangam, quibus etiam ſnperſedere potuiſſem, cum baec vobis omnia cognita compertaque ſint; quod itidem de claritate generis, ſemineque, vnde haec generoſa ſtirps nata fuit, vere dici poteſt. Ne tamen diſcedam a vetere conſuetudine, rationeqne huius rei ordine perſequendae, initium ſumam a dignitate regionis, ac patriae: haec namque tellus eſt illa, quam priſcis temporibus incoluere Tyrrheni, è Lydia profecti, gens, quae plurimum polluit laude religionis, ac belli; id vero tam planum, apertumque eſt, vt non oporteat teſtimonijs vllis comprobare: quod enim ad poſterius horum facit, armis vetus Etruria ſuis non paruam Italiae, ac Galliae quoque Ciſalpinae partem ſnbegit, coloniaſque in loca ipſius valde remota miſit: inferioribus autem temporibus, magnitudine Romani Imperij, Tyrrhenis atritis, in eorum vrbes Romani coloni venere; quare ita qnoque nouorum bominum genere ſplendor huius telluris imminntus non eſt: quamuis enim ſermo immutatus ſit (ſuum namque ſecnm Latini homines tulerunt) ſtudia tamen inſtitutaque non valde variata. Qui igitur clariores fontes, & qnae primordia gentis alicuius honeſtiora excogitari poſſunt? & quae tellus cum hac noſtra de dignitate iure bono contendet? Tertium tempns eſt, propinquum aetati noſtrae, quo ciuitas baec ſua virtnte conſilioque potita eſt imperio totius ferè huius regionis; quare nobilitas ipſius maxima, certa exploraiaque eſt: qui enim imperium babent in illuſtres claroſque, vt hi ſunt populi, quos regit, ij in primis clari illuſtreſque habendi ſunt,hoc igitur quoqne adfert dignitatis non parum Principi noſtrae ciuitatis, cuius egregia bona exponenda ſuſcepi. Poſſunt etiam omitti, ant ſaltem non exquiſite narrari, quae cognita ſunt omnibus de plurimis gradibus honoris,& ſacris;& profanis, quos maiores eius optimis artibus conſecuti ſunt, etſi maximi illi ſunt, nec maiores mortales vlli adepti vmquam fuere, nec non quia proprios habet, ac recentes, non extra ſe poſitos,& iam obſoletos, ſed ortui ſuo propinquos. Quis enim veſtrum neſcit ipſum è duabus clariſſimis familijs,pleniſſimiſque ſummi honoris ortum eſſe, parentibuſque eodem pacto ambobus ſua propriaque laude inſignibus? quarum etiam familiarum ſplendorem, veteremque dignitatem vberius commemorarem, ſi apud alios verba facerem:nam patris bellica virtus, militariſque omnis gloria exteris etiam populis, longinquiſque nationibus audita, & de-

cantata eſt: cognorunt enim illae, ac ſaepe cum ſuo magno malo expertae ſunt, fortitudinem IOANNIS MEDICIS, conſiliumque, quo bellum adminiſtrabat, & ſingulas ipſius partes eximie regebat, cum ſolus ille ſua prudentia, & magno bellicorum periculorum vſu antiquam laudem Italicae militiae, quae paene deleta erat, reſtituiſſet; cui niſi, acerbo quodam caſu, maxime importuno tempore, & quod in primis virtute ipſius egebat, mors allata fuiſſet, tantum vulnus acceptum non eſſet, nec fera, atque impia gens Romam diripuiſſet, & omnia humana, diuinaque iura permiſcuiſſet. Matris itidem, lectiſſimae feminae, nobilitas, cui non explorata eſt? natae e clariſſimo patre, quique omnibus honoribus in vetere noſtra republica functus eſt: ſaepeque ipſi conſilio ſuo, & auctoritate, frequens in deliberationibus profuit, cum plurimum iudicio, atque eloquentia valeret. Quid fratres modo nominem? praeclare vobis cognitos, & cunctis ſuis in factis probatos, quorum duo ad eundem gradum dignitatis, in Chriſtiana repub. vno excepto, maximum, commendari non paruis virtutibus, peruenerunt, & illo quidem, qui reſtabat ad ornandam omni decore Saluiatam domum (ſi mortales vlli tantam perſonam merito ſuſtinent) digni ſemper habiti, atque exiſtimati ſunt. Orbatus igitur maxime illuſtri patre puer adhuc, reip. noſtrae Dux, teneram illam aetatem traduxit ſumma cum honeſtate, cuſtoditus ab optima matre illiſque artibus inſtructus, quae conuenirent tam nobili proli, ſpeique magnae de illo, ſtatim a primo ipſius ortu conceptae. Non longum tempus interceſſit, cum adhuc adoleſcentiam vix attigiſſet, quo perturbato ſtatu noſtrae ciuitatis caede ALEXANDRI Ducis, magnis periculis reip. impendentibus, iuſtoque metu, ne rurſus armis omnia concuterentur, non dum grauibus plagis ſuperioris ciuilis belli ſanatis, ſapientes noſtri ciues, ac ſenatus denique ipſe, qui ſummam poteſtatem in ciuitate habebat, ſeruantes legem, qua reſp. conſtituta eſſet, cum ſanguine propinquior mortuo foret, hoc potiſſimum remedium inſtantium malorum futurum rati, remp. huic optimo adoleſcenti commiſerunt, ducemque eum, & auctorem publicorum conſiliorum eſſe voluerunt, approbantibus factum illorum vehementer ceteris ciuibus, ac laudantibus: ſperarunt enim patres ipſum virtute conſilioque aetatem ſuperaturum, & bonum, atque fidum reip. cuſtodem futurum, cum ex bonis natus eſſet, & egregie ſancteque domi educatus; in quo minime decepti ſunt, nec ſpes tanta de prudentia ipſius vllam in partem eos fefellit: non multo enim poſt, cum ſtatim etiam ſigna non parua dediſſet ſingularis ſapientiae, clauumque reip. ſumma cum laude, & admiratione ciuium teneret, incidit tempus, vt felicitas etiam ipſius appareret; (quae non minus in exercitus duce imperatoreque, quam vſus, & ſcientia rei militaris flagitatur) auſpicijs namque ipſius victi ſunt aduerſarij magno praelio, principeſque ipſorum capti, omnibus eorundem copijs profligatis: tunc enim primum dignitati ipſius locoque, quem voluntate ciuium adeptus erat, inuidentes, ceperunt arma contra reip. Ducem, incurreruntque in fines noſtros non pauci, qui, ſi quietem amaſſent, graduque ſuo honoris contenti fuiſſent, ſalui honeſtique domi manſiſſent, ſine ex ea prius legibus expulſi, in patriam reuerti ſine armis, nullo tumultu excitato, neque tanto periculo ciuitati creato, potuiſſent, cum, vt hoc facerent, non inuitati ſolum, ſed etiam rogati ſaepe fuiſſent. Secutum eſt tempus, quo conatu tanto aduerſariorum repreſſo, fractiſque opibus ipſorum Coſmus paulum requieuit, quod tempus omne conſumpſit in rep. firmanda, & ſeueris legibus vita ciuium emendanda, vſus in hac re conſilio, & auctoritate ſapientium virorum, quos frequenter ad deliberationes de rep. adhibebat, cum tamen multum ſua vi ſaperet, ac non parum iam vſu, exercitationeque proprium hoc naturae bonum auxiſſet. Duxerat ille vxorem, ſummo loco natam, & omnibus corporis, ingenijque bonis inſtructam ELEONORAM, cum qua ſemper caſte, integreque vixit; quaeque ipſum pulchrae copioſaeque ſobolis parentem fecit: quemadmodum enim in ceteris omnibus vitae bonis felix diu, fortunatuſque fuit, ita in hoc aequalem nullum, aut paucos admodum habuit. Vt autem omittam huius feminae morum ſeueritatem, conditam quidem illam cum ſuauitate non parua, modeſtiam ſingularem, optimam diſciplinam domeſticam, cui audita non ſunt, quae omnium ore ferebantur de prudentia ipſius, qua vteretur non in ſuis tantum proprijſque factis, & quae a fortunata muliere adminiſtrari ſolent, verum etiam in communibus, ad ſtatumque ciuitatis pertinentibus, cum etiam vulgo exiſtimaretur ab ijs, qui ipſum in hoc aliena ope non egere, ſed poſſe alijs facile prodeſſe, neſcirent, virum iuuare conſilio duris, & periculoſis in rebus. De fide certe, ac diligentia huius mulieris in cuſtodienda vita viri a nemine vmquam dubitatum eſt: fuit enim admirabilis. Sed cum de veris ipſius laudibus hoc ipſo in loco, tempore itidem triſti, plenius verba fecerim, non ero nunc in illis commemorandis accuratus; reuertarq; ad ea prodenda, quae magis huius mei muneris ſunt, declarantque, quomodo factum ſit, vt iuuenis adhuc tantam vim ſapientiae noſter Dux conſecutus ſit: ſtudio

enim

enim ac labore ſuo magno, praecipuum hoc animi bonum amplificauit: ad cuius enim ve-
ſtrum aures non peruenit, quanta cura ille, quanta diligentia in publica negotia incubue-
rit? vt multas ſemper non diei ſolum, verum etiam noctis horas in commodis ciuium
meditandis, & ijs, quae ſingula tempora poſcerent ſedulo videndis, collocarit: hoc enim
proprium ipſius fuit, vt ante lucem ſemper ſurgeret, ac diligenter aliquid legeret, aut
ſcriberet. Hinc autem oriebantur illa, plena iudicij, atque aequitatis, reſponſa ſuppli-
cibus libellis: ſecum enim ille, nactus hoc tempus, huic rei idoneum, mature perpen-
debat, quid iuris eſſet in ſingulis controuerſijs, atque id fieri, & cuſtodiri mandabat;
quorum etiam reſponſorum non nulla valde lepida, ac iocoſa erant, quae in primis ferun-
tur, cum aut iniquitatem, aut ſtultitiam quorundam poſtulatorum refellere oportebat:
non enim ille ſemper ſeuerus, ac triſtis. Eſt autem monimentis proditum a principe phi-
loſophorum, vbi praecepta tradit domus recte ordineque adminiſtrandae, plura & ma-
gna bona in ſe continere morem hunc è lectulo noctu adhuc ſurgendi, cum & valetudini
proſit, & rei familiari tuendae valde accommodatum ſit, & cognitioni artium honeſta-
rum neceſſarium, quod ſi tantos fructus fert priuato homini, quanto maiores vtilitates i-
pſum parere neceſſe eſt moderatori ciuitatis, cuius officium eſt non commoda vnius fami-
liae videre, ſed vitam beatam vniuerſae genti, quam regit, toto pectore comparare; in
hoc igitur inſtituto parem ille habuit neminem. Cum vero nihil vrgeret, reficereque a-
nimum a moleſtijs, aut ex polire eundem vellet, memoriae veteri euoluendae ſe dabat: in
primis enim ſcientia praeteritarum rerum delectabatur, libenterque aliquid audiebat,
aut legebat, geſtum cum laude ab aliquo forti, & excellenti viro, quae omnia ſemel per-
cepta, firma poſtea mente retinebat: habuit enim admirabilem quandam memoriam re-
rum; quod de Themiſtocle, ſummo Imperatore, memoriae proditum eſt, vnde mira-
ri minus debemus eum talem euaſiſſe, & ſui loci ordiniſque cunctos huius aetatis pru-
dentia ſuperaſſe, quod iudicium de virtute ipſius, ſummaque in regenda repub. ſapien-
tia peruulgatum eſt, & maximo conſenſu mortalium omnium comprobatum. Excipio
illos, qui gloriae ipſius inuidentes, maleuolis vocibus, iniquiſſimiſque ſermonibus hoc
decus Italiae, & hunc cumulum maximarum virtutum aequo animo ferre numquam po-
tuerunt. Eſt vero etiam hoc litteris mandatum a doctiſſimis viris, florentem alicuius,
ſiue gentis, ſiue hominis fortunam, eximiamque virtutem, gignere in animis multorum
primum aemulationem: vellent enim ſe laudato illi viro ſimiles eſſe; deinde inuidiam,
cum experti intelligunt, ſe pares illis exprimendis non eſſe; diffiduntque ſe poſſe vllo pa-
cto ad tantam gloriam peruenire. Sed culpis aliorum, turbidiſque conſilijs nunc reli-
ctis, loquamur de probitate noſtri Ducis, egregiaque ipſius voluntate erga ciuitatem, &
Florentinam omnem iuuentutem, quam ille curauit ſemper erudiendam, & bonis omni-
bus artibus expoliendam, cum domi haberent, vnde elegantiores linguas, humaniora-
que ſtudia diſcerent, & initia etiam ſcientiarum haurirent, ne plane rudes, & quaſi ho-
ſpites, Piſas proficiſcerentur: in eam enim vrbem intermiſſum ſpatio multorum annorum,
vetus gymnaſium, & quaſi mercatum reconditarum artium, omniumque ſcientiarum, re-
ſtituit, euocatis eo vndique doctiſſimis viris, magnis mercedibus, ac praemijs ipſis pro-
poſitis. vnde factum eſt, cum floruerit valde nomine, & gloria optimorum in ſingulis
ſcientijs magiſtrorum, vt non ſolum vicinarum terrarum adoleſcentes ſe contulerint eo,
ſed longinqui etiam ac peregrini ſibi ſedem illam delegerint, in qua doctrinis imbueren-
tur, & in patriam ad ſuoſque, politiores & meliores multo facti redirent. Non ceſſauit e-
tiam, cum ſciret anguſtias patrimonij aduerſari ſaepe, ne optima ingenia bonis artibus ex-
polirentur, huic malo remedium adhibere: aedificauit enim in ea vrbe amplum domicilium,
in quo tenuiores publice alerentur, cunctis rebus prouiſis, legibuſque diligenter latis, quae
cogerent eos aſſidue exerceri, & honeſtatē vitae, morumq; tueri. Hinc etiam fluxit magnus
ille prouentus, copiaq; iuriſconſultorum, theologorum, philoſophorum, medicorū, mathe-
maticorum, quae non modo ciuitatem noſtram refertſit, ſed vniuerſam etiam Etruriam
perluſtrauit, & decoris multum noſtris ſedibus, ac locis, ornatuſque comportauit. Cum
autem omnes gentes ſuo patrioque ſermone delectentur, noſter vero, in primis elegans,
& copioſus, non ſolum ſuis carus ſit, a nutricibus ipſum ſugentibus, ſed a peregrinis quo-
que, & ceteris hominibus ametur, ſtuduit etiam, vt ille magis perpoliretur, academia ipſi
erecta, in qua ſe adoleſcentes exercerent, eodemque tempore, & copiae verborum, & arti
dicendi operam darent: nec tamen cogitauit vmquam, vt languidiore ſtudio ab illis in-
cumberetur in veteres Graecam, & Latinam linguam; quarum haec noſtra veſtigium
quoddam eſt; & quarum ope, plenarum doctiſſimorum, & politiſſimorum auctorum i-
pſa amplificari, & exornari facile poteſt, cum ſine illis fruſtra omnis labor in hac re ſu-
ſcipiatur. Nam quantopere ſtudia litterarum, & ingenuas omnes artes amarit, etſi

facile ex eo, quod modo a me dictum eſt, intelligi poteſt, inde etiam perſpicitur, quod nobilem illam ſupellectilem vetuſtorum, & Graecorum, & Latinorum librorum, collectam cura, ac ſtudio maiorum ſuorum, & propria etiam diligentia, magniſque ſumptibus auctam, ac cumulatiorem redditam publicauit, & commodis omnium, non ciuium modo, ſed peregrinorum etiam expoſuit. Quantum autem hoc beneficium extiterit, & quam gratum acceptumque cupidis litterarum eſſe debeat, nouerunt, qui ſe aliquando in eam contulere: quis enim non admiretur tantam vim, copiamque antiquorum librorum? cum autem in manus ceperit, ſeduloque tractarit, tantam fidelitatem? nam numerus auctorum ipſiuſmodi tantus eſt, magnique nominis ſcriptorum, vt non cedere videatur, tantopere illis celebratis, & Alexandrinorum regum, & Pergamenorum bibliothecis. Nam Eumenis, & Attali fratrum, copia huius rei tanta fuit, vt a graui in primis auctore traditum ſit, ducenta milia ſimplicium ſcriptorum in ipſorum bibliotheca collocata fuiſſe. vnde etiam percipitur magnitudo animi noſtri Ducis, qui non imitari tantum honeſta ſtudia eorum opulentorum regum voluit, verum etiam ſuperare conatus eſt, in tanta huius praeclari operis aetate noſtra difficultate, cum temporibus illis minore labore, quibus omnia optimis artibus, & monimentis ipſarum referta eſſent, ad tantam laudem perueniretur. Huic etiam animo, ac liberali ipſius facto, ſimile parque eſt, quod libros pandectarum, collatos cum antiquiſſimo, & fideliſſimo exemplari, diligentia, & ſtudio ſapientis ſenis, ac magni iuriſconſulti, quod apud nos, tamquam Palladium, ſeruatur; infinitis inde mendis ſublatis, curauit magnifice excudendos, eximiumque hoc bonum, quo ſoli fruebamur, voluit commune nobis eſſe cum omnibus mortalibus. Hinc autem ſtatim factum eſt, vt iuriſperiti multis moleſtijs ſollicitudinibuſque liberarentur, qui ſaepe in lectione deprauatorum codicum, legibuſque interpretandis, tamquam in ſalebris haerebant; nec tamen ſecutum eſt, quod aliquis falſo putaſſet, vt communicato cum omnibus, patefactoque hoc quaſi theſauro, deſiderium, quo flagrabant ſtudioſi contemplandi exemplar ipſum, extingueretur, cum potius auctum incenſumque ſit: cum enim multis iuſtiſque de cauſis, vrbs haec noſtra ab exteris hominibus viſatur, non pauci huc accedunt ipſius tantum videndi cupiditate inflammati, ac merito quidem: quis enim non cupiat aſpicere tam praeclarum, & omni veneratione dignum, monimentum vetuſtatis, & vnde tot, tantaque auxilia manarint ad ius recte ordineque dicendum, & lites ſine vllo errore iudicandas? Quod etiam abundat hac aetate vrbs noſtra egregijs opificibus, & ijs, qui ſigna aenea, & ijs, qui marmorea faciunt, pictoribus, architectis, ceteriſque elegantiorum artium magiſtris, tantuſque & tam exquiſitus numerus ipſorum hic exortus eſt, quantus fortaſſe vix in reliqua omni Italia inuenitur, eidem acceptum referendum eſt, qui ſemper haec ſtudia fouit, de quibus etiam multum intelligebat, & principes ipſorum in honore magno habuit, adoleſcenteſque ad eos imitandos, & laude, & praemio excitauit: cum enim (vt memoriae proditum eſt) propter copiam domeſtici marmoris multi Athenis eximij opifices extiterint, quod illic telluris vis, naturaque bonum peperit, apud nos conſilium, ſtudiumque noſtri prudentiſſimi Ducis parauit, cum collegium etiam commune trium ſuperiorum artium aedificarit, vt a pueris ſtatim in ipſis exercerentur, & aemulatione etiam, ſtimuloque admoto ad ſummam laudem in ipſis adipiſcendam properarent. principum vero, ac magiſtrorum ipſorum opera manuque vſus eſt in vrbe exornanda, & ad ſummam dignitatem perducenda, quae namque Europae hodie vrbs eſt, in qua plures imagines ex aere publice ſpectentur, ſimulachraque è marmore conſeruatoris noſtri, & ſanctiſſimae ipſius cohortis, vbi plures, & elegantiores tabulae ſummorum pictorum? cum antiquam curiam, grandem quidem illam, vt vocabant, & amplam, parieteſque ipſius omnes, ac lacunar, curauerit picturis egregijs exornandos, non tantum formis, & coloribus ſpectandis, verum etiam claris, honeſtiſque factis maiorum noſtrorum, ac proprijs etiam ſuis, quibus aduerſarios deuicit, ſuſpiciendis. Quis locus in terris refertus eſt tot, & tam crebris pulcherrimis aedificijs, cum ſacris, tum profanis? Quantam autem ſpeciem, ſplendoremque ſacris aedibus, ac delubris attulerit, ſublatis è medijs illis, quae obſtabant, luminibuſque officiebant, ne tota ſimul aſpicerentur, nouiſtis: ita enim & facies ſua, atque amplitudo fanis reddita eſt, & dignitas etiam religioque aucta, cum ſimul numerus ingens ararum oculis obijcitur, imaginumque ſanctorum virorum, in ipſis penicillo expreſſarum: nam quanto elegantiores, magnificentioreſque arae ipſae poſtea aedificari coeptae ſint, cotidieque conſtruantur, omnibus apertum eſt. Maioris operis fuit, vtilitateſque in ſe, ac commoda mirifica habet, quod cum prius curiae, ſedeſque magiſtratuum ſeiunctis, valdeque diſtantibus inter ſe locis ſitae forent, voluit ipſas copulari, propinquoque in loco ius dicere, cum viam inde appellatam, diuiſerit, pulcherrimaſque ſedes ipſis erexerit: quare conſilium hoc mirum in mo-

dum

dum iis, qui litigarent, accommodatum fuit, & cauſidicorum etiam patronorumque cauſarum laborem minuit, qui antea cogebantur cum clientibus ſuis huc, & illuc perreptare, ac vix poterant receptas cauſas tueri. Sed vicinum etiam eodem conſilio domicilium praetoris, ac iudicum ciuilium cauſarum parauit, atque ipſum quidem amplum, & omnibus ſuis partibus ornatum, cum aſpectu quoque praeterlabentis fluminis, & agrorum itidem eleganter conſitorum condiatur. Affine eſt huic conſilio, quod tabularium conſtruxit, vocatum hodie Graeco nomine archium: in quo teſtamentorum tabulae, rerumque inter ipſos contractarum a ſuae ditionis hominibus fideliter cuſtodirentur, magnis propoſitis paenis illis, qui fraudis aliquid in hoc admiſiſſent, cum prius ſaepe contingeret, vt ipſae, negligentius aſſeruatae, perirent, & cauſa multarum litium, veritatiſque occultandae forent: cotidie autem magis perſpicitur, quanta vtilitas hinc proficiſcatur, vt mirandum ſit in ciuitate, optimis legibus, atque inſtitutis, vt noſtra eſt, antiquitus ornata, tam praeſtantem curiam tamdiu latuiſſe. Proſpexiſſe eundem etiam commodis valetudinique mercatorum apertum eſt, cum curauit locum tegendum, & ab omni iniuria caeli defendendum, vbi illis deambulare mos eſt, atque id magnifica elegantique ſtructura, quaeque non ſolum proſit, verum etiam plurimum oblectet. Quid dicam de ampliſſimis aedibus, ornatiſſimiſque, in quibus modo viuebat, incoeptis olim a priuato noſtro magni animi ciue, & qui ſpiritu condicionem fortunamque ſuam ſuperaret; ab ipſo tamen poſtea auctis, & ad regiam amplitudinem, propriamque ſuae perſonae dignitatem perductis; qua mole, ſumma cura ipſius, infinitoque ſtudio architecti elaborata (etſi non dum perfecta abſolutaque eſt) nulla grandior, nulla melior, nulla formoſior toto orbe terrarum inuenitur. Nam quod ſecretum iter conſtruxit, quo libere proficiſceretur è vetere regia domo ad nouam, deliciaſque, & amoenitates nobilium hortorum perfruendas, imitatione fecit Romanorum Pontificum, qui & ipſi occultam viam habent, qua ſe è Vaticanis ſuis aedibus, cum ipſis commodum eſt, aut caſus aliquis grauior vrget, in Hadrianam molem tutò conferant. Quid itidem de ponte, magna vi aquarum impetuque fluminis euerſo, ipſius vero cura reſtituto, quo ciuitas orbata, multis commodis carebat: ac non paruam partem ſui ſplendoris amiſerat; planeque manca, ac mutilata videbatur: nunc autem recepto, & ad maiorem vtilitatem, venuſtatemque redacto opera eiuſdem architecti, florentior eſt: & ſuo ingenti bono laetatur, ac fruitur. Quid de aquaeductibus, fontibus, coloſſis, columniſque multis locis in vrbe poſitis, partim Roma comportatis, partim è noſtris terris lapidiciniſque erutis: quarum etiam lapidicinarum non nullae cura ſtudioque ipſius inuentae ſunt, vnde ſaxa eruuntur varijs coloribus diſtincta, & quae lepore elegantiaque contendunt cum illis, quae è Chio antiquitus, Penteliaque, ac ceteris inſulis Graeciae effoſſa, in Italiam conuehebantur, & ornatui vrbis ſeruiebant. E quibus quoque alia materies foditur, aurumque, ac cetera metalla eliciuntur, & noua quaedam loca monſtrauit, & vetera maiore ſtudio, atque opera exercuit, atque vt has fodinas, ita etiam illas, vnde eruuntur, quae & medicamentis conficiendis, ſalutique omni generi animalium multis modis dandae, & multis alijs vſibus vitae idonea ſunt. Sed artes etiam non nullas, quibus carebamus, vtiles vitae, ſiue ſplendoris plenas, huc euocauit, & quae prius erant, exquiſitiores, vt fierent, curauit, vt ciuitas omni re ad bene beateque viuendum apta abundaret, ac locupletior foret; in quibus eſt, quae texendo magnifica ſtragula, auroque atque argento diſtinguendo, ita cuncta imitatur, ac pingit, vt exprimi melius illa penicillo, coloribuſque non poſſint, cuius nobilis artificij veſtigium apud nos nullum erat: ne autem mortuis illis, quos magnis mercedibus datis huc acceſſierat, extingueretur, vt erudirent gregem puerorum, a ſe datum, magiſtri illi optimi, ſtuduit, in quibus etiam alendis, & praemio excitandis ſumptus non paruos fecit. Superiora igitur, ac fortaſſe haec quoque, ad exemplar ciuitatis, principis totius orbis fecit, & nobilium Graeciae oppidorum. Sed locus hic tempuſque non patitur, vt cunctas ipſius, quibus vrbem expoliuit, cum ſolum etiam, atque abditas partes telluris feraciores reddiderit, rationes commemorem, praeter quam quod illae ſunt vobis penitus notae, & in conſpectu omnium poſitae. Non minus igitur, quam Caeſar Auguſtus gloriari poteſt ob ſtudium ab ſe in ornanda vrbe poſitum, qui non paruae laudi ſibi dabat, quod, quam latericiam inuenerat, Romam marmoream reliquiſſet.

Quibus etiam inauditum eſt, ipſum nouas vrbes, oppidaque opportunis locis aedificaſſe, atque illas ſedulo muniſſe, vt obſtrueretur aditus hoſtibus, non terra tantum, verum etiam mari, ſiquis vnquam auderet in tellurem hanc irrumpere, & firmiſſimum imperium labefactare: in illa enim quoque inſula vrbem condidit, quam ſuo nomine vocari voluit, vetere conſuetudine regum, & Romanorum Imperatorum, qui auctores huius beneficij terris quibuſdam populiſque extitiſſent. Valde autem opportuno

loco illa ſita eſt, ac portum amplum tuetur, cui inferioribus temporibus a ferro nomen impoſitum fuit: magna namque vis eius ex ea inſula in continentem comportatur: antiquitus autem Argous ab Argo naue vocabatur, qua delecti illi iuuenes vecti (vt cecinerunt Graeci poëtae) in eum portum, relictis Stoechadibus inſulis, in quas nauim prius appulerant, nauigarunt, atque ibi ſe ſpatio aliquot dierum oblectarunt. Admonuit me locus hic, mentioque maris, vt felicem pugnam, ipſius conſilio commiſſam apud Plumbinum contra claſſem Turcarum extra locum breuiter tangerem: quo enim tempore acerrimi noſtri Ducis aduerſarij omnibus opibus, & ſuis, & ſociorum, ipſum oppugnabant, non veriti etiam ſunt immittere immaniſſimam gentem in propinquum littus, curae ipſius tunc traditum; ſpe igitur capiundi hoc oppidum vicinumque agrum depopulandi, cum in terram deſcendiſſent Turcae, non longe ab eo, orientem verſus, fuſi fugatique ſunt, exuti armis, magnoque numero ſuorum caeſo, atque ita magno, vt paenè vacuae a defenſoribus triremes reſtarent, nec auſi amplius illi ſint negotij aliquid Tyrrheni littoris incolis exhibere, aut pedem extra naues ponere. Miſerat autem paulo antea prouidus vir, & qui diuinabat, hoc futurum, ſubſidio illi orae partem propriorum militum, & cohortes Germanorum, cum equitibus non multis, ducente Chiappino Vitellio: quorum omnium virtute res bene geſta eſt. Hoc igitur, quod nunc addam, etſi ad ſuperiorem ipſius laudem pertinet, qua ſtatuit ſibi ornanda, & munienda cuncta ditionis ſuae loca, non eſt tamen alienum a proximae rei expoſitione, quod amplum portum moliri coepit, ac multo plurium, & altiorum nauium capaciorem, cum qui prius erat, magnitudini animi ipſius, ac ſtudio nullam in partem reſponderet, intelligo eum, qui prope Liburnum ſitus eſt: hic vero & deſcriptus, & aliqua ſui parte iam abſolutus, triremium numerum maximum commode capit: a leua autem oppidi conſtitutus eſt, non magno ſane ſpatio remotus, quo loco turris perpetuo lumine, vnde vocata eſt, tutam ſtationem noctu nauibus longe indicat, in aditu nunc oreque ipſius poſita: nam a dextra quoque puſillus portus eſt, appellatus olim a numero vicinarum turrium, villa Triturrita: quarum turrium veſtigia reſtant, etſi quarta addita eſt, & grandior, & pulchrior, noua a recenti tempore, quo conſtructa eſt, vocata: in hunc enim aliquando paucae ſe triremes conferunt, anguſtijs loci a maiore illo excluſae. Imitatus igitur in hoc eſt Magnus Etruriae Dux veteres illos Romanos Imperatores, qui & ipſi, conſulentes vtilitatibus Italiae, & ſaluti nautarum huiuſcemodi grandia opera portuſque, iactis magnis molibus, ac vi aliquo modo allata telluri, multis locis conſtruxerunt. Eidem quoque commoditati proſpexit, ducta foſſa ab oppido Piſas vſque, per quam tutò facileque omni tempore naiculis merces Piſas veherentur, cum prius ſaepe, oſtium fluminis penetraturae, idoneum tempus expectare cogerentur, ac non paucae in faucibus Arni perirent. Vt autem non parum foſſa hac commoda mercatorum curauit, ita Piſanum omnem agrum, ſtagnantem, ſiccauit, fertilioremque reddidit, cura ſua magna, & impenſa itidem magna, multis foſſis per eum ductis, quibus aqua deriuaretur, ſimulque caeli ſalubritati conſuluit. nam quae prius peſtilens ciuitas eſſe non ſine cauſa credebatur, nunc ſalubris admodum eſt, & ab omni huiuſcemodi metu morborum vacua. Hoc ipſum autem C. quoque Caeſar facere cogitarat, quod tamen vtiliſſimum conſilium, Italiaeque toti valde opportunum, ad exitum non perduxit, ſed ne incoepit quidem, morte ſublatus: Pomptinas enim paludes ſiccare in animo habebat. O hominem natum beneficijs in alios conferendis, ac laboribus ſuis ſumptibuſque magnis ceterorum mortalium malis periculiſque ſubleuandis. Eundem finem, honeſtum plane, ac glorioſum habuit, quod nouae religionis, Hieroſolymitanae illius ſimilis, Diui Stephani nomine nuncupatae, auctor ac dux fuit: quae propugnaculum foret Chriſtianae pietatis, perpetuoque cum ſaeuiſſimis hoſtibus, ac praedonibus dimicaret: conſilium enim ipſius Themiſtocleum ſemper fuit, exiſtimauitque vere vires poteſtatemque maris robur imperiumque terrarum confirmare, atque augere. Sed huic etiam ordini, vt firmior, atque opulentior ſit, & agros multos, & vectigalia certa aſſignauit, nec non Piſis quoque domicilia, ac delubra multa aedificauit, & a Romana ſanctiſſima ſede commoda non parua ad eam ornandam impetrauit; quare numerus ingens clarorum, & illuſtrium virorum ad eam colendam nomina dederunt, & fortunae laudeſque ipſius magnopere auctae ſunt. Cum autem propinquum mare, infeſtum prius, ac refertum praedonibus magna ex parte purgarit, terram quoque ſuae ditionis proprijs armis muniuit, delectu habito fortiſſimorum militum; quorum cum magnum numerum deſcripſiſſet, centurionibuſque ac ceteris militiae ordinibus inſtruxiſſet, frequenter illos exerceri voluit, ipſorumque corpora ſua ſponte firma, cum in montibus aſperiſque locis nata ſint, ac viuant, aſſiduis laboribus, & exercitationibus magis firmauit, habilioraque frigori ferendo, atque aeſtui, ceteriſque bellicis aerumnis reddidit, cum

vero

vero illi reliquis ſuis in muneribus fideles ſemper, amanteſque ſui Ducis ſe praebuerint, huic etiam triſti tempori praeſto fuerunt, maeroreque, ac ceteris inſignibus magni luctus, quem ceperint dolorem ex interitu ipſius declararunt, miſſis ad funus, quod ductum eſt, centurionibus ſuis, ac ſigniferis, vt mos militiae eſt; quos videre potuiſtis non minus maeſtos, quam ſi ſinguli ſuum propriumque parentem amiſiſſent. Eundem quoque habitum animi, veſtitumque aſpicere potuiſtis cataſtractorum ipſorum: vt enim ille multo prius pedeſtribus copijs, roboreque legionum, & leuiore equitatu imperium hoc firmarat, ita poſt grauiorum equitum turmia, non minus neceſſarijs bello adminiſtrando, ipſum ſtabiliuit, nobilibus iuuenibus cupiditate flagrantibus ſuae virtutis in bello oſtentandae. Cum autem optimus princeps, ita in ſalutem noſtram, vtilitateſque incubuerit, ac, dum quieto licuit, toto animo commoda reipub. procurarit, ipſamque his omnibus, quos dixi, & alijs etiam modis ornarit, his ſuis armis, opibuſque auxilium etiam tulit potentiſſimis regibus, atque id ſemper in bellis pijs, & quae geſta ſunt, ſiue contra perpetuum noſtrum dirumque hoſtem, ſiue contra rebelles Pontificij imperij, aut ſuorum legitimorum regum: nam & ad Carolum V. Imp. non ſemel auxilia magna miſit, eundemque ſaepe pecunia iuuit. Quantopere autem Coſmum Carolus dilexerit, & quam praeclarum iudicium de ipſius, adoleſcentis adhuc, ingenio ac prudentia fecerit, cum eum Genuae ſalutanit, ſatis puto notum eſſe; quare ornauit ipſum gradu illo honoris, quo maxime illuſtres Principes, excellentique virtute praeditos decorare morem habebat; voluitque vnum eſſe celebris ſanctaeque ſocietatis, quae dignitatem hodie plurimam habet, imagoque dicitur eſſe priſcae illius, fideliſque conſpirationis fortiſſimorum totius Graeciae iuuenum ad aureum vellus è Colchorum terra aſportandum; inſigneque inuictiſſimus Imperator ad ipſum huius honeſti doni dati miſit; & hunc igitur ſemper quaſi pius filius, quacunque re potuit, libenter iuuit, & ad fratris filium Maximilianum, qui in eodem ampliſſimo gradu honoris patri ſucceſſit, partem ſuarum fortium copiarum, cum a rege Turcarum ei bellum illatum eſſet, itidem miſit. Quis praeterea neſcit noſtrum Coſmum, regem Gallorum bellum gerentem aduerſus eos, qui defecerant, & a Romani Pontificis poteſtate, & a ſua auctoritate, ac iure, ambabus rebus iuuiſſe, ideſt & parte non parua ſuarum inſtructarum egregie, fortiumque legionum, & grandi itidem pecunia? Sed domum reuertar, ac de proprijs fortunatiſſimi hominis bonis, gaudijſque breui loquar: cum enim egregiam corporis ſpeciem haberet: nam & magnus fuit, & formoſus (de firmitate enim ac viribus, cum in ea ceteros vinceret, nihil attinet dicere) inſitamque a natura grauitatem poſſideret, ac maieſtatem non mediocrem, fortunae ipſius locoque, quem in ciuitate tenebat, mirifice congruentem, ſobolem etiam ſuſcepit iiſdem dotibus inſtructam; & a natura ipſa ſingulari venuſtate donatam, quam curauit etiam, vt virilem, ita quoque muliebrem honeſtis artibus expoliendam, cum domi haberent, vnde litteras, & Graecas, & Latinas diſcerent, & grauioribus etiam ſcientijs erudirentur. Vt autem taceam eum, qui marium primus ortus eſt; nam femina fuit, quae Coſmum (vt poëtae verbis vtar) patrio nomine donauit, duabus de cauſis is, qui Princeps vocaretur dignus fuit, & quia marium primus extitit, & quia Princeps, reipublicaeque Dux eſſe debuit, vt, inquam, hunc taceam, imaginem veram patris, aureum partum matris, amores ac delicias amborum, liberali omni doctrina perpolitum, cum duos habuerit, qui in collegium ſummorum Cardinalium cooptati ſint, ambo eximie eruditi fuere; quorum tamen mortuus ille, ſpecimen magnum probitatis, ſingulariſque caſtitatis, quietam vitam, totamque in cognitione rerum poſitam dilexit; qui vero & viuit, & vt diu viuat, optandum eſt, cum auerſus, & ipſe a muſis minime ſit, magis tamen vitam, in rebus agendis occupatam ſequitur, & in ipſa iam, vt eſt natura perſpicax, atque acer, non paruam laudem conſecutus eſt; cuius itidem animi, ac voluntatis eſt minor omnium fratrum Petrus, cum iam gradus magnos in maritimis rebus, ac claſſe regenda adeptus ſit. E pluribus vero ſororibus ſola ſuperſtes Iſabella (quae namque Alfonſo Duci Ferrarienſium nupſit, breui tempore frui potuit egregijs bonis tam honeſti, & illuſtris matrimonij, morteque ſublata, magnum ſui deſiderium reliquit, ob maximas ingenij dotes, & viro, & patri) Iſabella igitur, quam Paulus Vrſinus, nobiliſſimus ac fortiſſimus Dux, in matrimonio habet, reliquis extinctis, & ipſa liberalem omnem, ac dignam muliere nobili, doctrinam colit, in quo imitatur veteres illas Romanas feminas, quae mathematicis ſtudijs deditae erant, cum & ipſa in primis incenſa ſit deſiderio cognoſcendarum rerum caeleſtium, ortuque atque obitu ſiderum, nec minus tamen amplexetur deſcriptionem orbis terrarum, ac locorum. Non puto etiam ſileri oportere ſtudium magnum, quod ipſa ponit in agris ſuis hortiſque excolendis, atque omni genere inſitarum arborum diſtinguendis; in quo ſequitur conſilium, atque artificium patris, qui praeter ceteros, non principes modo viros, ſed priua-

ros etiam homines, hoc ſtudio tenebatur, exiſtimabatque vix poſſe liberos, ac politos viros vocari, qui ſenſu ſuo hanc voluptatem numquam guſtaſſent; cuius percipiendae antiqui quoque illi reges valde cupidi extitere. Cum autem è liberis, quorum fuit ſemper amantiſſimus, liquidas multas ac ſinceras voluptates ceperit, pluraque in vita viderit, quae magna laetitia ipſum merito affecerunt: nemo enim ad certum ſpatium temporis fortunatior, nemo plura, maioraque bona, & voluntate Dei Opt. Max. & ſtudio curaque ſua nactus eſt, nulla alia re tantopere gauiſus eſt, quantopere cum contigit ei, vt in matrimonium cum cariſſimo ſibi filio collocaret Ioannam Auſtriacam, & reginam natam, & Imp. filiam, & Imp. ſororem: haec enim res eum gaudio extulit, & infinita quadam laetitia pectus eius effudit: cuius ſui animi, ſingularíſque voluptatis, quam ex his optatiſſimis nuptijs perceperat, ſigna certa & magna dedit: quae namque nuptiae vmquam tanto cum apparatu, & ſplendore omnium rerum celebratae ſunt, neque ipſius tantum, cuius proprium bonum ſolidumque hoc fuit, verum etiam totius ciuitatis, quae & ipſa ſecundis rebus ſui Ducis, vt decebat, laetata eſt, & ſuam etiam dignitatem augeri claritate opulentiſſimae domus, cum ipſo ſanguine coniunctae, vere exiſtimauit. Creuit autem hoc gaudium mirum in modum in animo ſapientiſſimi Principis, cum vitam moreſque optimae nurus perſpexit: quae namque femina prudentior? quae moderatior? quae humanior? cum exemplar quoddam probitatis, caſtitatis, pietatis, delapſum de caelo ad vitam reliquarum perpoliendam habenda ſit? Sed quoniam alio tempore, magis apto ad virtutes ipſius explicandas, plenius de laudibus ipſius locutus ſum, non ero nunc longior: nec res valde bonas ſecundaſque cum malis triſtibuſque amplius miſcebo. Idem etiam (relictis enim honeſtis artibus filiorum, ad patris non nulla, laude aliqua digna, ſtudia redibo, quae & ipſa, ſi non propria omnino ſunt fortunatorum hominum, non aliena tamen exiſtimari debent a condicione graduque ipſorum: quicquid enim animum excolit, opitulaturque aliquando mortalibus, in eorum quoque perſona laudem inuenit.) Idem igitur, cum ſaltus ſiluaſque frequentarit, deditus valde venatui, omne genus ferarum animantium, victuſque ipſarum, ac naturam praeclare intellexit, quemadmodum etiam arborum, herbarumque, & vnde aliquid opis capitur ad vitam tuendam, morboſque a corporibus depellendos: & vnde detrimenti quippiam naſci poſſet, ac peſtis ad eandem labefactandam. Quod etiam de Alexandro Macedone, illo Magno, memoriae proditum eſt ab optimis auctoribus, vere etiam de Coſmo noſtro, & ipſo Magno, praedicari poteſt, delectatum eum magnopere fuiſſe ſcientia medicorum: rex enim ille fertur, non intelligentia medicamentorum contentus fuiſſe, ſed etiam animaduerſioni huic ſubtili, atque vtili vſum addidiſſe; quippe cum aegrotantibus familiaribus, atque amicis ſubueniret, ac ſtudio ſuo operaque morbos ipſorum curaret, cum etiam medicamenta quaedam confeciſſet, ac quomodo morbis victu aliquis prodeſſe poſſet, docuiſſet. nam Mithridatem Ponti regem eandem amplexatum fuiſſe, medicamenta multa plane teſtantur, ab ipſo vocata. Quis autem neſcit idem factitare ſolitum Magnum noſtrum Ducem, nec ciuibus ſolum aegrotis mederi, ſed alienis etiam, longinquiſque hominibus, ac principibus viris, remedia morborum mittere ſolitum? verum etſi hae laudes tenues non ſunt, quippe cum & hi, quos nominaui, & alij etiam reges, & opulentiſſimi viri, quos non appellaui, appetentes earum fuerint, ſatis conſtat Coſmum grandioribus multo, & quae magis ore omnium feruntur, ornatum fuiſſe, quibus exponendis locus alias magis accommodatus erit: nunc enim importunitas inimicorum me inuitum rapit ad ea narranda, quae quamuis negotij multum periculique creauerint fortunatiſſimo viro, & qui, cum ipſi licuit, honeſtum ſemper otium amauit: in primis autem a ciuili bello abhorruit, eadem tamen plurimum gloriae dignitatiſque ei attulerunt. Vixerat igitur lumen noſtrum, columenque reipub. Coſmus ſpatio quorundam annorum, ſi non omnino ſine metu, vacuuſque ab inſidijs inimicorum, minus tamen laceſſitus, neque ipſorum armis aperte oppugnatus, cum repente Etruriae totius tranquillus ſtatus perturbatus eſt defectione Senarum a veteribus ſuis partibus, quae vrbs, cum in poteſtatem Gallorum regis veniſſet, ſtatim repleri coepta eſt exulibus noſtris, quaſi portus, & perfugium eorum facta, vel potius ſedes noui futuri belli, quod ſtudioſe ab ipſis parabatur, adiunctis armis Gallorum, contra quietum ſtatum noſtrae ciuitatis: illam autem cum recuperare ſuis viribus Hiſpanorum fortiſſima natio elaboraſſet, nihil praeſtare eorum, quae toto pectore conata eſt, valuit. Tum vero, quod primo non ſine cauſa timuerat, cotidie magis vidit reipub. noſtrae Dux, omnia illic parari ad ſtatum ſuum temptandum: ac, ſi aliqua ratione poſſent, conuellendum, confluentibus eo vndique aduerſarijs: quare ſtatuit ſibi neceſſario arma capienda, ne tam vicinum malum aleretur, ac diuturnitate ita creſceret, vt vix poſtea excindi opprimique poſſet; itaque coniunxit ſuos fortes milites, roburque reip. ſibi mandatae

cum copijs, inde prius reiectis, occupatoque noctu propugnaculo vrbis, continente moenibus, ſubito paenè ciuitatem obſedit, & multis fructibus agrorum commodiſque ſpoliauit; quo in bello, cum longius euaſiſſet, Gallia, & pecunia & copijs ſpe aexulum fouentibus, & partam poſſeſſionem eius terrae ſummo conatu defendentibus, auſi ſunt etiam, ex vrbe egreſſi tenebris, in noſtros fines irrumpere, vt nouis auxilijs, ſibi è Gallia claſſe miſſis, occurrerent, & parte aliqua ditionis illorum ope ciuitatem priuarent, ac, ſi poſſent, ipſum etiam noſtrum Ducem è ſede ſua exturbarent; qui ſane inexpectatus, ſubituſque hoſtium aduentus, vt neceſſe fuit, trepidatione ac tumultu omnia impleuit; & tamen paulo poſt diſcuſſus eſt hic, quaſi nimbus, compulſis in obſeſſam vrbem illis, qui in alios incurrerant, atque nos affligere, fortunaſque noſtras diripere feſtinabant. Non multos autem dies poſt ijdem iterum eodem animo, vt ſe malo liberarent, è regione poſitam priori partem Imperij, agrique noſtri aggreſſi ſunt; vnde etiam expulſi fuere, victi magno praelio, & omni ſuo exercitu caeſo, fugatoque, ac vix elapſo, maximi animi viro, ac ſingularis in bello virtutis, duce aduerſariorum, multis vulneribus acceptis, cuius felicis pugnae ſigna ſpoliaque adfixa parietibus huius ſacratiſſimi templi videtis, tunc penitus fractae ſunt opes hoſtium, animi tamen obſtinati adhuc manebant, cum pertinaciter vrbem defenderent, atque omnia perpeti mallent, & fame denique interire, quam manſuetudinem clementiamque victoris experiri. Non multo poſt tamen nudati omnibus praeſidijs, nouiſque incommodis in bello, ac vulneribus acceptis, coacti ſunt manus dare, & condiciones, quas victor vellet, accipere. Conceſſa autem aliquanto poſt fuit poſſeſſio captae vrbis ab opulentiſſimo rege Philippo, noſtro Duci, ſocio huius praeclarae victoriae, cuius conſilio, ſumptibus, atque armis ipſa magna ex parte conciderat, atque ita fortunae ipſius valde auctae, fineſque imperij longe propagati: ſed nulla tanta poteſtas dignitaſque eſt, quae non congruiſſet ipſius praeſtanti virtuti, ac ſapientiae; bene igitur ac merito collocatum fuit hoc beneficium, quod in ipſum, non dicam a grato, ſed a liberali, ac munifico rege collatum eſt. Quod ſi praeclarius aliud honeſtiuſque nomen haberem, quo vocarem hoc eximium factum ſapientiſſimi regis, libenter eo vterer, cum ſit omni ſua parte perfectum: & amplitudo enim muneris conuenit tam opulento regi, magnificentiaeque ipſius proprium eſt, & perſona, cui datum eſt, valde ipſi accipiendo idonea. M. Antonius, diuiſo ſibi Romano Imperio cum Caeſare Auguſto, dona ſane ampla dicitur dediſſe ſodalibus, atque amicis, ideſt ciuitates, regna, tetrarchias: in primis enim ſemper liberalitas hominis laudata eſt; illud tamen non bene, quod Cleopatrae amicae Phoenicem, Syriam, Cyprum, Ciliciae, Iudeae, Arabiae magnam partem dilargitus eſt; in quo tamen ſe ita mollitiemq; ſuam callide purgabat, dicens, Imperij Romani magnitudinem ſpectari ex datis, non ex acceptis muneribus, ac beneficijs debere. Nec tamen ipſum reprehenderim, quod celebrem illam Attali bibliothecam, cuius ſupra mentionem feci, eidem reginae dono dedit, & mulierem hanc generoſam laudo, quae cupida magnopere huius praemij fuit: voluit enim illa reſarciri damnum, quod Alexandria, ſedes ſui regni, acceperat, cum pugnatum in ea vrbe fuit inter C. Caeſarem, & eum, qui tunc illic regnabat, Ptolemaeum puerum: incenſa enim eſt infinita illa copia librorum, quam maiores ipſius collegerant, totaque flammis exuſta; & Antonius hoc aequum poſtulatum eſſe, negarique ipſi non debere exiſtimauit, vt damnum, quod a Romano homine datum eſſet, a Romano itidem homine compenſaretur; ſed reuertar eo, vnde digreſſus ſum. Vos autem, ciues, quot fructus, quantaſque vtilitates è Ducis veſtri rebus ſecundis, duplicatoque paenè regno, & iam ceperitis, ac perpetuo capturi ſitis, non ignoratis. Nam quin iuſtum hoc bellum, ac prope neceſſarium multis de cauſis fuerit, dubitandum non eſt: haec enim vicina gens eſt illa (doleo mihi neceſſitatem impoſitam vetera vulnera refricandi, cogique aliquo modo male loqui, vel potius queri de nobili hac ciuitate, quae abundat ingenijs, floret ſcientia artium honeſtarum, fulget omni genere virtutis, & quae demum tota comis liberaliſque erga ceteros eſt, quamque ego alias ſemper publice priuatimque dilexi) haec inquam gens eſt illa, quae olim veſtris rebus parum proſperis laetabatur, quae ſuis copijs hoſtes veſtros adiuuabat, quae perpetuas inimicitias vobiſcum ſine cauſa gerebat, falſis ſuſpicionibus de nobis in animum multitudinis ab iniquis inculcatis: nunc autem victa bello a fortiſſimo veſtro Duce, ipſiuſque beneficijs delinita, ſe & ſua omnia libenter vobis ſuppeditat, & noſtris bonis, ac fructibus pariter fruitur; reconciliatiſque animis vna vobiſcum gaudet iuſtiſſimo imperio huius feliciſſimae domus, & cum praeſentem ſuum, quietum ac tranquillum ſtatum confert cum eo, quo regebatur a ſuis, plerunque turbulentis, ac ſeditioſis hominibus, bene ſecum actum putat, ſeque emerſiſſe è mole graui moleſtiarum laetatur. Vt autem conſilio ſuo, ac virtute Coſmus, verus ornatus ac ſplendor huius aetatis, fines imperij protulit, paeneq; vniuerſam Etruriam ſuae ditionis.

ditionis fecit, cum & Florentinorum, lati & opulenti imperij, & Senenſium, itidem magni ac fructuoſi, Dux foret, ac vocaretur, viſum eſt Pio V. Pont. Max. & maximo & optimo; quique veterem innocentiam, integritatemque ſanctiſſimae ſedis noſtris temporibus renouauit, cognita ipſius pietate, praeclaroque animo erga Romani imperij dignitatem, cum ſuis etiam armis victoriam Caroli regis Gallorum iuuiſſet, qua confecit communes hoſtes, viſum inquam eſt ei, florentem Coſmum ſummis honoribus, magis adhuc ornare, & ampliore titulo honeſtare, atque, vt erat magnus ob res a ſe geſtas, & ob imperij magnitudinem, nec non ob populorum, quos regit, eximiam & illuſtrem naturam, atque artes, ita etiam ipſum Magnum Ducem appellari, atque id Etruriae totius, telluris, quae ſemper viguit laude religionis, & noſtram veriſſimam omnium, delapſamque de caelo, in primis recepit, & firmam adhuc ſine vlla mutatione voluntatis tenet, ac tuetur. Non debet hoc loco ſileri magnum Magni noſtri Ducis beneficium, non ſolum erga Pontificium imperium, quod ſemper ille coluit, ac toto animo veneratus eſt, ſed etiam vniuerſas pias nationes, & quas auctoris ſui conſeruatoriſque nomine appellauit; quod cum mens data eſſet a Deo Opt. Max. huic innocentiſſimo Pontifici, & flagranti deſiderio iuuandi gregis curae ſuae commiſſi, vt reconciliaret animos Chriſtianorum regum, ac populorum, ipſoſque poſtea ad bellum gerendum contra immaniſſimum hoſtem excitaret, quod ille impigre fecit, & ad exitum hoc optimum conſilium magno ſuo labore, ac ſtudio perduxit, huius laudis, ingentiſque gloriae noſtrum Ducem, quantum humanis conſilijs prouideri poteſt, comitem ſociumq; fuiſſe, ne dicam principem, atque auctorem, quod fortaſſe vere diceretur, ſed malo in laudibus ipſius, honeſtiſque factis perſequendis modicus remiſſuſq; videri, quam in ſuſpicionem alicui venire vanitatis, putarique falſam gloriam ei affigere, qui ſua propriaque totus nitet; quod tamen facile credent, ac verum prorſus eſſe iudicabunt, qui attendent, quanta cura, quanto ſtudio, quanto ardore animi cuncta, quae pertinebant ad hoc bellum gerendum, adminiſtrarit, & quot triremes aedificandas, ornandaſque curarit, cum hiemem, quae ſecuta eſt, totam, ceteris omnibus rebus poſthabitis, aſſiduus in naualibus maneret, ac praeſentia ſua, ſtimuloque omni admoto, inſtans operi, conſilium ſuum vrgeret. Quem autem fructum tulerit haec tanta ipſius ſedulitas, auxiliaque magna, quae miſit ad maxime pium ſalutareque bellum adminiſtrandum, praeclariſſimamque inde victoriam, quod factum eſt, adipiſcendam, ſatis eſt vobis cognitum, atque exploratum; magis tamen perſpectum illis, qui in illa terribili pugna nauali praeſentes adfuerunt: ipſi enim virtutem fortiſſimorum militum, triremiumque earum celeritatem, non deſinunt praedicare, & ſummis laudibus in caelum ferre. Eodem autem animo poſteriore hieme in eandem curam incubuit, nec ceſſauit vmquam omne genus armorum inſtrumentorumque, & cuncta demum, quorum ope florentiſſima claſſis parem priori laudem in hoc bello conſequeretur, parare; & illa omnia ſedulo, matureque praebere, vt qui flagrauit ſemper deſiderio verae laudis, & in primis rectum, plenumque dignitatis, vti erat, eſſe putauit, nullum laborem fugere, nullum periculum vitare, nulli ſumptui parcere, vt gloria, parta incredibili illa apud Echinadas pugna nauali, quae vniuerſum orbem peruaſit, & animos Chriſtianorum hominum ingenti laetitia impleuit, retineretur, & noua aliqua victoria decoraretur, vt aliquando ſaeuiſſima gens, & quae pulcherrimam pacem orbis terrarum vaſtauit, ac iugulis noſtris ſemper imminet, coerceretur; ac, ſi fieri poſſet, quod deſperandum non erat, diuino auxilio fretis, & concordia virium noſtrarum, ſi manſiſſet in his fides, quibus debuit, aliquando extirparetur, in illaſque Scythiae niues, atque latebras, vnde emerſit hoc infinitum malum, relicta luce Graeciae, retruderetur. Non debeo hoc loco reticere, quod valde ſimile huic tempori eſt, valetque ad gloriam noſtrae telluris illuſtrandam, quae omni aetate honeſta facta opibus ſuis adiuuit, ac ſemper deſiderio verae laudis flagrauit: cum enim P. Scipio claſſem aedificare vellet, qua exercitum in Africam tranſportaret, acerrimumque hoſtem ex Italia, interuallo X V I. annorum ab eo vaſtata, atque incenſa, amoueret, vt memoriae proditum eſt a rerum R. ſcriptore, magnas vtilitates a vetere Etruria ad eam rem accepit: populi namque ipſius certatim omnes, quibuſcunque rebus poterant, conſilium Scipionis adiuuarunt: poterant autem multis, propter opes, quibus praedita eſt, vbertatemque omnium rerum, haec ipſa regio. Caerites igitur frumentum ſocijs naualibus commeatumque praebuerunt. Populonienſes ferrum. Tarquinienſes lintea ad vela. Volaterrani armamenta nauium, ac frumentum. Arretini X X X. milia ſcutorum, & reliquum omne genus armorum, ac naualium inſtrumentorum quinquaginta milium ſummam, pari cuiuſque generis numero, vt frumentum etiam, nec non quod opus eſſet in viaticum centurionibus, & remigibus dederunt. Peruſini, Cluſini, Ruſellani abietes in naues fabricandas, ac vim magnam itidem frumenti; atque haec omnia non rogati ſe expleturos, ſed

ſponte

ſponte ſua, benigneque polliciti ſunt. Cum fideliter autem cuncta recitarim, quae apud auctorem legi (liceat, quod in mentem mihi venit aperire) non poſſum non magnopere mirari, cur Piſanos T. Liuius praeterierit, quos in primis veriſimile eſt, praeſto Scipioni eo tempore fuiſſe: nam, quin multis modis facile potuerint claſſem inſtruere, dubium non eſt, cum, praeter veterem gloriam eius ciuitatis, quam conſecuta fuerat in pugnis naualibus, & praeter maris propinquitatem tellus ipſorum copioſa fuerit earum rerum, quibus ceteri populi, liberaliter vſi, magnam inde gloriam reportarunt: quis enim ager fertilior, atque vberior Piſano? qui montes pleniores materiae, aptae ad naues fabricandas? cum pinus illic ſua ſponte copioſè naſcantur; quae materia, cum ipſi prius ea vterentur, vt optimi auctores teſtantur, in periculis, quae ipſis mari inferrentur propulſandis, cum pugnaciores forent Tyrrhenis, & a latere Ligures, moleſtos & iniquos vicinis haberent, inferiore aetate ceſſante apud ipſos eo ſtudio, Romam miſſa abſumebatur in vrbanis illis ſumptuoſis aedificijs, & magnificis villis, quas more Perſicarum regiarum conſtruebant. Neque eſt, quod quiſquam arbitretur, Piſanos, vt Graecos, voluntate & ſanguine diſſentientes a Tyrrhenis, noluiſſe ipſorum conſilijs, & ſtudijs comitari: ipſis enim quoque non mediocri bono erat, Annibalem ex Italia extrudi; in primiſque Graecorum natio laudis, & gloriae cupida ſemper fuit. Locus praeterea fabricandis nauibus valde opportunus eſt, cumq; hiſtoricus non oſtendat, vbi claſſis aedificata ſit, quãuis non ſine cauſa aliquis ſuſpicaretur id Oſtiae factum fuiſſe, cum narret Scipionem operi inſtitiſſe, vix poſſum credere, quin pars aliqua ipſius Piſis fabricata, & ornata ſit. Nam, quod idem Faeſulanorum noſtrorum mentionem nullam fecit, non tantopere miror; ipſi tamen quoque, ſi nulla alia re, ſaltem abietibus vnà cum ceteris Tyrrhenis praeclarum hoc opus non parum iuuiſſent. Sed, qui hiſtoriam ſcribunt, non ſunt in vetere memoria euoluenda ita diligentes, vt nos vellemus, & hic, magnus ſane ſcriptor, ob ingentem molem operis, quod ſibi propoſuerat, non poterat cuncta curioſe inueſtigare, vt non ſine cauſa aliquando negligentiae inſimuletur. Sed eo iam, vnde digreſſi ſumus, redeamus. Voluntas vero tam prompta populorum neceſſaria P. Scipioni fuit, quia vt delectum militum haberet, a ſenatu permiſſum ei non fuerat, ſed tantum, vt voluntarios ſibi ducere liceret impetrarat, & quae a ſocijs darentur ad nouas naues fabricandas, & ornandas accipere: ipſe namque, vt facilius, quod volebat, teneret, ſumptui negauerat reip. claſſem futuram. Adeo magna ſaepe praeclaris, rectiſſimiſque facinoribus impedimenta obſtant. Renouauit igitur Coſmus ſtudium, alacritatemque veterum illorum Etruſcorum, vel potius vicit: neque enim materiam inſtrumentaque, quibus claſſis fabricaretur, dedit, ſed triremes ornatas, & remigibus militibuſque inſtructas, miſit. Eaedem autem cogitationes erant tertio anno, ijdemque apparatus noſtri fortiſſimi Ducis in claſſe, quae vndique inſtruebatur, ſuis quoque nauibus augenda, ſupraque ille imbecillitatem valetudinis vrgebat hoc ſanctiſſimum opus, ac ſi poterat aliquid addi ſuperiori ſuae diligentiae, atque induſtriae hoc ſtudioſe, atque ardenter adiungebat, cum grauius aegrotare coepit, ac praeter veterem morbum, grauem quidem illum ac moleſtum, nouis ſaepe temptationibus labefactari; nec tamen ille, quod infixum animo penitus habebat, vllam in partem dimittebat. Quod autem ſubito non interrupit ſolum, ſed fregit hunc fortem conatum, fuit defectio ſociorum, & ſanctiſſimi foederis diſſolutio, qui nuntius magno Coſmo multis de cauſis non paruum dolorem attulit: vidit enim in medio curſu, aliorum culpa, iter ſuum ad ſingularem dignitatem ſibi comparandam obſtructum eſſe; nec minus tamen ei doluit publicum incommodum, & graue malum, quod vitae libertatique piarum nationum impenderet: voluiſſet enim ante quam è vita diſcederet, quod tempus non longinquum futurum videbat, apertam viam ſalutis cernere Chriſtianis hominibus: mors enim ita ipſi minus acerba fuiſſet, cum quicquid poterat feciſſet, ad ſalutem alijs dandam valde accommodatum. Sed aliae etiam honeſtae cogitationes ipſius vi morbi impeditae ſunt, breuitateque vitae totae euerſae, ac diſſipatae: habebat enim in animo, menteque hoc aſſidue verſabat, reip. ſane ornatae, ac ſtabili, non parum ornamenti, & praeſidij ſua noua cura, ac ſtudio adferre, dignitatemq; ciuium, & ſplendorẽ valde amplificare; quod, quamuis alicui, quomodo effici poſſit, mirum videatur, cum in hanc rem multo antea incubuiſſet, amori tamen illius in patriam, animique ac conſilij magnitudini, difficile non erat, hoc igitur quoq; nobis bonum eripuerunt infirmitas corporis, crebrique motus valetudinis. Nam quod ſuperfuit vitae, plenum dolorum, atque ingentium moleſtiarum fuit, cum videret ſibi ereptam facultatem agendi, quae viro, qualis ipſe erat, & fortunato, & ſapienti congruebant, & quorum gerendorum ille deſiderio magno ſemper inflammatus fuerat: tanta autem aegritudo Coſmum huius iniuriae acceptae a fortuna capiebat, vt aliquãdo etiam lacrimas non teneret, qui motus animi, niſi forti viro conueniret, numquã Homerus ipſum heroibus illis ſuis, vt ſaepe facit, tribuiſſet, dolori tamen corporis fortiter reſiſtebat, virtu-

ptum, vehementer doletis, & quaſi optimo, & amantiſſimo patre orbati, lugetis. Cum etiam gemitus ingens, ac ploratus huic officio meo, ac loco conueniant, vereor, ne vox deficiat, ac magno dolore oppreſſa faucibus haereat. Maeſtitia praeterea veſtra, & ſquallor dolorem meum auget, omniaque hic apta ad grauiſſimam iuſtiſſimamque triſtitiam ſignificandam. O ſaeuum vulnus acceptum, ô atrox & inauditum malum, neſcio vnde importatum, vt alieno tempore, etſi quod tempus non alienum tanto exitio extitiſſet, ſed tamen vt alieno tempore custode noſtrae ſalutis, auctoreque omnium commodorum ſpoliati ſumus. Tu moriens, tecum, Coſme, cuncta noſtra gaudia abſtuliſti: Tu diſceſſu tuo infinita quadam miſeria nos obruiſti. Hic eſt ille, qui florentem hanc remp. conſtituit; qui multis vtilibus legibus ipſam firmauit; qui proprijs [illegible] imperium hoc amplum roborauit, & equeſtres graues turmas legionibus robuſtiſſimis addidit. Hic eſt ille, qui ſanctiſſimam religionem condidit, arcem interioris maris, horribilemque metum piratarum. Hic eſt ille, qui vrbem totam muniuit, & pulchram antea, venuſtamque magis exornauit, & [illegible] decore ſplendoreque perpoliuit. Quomodo igitur tanto incommodo ferendo pares erimus? quem finem vmquam luctui noſtro inueniemus? quis maerorem hunc tantum, non dicam ſolabitur, ſed leniet? Certe, ſi cogitamus damnum, quod fecimus ſpectamuſque, quod iam tranſactum eſt, atrocemque plagam, quam accepimus, non poſſumus non magnopere lamentari, ac perpetuo angi, cum tamen aſpicimus, quod ante oculos verſatur, conuertimuſque mentem ad te, noue noſter Magne Dux, natum ex hoc optimo patre, & ipſius optima diſciplina inſtitutum, non debemus deſpondere animum; nec male omnino nobiſcum actum eſſe putare: neque enim habebimus auctorem publicorum conſiliorum rudem reip. tractandae, & qui modo gubernaculum ipſius attigerit, cum multos annos in ea regenda cum ingenti omnium laude, & admiratione verſatus ſis; quod beneficium magnum a patre suo, ſapientiſſimo viro, & qui futurae quoque noſtrae ſaluti, beataeque vitae proſpexit, vna cum alijs plurimis accepimus qui cito te, adoleſcentem adhuc, & paenè puerum, in ea diſciplina erudiri, & exerceri voluit, quam futuram tuam eſſe iure bono aliquando intelligebat; factus igitur ad eam, pulcherrimeque inſtructus veniſti; quare maximum hoc onus, & vicino hoc noſtro monte, grauius, quod modo humeris tuis totum impoſitum eſt, moleſtum tibi nullam in partem erit, & nos ex vſu vetere tuo huius rei, prudentiaq; ſingulari, fructus ingentes voluptateſque capiemus, cum res noſtras tua cura, ſtudioque meliores cotidie fieri videbimus. Eadem autem bona, quae ſunt maxima, expectare poſſumus, ac debemus a te, Ferdinande, ſumme Cardinalis (abſentem appello) ſperareque amplitudinem tuam, & ſingulis nobis, & vniuerſae ciuitati praeſidio futuram, qui omni tempore, quacunque te potuiſti, enixe, vt Romae, ita hic, & publicam dignitatem, & priuatorum noſtrorum hominum commoda procuraſti. Nunc autem, graui hoc nuntio accepto, pietate impulſus, ex vrbe huc cucurriſti, praeſenſq; adeſſe triſtibus his exequijs voluiſti, vt ipſas quoque dignitate tua magna honeſtares, ac poſtremum hoc munus mortuo patri dares, quem viuum ſemper vehementer obſeruaſti, & vt pius filius, toto animo coluiſti.

ORATIO
PETRI VICTORII
IN MAXIMILIANVM II.
Caeſarem mortuum.

Habita Florentiae in D. Laurentij, prid. Id. Nouembr.
CIↃ IↃ LXXVI.

INSTITVTVM hoc vetus, maximeque pius mos, clariſſimi, atque ampliſſimi magiſtratus, laudandi publice interitum clarorum honeſtorumque virorum, virtuteſque ipſorum, atque illuſtria facta celebrandi, ſumma laude dignum eſt: ideoque diligenter omni tempore ab omni honeſta gente cuſtoditum fuit: valet enim ad animum gratum eorum, qui inde adiuti ſunt, erga auctores ſuorum commodorum, ſignificandum; & ad poſteros ad eos imitandos incitandum: illos autem, qui hoc onus imponi ſibi paſſi ſunt, magnopere laborare neceſſe eſt, cum difficile ſit, virtutem factaque, oratione, ac verbis adaequare, praeſertim cum illi longum tempus recte agendi habuerint: breue autem admodum plerumque concedatur oratori ad res ab ipſis geſtas commemorandas, veluti nunc, cum mihi mandatum ſit, vt dicam de laude MAXIMILIANI II. Imperatoris, vitamque ipſius, honeſte actam, plenamque maximarum virtutum commendem, impedior anguſtijs temporis, vixque exiguam partem earum attingere poſſum; ſuccurrit tamen hoc, opitulaturque in tanta difficultate, quod illae ſatis notae, peruulgataeque ſunt, nec magnopere requirunt operam ſtudiumque alicuius, qui eas explanare, atque amplificare debeat; & ſane, ſi apud nos vixiſſet, omni hoc labore ſuperſedere potuiſſemus: nunc autem, cum remoto a noſtris ſedibus loco, aetatem degerit, etſi valde celebri, variarumque gentium concurſu frequentato, & quaſi theatro quodam totius Europae, vnde, quae illic geſta ſunt, facile per omnes pias terras ſparguntur, & diſſeminantur, non pauca eorum fallere poſſunt non omnino accuratas, & curioſas aures. Illud certe nemini vnquam obſcurum, & ignotum eſſet, quae quantaque fuerit antiqua, & recens, cotidianaque gloria Germaniae; quae terra, cum olim militari virtute floruerit, ingentemque laudem in bellis conſecuta ſit, & ſtabilem illam ſolidamque retinuit, & nouam ei litterarum ſcientiam, ingenuarumque artium cognitionem adiunxit. Veteris fortitudinis eius gentis teſtimonia clara, crebraque ſunt in monimentis optimorum ingeniorum, quae res geſtas memoriae prodiderunt: recentis autem inferioriſque aetatis, quod robur exercituum plerumque eſt in Germanis militibus, firmitateque earum legionum: nam de altera eorundem laude, eruditioneque multorum clariſſimorum earum gentium virorum, nihil opus eſt dicere, cum omnia plena ſint librorum, ab illis hominibus in omni genere doctrinae artiſque editorum. In hac autem, ſumma laude praedita, gente, altiſſimum locum dignitatis, commendatione ſuarum maximarum virtutum, honeſtiſſimorumque factorum ſaepe tenuit Auſtriaca domus; cum enim fortitudine ſua, & auctoritate, quam in bellis haberet, ſui iuris feciſſet Germania deligere Imperatorem, non certo alicui bello gerendo, ſed poteſtati illi, dum viuit, tuendae, more Romanorum inferioris aetatis Imperatorum, curaque eius rei mandata fuerit certis quibuſdam familijs, quae conſilio, & opibus florerent, crebro illae ad hoc praeclarum, & perilluſtre Auſtriacum genus ſe contulerunt, atque ita ſe putarunt recte muneri ſuo ſeruire, & ſaluti eorum populorum, totiuſque reipub. Chriſtianae proſpicere. Pulchrum eſt autem, ac fortaſſe inauditum, ex vna eademque domo plures ſumi a nulla lege, aut vi coactis hominibus,

minibus, quibus tantus honoris gradus, & tanta poteſtas tribuatur. nam reges Spartiatarum ex vna, alterave familia Heraclidarum ducebantur: neque enim licebat, vetere more, legeque Lycurgi, aliunde ipſos cooptare, etſi ciuitas illa referta erat multis fortibus, ac ſapientibus ciuibus: hi vero latum campum habent, occurruntque paſſim non pauci, qui hunc titulum honoris honeſte ſuſtinerent: etſi fortaſſe non tam egregie perfecteque exercerent, quod teſtatur voluntas, conſiliumque prudentium virorum, qui hos ceteris omnibus antepoſuerunt. Non opus eſt nunc cunctos commemorare huius florentiſſimae domus, qui ad ſummam hanc dignitatem aſcenderunt, ſeque in ea (quod non mediocrem virtutem requirit) recte ordineque geſſerunt; duos tantum aetatis noſtrae appellabo, qui magis propinqui ſunt ſanguinis huius, quem merito laudamus, ereptumque nobis vehementer dolemus. Quis enim clarior? quis illuſtrior? quis & belli, & pacis artibus inſignior Carolo V. patruo huius, cuius mortem hodie deflemus? illius enim res geſtae tot tantaeque ſunt, vt, ſiquis eas attingere velit, integrum plenumque volumen efficiant. Quis patre Ferdinando iuſtior? quis fortior? & vniuerſae genti, ob egregias animi dotes, infinitumque amorem in eos, quibus praeerat, magis carus? cum enim optimus pater familias eſſet, domumque priuatam diligenter, & exquiſite tueretur, eandem artem curamque tranſtulerat in populos, qui curae ipſius commiſſi erant, regendos, non minuſque eos, quam ſuos proprioſque filios diligebat: neque enim defuerunt, docti & ſapientes viri, qui putarent eandem diſciplinam eſſe adminiſtrandae domus, & ciuitatis gubernandae: numeroque tantum, & multitudine perſonarum ipſas inter ſe differre exiſtimarent. Quomodo igitur debuit, qui in re minore, paucioreſque cuſtodiente, tam accuratus eſſet, in maiore, & quae prouidet vtilitati, ſalutique variarum gentium, negligens eſſe, & non putare ſui officij eſſe omnes ingenij neruos in ea re contendere? praeſertim cum amore huius laudis arderet, ſibique mandatos ſuae fidei beatos efficiendos, ſciret. Ex hoc igitur patre natus Maximilianus, ex ipſiuſque optima, & numquam ſatis laudata diſciplina profectus, peruenit ad imperium, partum ipſi virtute, & gratia parentis, qui munierat viam ſingulari ſua probitate, atque egregijs factis ad omnem ſuorum poſterorum dignitatem: illo tamen filius ob ſua proprijque animi bona, iudicio omnium mortalium dignus exiſtimabatur: nam adoleſcens adhuc, ſui conſilij, raraeque in ea aetate prudentiae ſigna magna certaque dederat, cum in Hiſpanias, vt eam terram regeret, accerſitus eſt, a quorum hominum vita moribuſque cum natura non nihil diſſentiret, effecit tamen induſtria ſua, & comitate, vt ipſis vehementer gratus, acceptuſque eſſet, atque omnes eum in oculis ferrent. Inde autem in Germaniam ſubito reuerſus, cum deſiderium patris ferre non poſſet, cum quo ſaepe de ſtatu ſuarum rerum dignitateque deliberabat, populiſque illis gubernandis impoſitus, non facile dici poſſet, quantopere amorem omnium, beneuolentiamque ſibi conciliarit: imago enim vera patris erat, & non corpore tantum vultuque ipſum referebat, verum etiam animo factiſque exprimebat. Quomodo autem aliter fieri potuit, cum paterni amoris heres foret, quo flagrabat vniuerſa illa natio erga Ferdinandum, & ſuum etiam propriumque ipſi addidiſſet, collectum honeſtis artibus, iiſque ſtudijs, quibus natio Germanorum delectatur? multum enim valet ad animos ſibi populorum conciliandos, cum vident principes ſuos deditos eſſe illis rebus, quas amant, in ipſiſque colendis, & tractandis excellere. Cum igitur venuſta eſſet facies ipſius, formaque totius corporis honeſta, aliquo modo capiebat homines, qui ſe adibant, aſpectu ipſo, & ad ſe diligendos ſtatim alliciebat; cumque placeret inermis, dignitatiſque non parum in ſe contineret, eiuſdem armati, thoracemque induti ſpecies erat admirabilis, prae ſeque ferebat, quemadmodum ſane erat, fortiſſimum Imperatorem. Equitare autem, armaque tractare, nec non certare curſu cum aequalibus, atque alijs huiuſcemodi corporis exercitationibus vti, quae ſunt etiam regiae virtutes, & eam vim, quam dixi, habent, iam puer didicerat. Venit autem non multo poſt tempus, vt rudimenta haec durae grauiſque artis depromeret, & quaſi in apertum aciemque proferret: nauauit enim operam patruo Carolo, gerenti bellum aduerſus Saxoniae Ducem, in quo bello patris equitatui praeerat, & qua die praelium illud funeſtum paenè commiſſum eſt, aderat cum ſuis delectis equitibus; &, vt iuuenis, ſe in eo exercitu iactabat, pugnandique ſtudio flagrabat, quemadmodum itidem, qua fugatae copiae ſunt aduerſariorum, duxque ipſarum captus. Ne autem aliquis deſpiciat ſuperiora ſtudia, & minora condicione fortunatorum hominum putet, memoriae proditum eſt, Iugurtham, illum regem Numidarum, adoleſcentem, plurimum diligentiae, ac curae in his poſuiſſe, & hoc vnum eorum extitiſſe, quae vt tantopere Numidis carus eſſet, efficerent, & tam aequo animo tot incommoda, detrimentaq; in bello accepta ferrent. Idem etiam de moribus inſtitutiſq; Perſarum veteres ſcriptores commemorarunt, qui & ipſi in his praecipue rebus liberos ſuos erudiebant, arbitraban-

turque, hanc eſſe veram germanamque puerorum inſtitutionem. Cum igitur corpus ſedulo exerceret, non ceſſauit tamen, tantae ſpei eductus noſter, animum quoque excolere, atque perpolire: nam puer incubuis diligenter ſtudio honeſtarum artium, omnemque liberalem, & dignam ingenuo viro doctrinam percepit; quod aliquo modo peculiare eſt eius gentis: cum enim non ſolum nobiles, honeſtiſque parentibus nati, verum etiam tenues homines, atque humilis fortunae deguſtent illic initia litterarum, quomodo exiſtimari debet, tam illuſtri loco natum, eundemque docilem, ieiunum atque expertem earum fuiſſe, & non adhibita ſumma cura pectus ſcientia rerum optimarum muniſſe, quae poſtea, cum tempus agendi veniſſet, tantopere ipſi vtiles futurae eſſent? praeterquam quod ornant mirifice perſonam principum virorum, ſpectabilioreſque ipſos reddunt. Verum hoc eſſe plane intelligitur exemplo Macedonum regum, Philippi & Alexandri, cum Philippus pater filio erudiendo accerſierit Ariſtotelem, vſus honeſtis verbis, magnificoque teſtimonio de virtute illius, & Alexander filius cum abſtruſas reconditaſque quaeſtiones rerum naturalium a ſummo philoſopho didiciſſet, queſtus poſtea eſt cum ipſo, quod ea diuulgaſſet, atque alijs mortalibus pateſeciſſet: quemadmodum enim in bellica laude, & virtute, propria regum atque imperatorum, ceteris omnibus facile praeſtabat, ita etiam in ſubtilioribus artibus, cauſiſque rerum cognoſcendis, ijſdem anteire volebat, quae vehemens ſitis honorum, cupiditaſque in ſingulis ſtudijs ſummi loci obtinendi, in tali adoleſcente reprehendi non poteſt, cum ad laudem perpetuam valeat, non ad inanem popularemque gratiam aucupandam. Summum autem amatorem Maximilianum extitiſſe liberalium artium declarat, quod valde diligebat doctos & ſapientes viros, & congreſſu eorum, ſermoneque mirifice delectabatur, cunctoſque, qui ad ſe veniebant, ac munus aliquod huius generis, eximiumque adferebant, libenter videbat, ac dono quopiam, honoreque auctos a ſe dimittebat. Non puto orationem hanc meam apud vos fide carere, neque exiſtimari poſſe a quopiam veſtrum ipſam vanam, atque fictam eſſe: ita enim vixi, & ijs moribus praeditum me arbitror, vt nihil vmquam tantopere fugerim, quantopere vanitatem, & ſimilitudinem omnem aſſentandi: neque tamen me fallit, ſummum Imperatorem teſtimonio meo non egere: nulla eſt enim tam eximia praeſtanſque laus, quae conſenſu omnium non cadat in perſonam ipſius, potiuſque vereor, ne multa omittam, quae vere meritoque celebrari poſſent. Liceret mihi exempla multa magnaque adferre admirabilis liberalitatis illius, ſed quia tam planum hoc, & apertum eſt, vt argumentis non egeat, ab omni hac narratione mihi temperabo, tantum, quod ſine vlla dubitatione facere poſſum, de MAXIMILIANI benignitate admonebo, noſſe illum nulla alia re tantopere fortunatos homines ſibi animos variorum populorum deuincire, quantopere hac ipſa virtute; vt etiam eundem non fugiebat, ſe nomen & gradum dignitatis eum tenere, cuius auctor, & princeps fuit, qui cum alijs eximijs virtutibus ſplenderet, in commendatione tamen huius parem habuit neminem. Quid enim magis celebre, peruagatumque eſt, quam C. Caeſaris liberalitas, & copioſa pecuniae largitio? ſed in alijs quoque rebus dignitati imperatoriae non defuit, quae ab hoc peritiſſimo duce belli, victoreque multarum gentium initium duxit, & vſque ad noſtra tempora feliciter perdurauit. Non ſolum autem ornauit excellentes viros in ſtudijs ſapientiae, quibus ſemper omni ratione profuit, verum etiam egregios opifices, vt architectos, pictores, & qui ex aere, marmoreque imagines ſimulacraque diuorum, aut virorum illuſtrium conficiunt, de quorum etiam operibus egregie iudicabat, cum factus eſſet natura ad ingenium ſenſuſque, & ſingulorum hominum, & populorum ſubtiliter acuteque perſpiciendos, ac vitia virtuteſque cunctarum rerum facile intelligendas. Studio quoque agrorum colendorum tenebatur, arboreſque ſua etiam manu ſtudioſe ſerebat, in quo Cyrum illum iuniorem, Darei filium, regem Perſarum imitabatur, qui incenſus erat amore huius artis, cum gloriae ſibi duceret, etſi maioribus virtutibus abundabat, ac libenter praedicaret, ſe verſari cupide in eo labore, indeque capere mirificas ſuauitates: noſter autem vim quoque, & naturam ſtirpium, atque herbarum callebat; & cum nactus erat aliquos, qui aut periti forent virium ipſarum, cauſaſque eorum omnium, quae oriuntur e terra, noſſent, aut ſaltem auerſi ab eo ſtudio non eſſent, longum & accuratum ſermonem de ipſis cum illis habebat; ac, quae notaſſet, adhibitaque cura in ea intelligentia animaduertiſſet, expromebat. Venatui quoque deditus erat, in qua honeſta voluptate, imagineque quadam artis militaris, officijque verorum ducum, FARDINANDVM patrem imitabatur, quo nemo vmquam magis illo ſtudio inflammatus fuit, cum ſenex etiam inde auelli non poſſet; ſed propter corporis imbecillitatem tenueſque admodum vires, filius non tantopere ipſum frequentauit; quas infirmitas virium impediuit etiam alia maiora ipſius conſilia, quae,

& laudem ipſi, & gloriam infinitam peperiſſent, & populis, quos regebat, & fructus magnos, & ſalutem tuliſſent. Non paſſa eſt eadem, ipſum tueri morem ſuum: cum enim faciles primo tempore ad eum aditus forent, ſoleretque ſemper, ſublata menſa, audire cunctos, qui ſecum de quolibet agere vellent (nam pateſactis foribus nemo inde excludebatur, quamuis tenuis homo foret, & vnus e multitudine) coactus eſt, conſuetudinem hanc, plenam officij, gratamque valde gentibus, omittere: neque enim aduerſante valetudine laborem illum ſuſtinere amplius poterat, reliquaque munera, propria imperij, neceſſariaque, robore potius animi, ſpirituque ingenti, quam corpore, obibat. Magno animo ipſum praeditum fuiſſe teſtatur, quod non multo poſt, quam habenas imperij cepit, donis ac muneribus Turcarum regem ſibi delinire recuſauit, quod aliquando antea factum erat, nec tam delere hanc, quaſi maculam quandam, cogitauit, quam initium inde ducere gerendi pium, & plenum dignitatis bellum cum ſaeua, & imminente ſemper iugulis noſtris natione; imitari igitur voluit Alexandrum illum Macedonem, qui & ipſe Perſarum regi opulentiſſimo cum paruis copijs, ſed veteranis, & optima patris diſciplina inſtructis, bellum intulit, & in Aſiam exercitum tranſportauit. Tanta autem fama Byzantium peruenerat huius praeclarae voluntatis, tantuſque metus inuaſerat animos eius gentis, vt non putaret Solijmannus, prudens dux belli reſiſtere ſe poſſe, fineſque ſuos tueri, niſi ipſe, etſi confectus aetate, infirmoque admodum corpore, eo veniret, periculumque tantum a ſuo regno, iactura etiam ſui capitis, depelleret; quod ſi reſpondiſſent auxilia ſuae ſpei, eiuſdemque penitus animi ſocij extitiſſent, non irritum fuiſſet conſilium Maximiliani, & longe alium exitum bellum illud habuiſſet: nondum enim plaga vlla in eo bello accepta eſſet, partes potius aliquae, membraque veteris imperij recepta fuiſſent; cuius rei ille acri deſiderio tenebatur, & hoc ſane ſibi propoſuerat, cum inuſſit dolorem illum ferae, & bellicoſae nationi, & profecto, ſi aliquando finis aliquis imponi debet crebris triſtibuſque victorijs eius importunae nationis, quae cotidie ſpoliat pium populum parte aliqua imperij, inde initium ipſius proficiſcatur, neceſſe eſt. Quae namque gens fortior? quae numeroſior? quae hodie militari diſciplina inſtructior? nam, quin Germania, & bellica virtute, & multitudine munitorum oppidorum ſit, tamquam murus, & agger Italiae, viamque obſtruat Turcis, ne in eam irrumpant, nec ijs tantum, formidoloſis hoſtibus, verum etiam ſeptentrionum innumeris barbariſque nationibus, ardentibus cupiditate inuadendi in clemens hoc caelum, amoenaſque regiones, diuitiaſque, & bona noſtra depraedandi, dubitari non poteſt. Aduerſata igitur ſunt, vt dixi, propoſito voluntatique magnanimi, ac fortiſſimi Imperatoris mala, quae firmiſſimum corpus Chriſtianae pietatis debilitarunt: inuenit enim, cum imperium adeptus eſt, imminutum non nihil obſequium erga Caeſaream maieſtatem; animosq; principum, ac populorum infectos inter ſe obſcuris quibuſdam, & reconditis inimicitijs, apertiſque etiam diſſenſionibus, ac diſcordijs ortis, & a diſcrepantibus ſententijs de vero cultu Dei noſtri, pietateque Chriſtiana, atque alijs etiam priuatis cauſis, commodiſque ſingulorum: nam Imperatorem ipſum ſuis opibus, ac vectigalibus, deſtitutumque his, quaſi membris quibuſdam ſuae amplae poteſtatis, non poſſe magnum aliquod moliri, ſatis cognitum, & exploratum eſt: alijs vero temporibus, & ſedulitate ſua, & comitate, commendationeque maximarum virtutum tueri potuit regiam dignitatem, maieſtatemque propriam imperij, quod ad ſumptus etiam publicos, & munificentiam pertineret. Studuit autem ſumma cura Maximilianus omni tempore, quo clauum imperij tenuit, publicae quieti, ac ſecuritati Germanorum, citoque, ſi quod ſemen diſcordiarum, inteſtinique huius grauis mali exortum videret, ipſum extinguere, frangereque conabatur, nec minus amauit, &, quantum in ipſo fuit, fouit, totius Chriſtiani gregis conſenſum animorum, veramque atque incontaminatam pacem, quam ſciebat ab auctore noſtrae ſalutis, tantopere commendatam, & tamquam filiolam, ſibi valde caram, vniuerſo ſuo populo cuſtodiendam relictam. Vbi igitur ſunt, qui aiunt plane ſtolti homines, ac nihil videntes, pauca geſſiſſe in vita ſapientiſſimum hunc Imperatorem, amantiſſimumque tranquillitatis ſuorum populorum, qui eſt verus fructus vitae; quaſi nihil agant, inertemque penitus vitam ducant, qui ſollicito ſemper animo verſantur in hac cura, prouidentiaque ſua tuentur honeſtum otium, & omnes fibras diſcidiorum, peſtiferorumque odiorum è pectoribus Chriſtianorum hominum euellunt; Cneuſque Magnus minore laude dignus fuerit, cum ſine collega conſul domeſtica inteſtinaque mala ſedauit, ac paenè dilapſam euerſamque remp. reſtituit, quam cum in vltima Hiſpania relliquias expulſorum ciuium diſſipauit, aut Mithridatem, Tigranemque Armeniae regem, minitantem Aſiae debellauit. Relinquamus igitur hanc gloriam veteribus ducibus bellorum, qui crudeli internicione populorum, caedeque ingenti innocentium virorum, atque vrbium direptione, & excidio,

F a putabant

putabant ſe in caelum aſcenſuros, ac veram perpetuamqoe laudem adeptoros, noſque,
educti in mitioribus ritibua, ac legibus, vnius corporis eſſe partes arbitremnr contratias
Chriſtianotum aciea, & potius io iuuandis mortalibus, è maiiſque ipſos eripieodis, ope-
ram ſtudiumque ponamus, quam in ipſis perdendis, & graui mole miſeriarum affligeo-
dis, tuncque ioſum putemua hoc probe oos facere poſſe, eum arma contra communem bo-
ſtem capienda ſuot, & parte aliqua ſaeui regni eſt ille ſpoliandus, aut conatus eios, impe-
tusque in nos acerrimus cohibendus; coius animi volnotatisque, vt docui, fuit ſanctiſſi-
mus Imperatot, arbiterq; noſtrarum omnium rerum, Maximilianus. Cepit enim laetitiam
iocredibilem, quum cognouit ictum eſſe foedus inter Poot. Max. Hiſpaniarum Regem, &
remp. Venetorum ad bellum gerendum contra Turcas, iocurſumque illotum labefactan-
dum io optimum, & fortunatum Cypri regnum, gaudebatque mirifice, cum proſpere
in eo bello a noſtris rem geſtam audiſſet, nemoque ſe magis alacriter illi forti conatui co-
mitem adiunxiſſet, verumtamen metuens, non ſine cauſa, ne conſpiratio illa, ſumma
laude digna, maneret; nec prompte imperij arma ipſum ſequerentur, ſibi temperauit ab
eo cooſilio: videbat enim io ſe, derelictum a ſocijs, omoem impetum belli, propter vici-
nitatem terrarum, conuerſum iri, cuius belli morſus antea deguſtarat. Noo poteſt autem
dubitari, quin eiuſdem iudicij ſententiaeque fuerit Maximiiianus: boc enim iile, qui-
buſcuoque rebus potuit, dum vixit, indicauit. Quantopere ille laetatus eſſet, ſi vidiſſet
aliqnando, contumacem atqne arrogantem gentem, & quae truculenter ioſultat bonis,
perculſam eſſe, atqoe proſtratam, ioſolenteſque ſpiritus eius fractos, & comminutos, qui
magis noſtris diſcordijs, qoam ſua virtute aucti ſunt, & intolerabilea facti, eandemque
cogi ſuſpicere, & admirari illos, a quibus nunc, quod indigniſſimum eſt, ſe poſtulat coli,
atque obſeruari. Sed reuertamur ad ea, quae geri potnere, cum haec, niſi meliorem men-
tem Deus Opt. Max. his, qui poſſunt, dederit, aut ſaltem, niſi ad ooſtra mala ſpectanda
oculos conuerterit, optaoda potius, quam ſperanda ſint. Poloni, rege ſuo mortuo, &
ilio, qnem primum delegerant, alio conuerſo, ſummam imperij ad eum ſponte ſua detu-
lerunt, quam alijs, principibus viris petentibus, propoſitis etiam magois praemijs, de-
negaruot, atque id multis modis cognita, atque illuſtribus exemplis perſpecta admira-
bili virtute ipſius, ijſque omnibus animi dotibus, qnae ad tantam poteſtatem recte, ordi-
neque adminiſtrandam requirnntur, quorum conſilium io eà deliberatiooe magnopere
laudatum eſt; multumqne vidiſſe auctores ipſius merito exiſtimati, rebusque ſuis egre-
gie conſuluiſſe. Nam quod, parante ipſo, quae oportebat, ornanteque aditum, iogreſſio-
nemque eius regni, extitit ſubito, qui io ipſum innaderet, ſibique alienum ius arrogaret,
ſi diuiius vixiſſet, ioiuriam illam mature vltus eſſet. Reuertar adhuc ad noo nnlla, quae
mores Maximiliani, vitamque honeſte actam, oſtendentia, dicenda reſtabant, ac ſimul, quae
iucunda, plenaque purae voluptatis ei cootigere, ſignificaoda, vt qui in longinquis locis vi-
uunt, peoitus imaginem, ſimulachrumque optimi viri, & omni lande digniſſimi ptincipis,
hac quoque parte ante ocolos poſitum habeant: nam illis, qui praeſeotes ſemper adfue-
ruot, aut io propinquis ſedibus degerunt, omnis haec oratio ſuperuacanea foret. Primnm
igitur, cum vxorem duxiſſet Mariam, ſummi Imperatoris vnicam filiam, nec minoribua,
quã conueniret illi ampliſſimae fortunae, virtutibus praeditam (illam autem ei Carolus V.
deſponderat, perſpecta in graui bello magnitudine animi Maximiliani) ipſam vnice dile-
xit, mirificeque caram habuit, qnod bonum, & quam non exiguam ſane laudem paternam,
& quaſi hereditariam habebat: fuit enim Ferdinandns quoque exemplar clarum huius ſan
cti amoris: è ſua antem Maximilianus ſuſcepit plures liberos, ſobolem illuſtrem, ſnmma-
que ſpecie corporis praeditam, & certis optimi ingenij, praeclaraeque indolis ſtatim ſignis
cognitis; è parte quorum, dum vixit, decem antem numero fueruot, cepit ſingnlarem volu-
ptatem: oam marium, natu grandiorem, eodem gradu honoris aliquo modo ornatum aſpe-
xit, quam rem ille ſemper toto animo exoptauerat, & in eam impetrandam omnem ſuam
mentem, curamque cootulerat; ſed nihil erat, quod non ille ſine magno negotio ob merita
ſua erga florentes eas gentes, beneuolentiamque in ſe omninm popolorum obtineret, eum
antea etiam, vt idem Boëmiae, ac Pannoniae rex crearetur, effeciſſet. Feminas autem duas re-
ginas potentiſſimarum nationum, Hiſpanorum vnam, alteram Gallorum vidit. In ipſa au-
tem hac prole ſua, paenè diuina, educanda, & optima diſciplina imbuenda, ſtudij pluri-
mum adhibuit, & in hoc optimi parentis officiom a ſe deſiderari paſſus oon eſt. Quod ve-
ro tradidi, flagraſſe ipſum deſiderio Rodulphum filium ſucceſſorem ſibi in imperio relin-
quendi, ſiqnid ſibi hnmanitus accidiſſet, quod vſu ventorum aliquando ſciebat, nimis
autem cito contigit, incubuiſſeque ipſum vehementer in hanc curam, oon vna de cauſa
tantos ardor huius rei excitatus in pectore eius erat: eodem enim tempore intelligebat ſe,
& dignitati ſuae domus ſeruire, & quieti fortiſſimarum nationum conſulere; prae-
terquam

terquam quod ea indicia praeſtantis naturae, eaque ſemina admirabilis in ea aetate prudentiae in ipſo cernebat, vt non ſine cauſa ſperare poſſet, eum gradum illum honoris eximie adminiſtraturum; ſed in eo quoque laude non parua dignus eſt, quod iter obſtruxit, aditumque interclusit diſcordijs, quae ex comitijs illis neceſſario natae forent. Quis enim dubitat, quin multi, appetentes eius honoris, auidique tam amplae poteſtatis, omnia permixturi fuerint, vt ipſam adipiſcerentur; quare in hoc quoque conſilium hominis probare debemus: & prouidiſſe ipſum communi vtilitati, ſalutique populorum, confiteri: tempus enim hoc, & quaſi nimbus, qui impendet pijs nationibus, in primis maximum conſenſum animorum, concordiamque requirit, nec requirit tantum, verum etiam flagitat, clamatque, aliter nos diu ſaluos, & incolumes eſſe non poſſe. Illud etiam in Maximiliano admiratione dignum eſt, declaratque vim ingentem naturae ipſius, quod multarum variarumque linguarum vſum habebat, & cum oratoribus, hominibuſque earum gentium propria ipſorum lingua loquebatur: & Hiſpanorum enim, & Gallorum, & Boemorum, & Italorum ſermonem perceperat: nam de Latino nihil opus eſt dicere, cum omnes illic ingenui pueri, liberiſque parentibus nati eum perdiſcant: Hoc autem magnopere laudare ſolitam antiquitatem in Mithridate Ponti rege, ſummoque Imperatore, notum eſt, ac ſatis peruulgatum, quem ferunt, cum plurimis populis imperaret, omnibus illis ius propria lingua dixiſſe: ſuo autem patrioque Maximilianus eximie vtebatur, valdeq; eloquens, & diſertus in eo erat: & copiam enim, & delectum verborum habebat; quare, eum contingebat, ipſum ad proceres Germanorum, ceteroſque duces, & ordines populorum verba facere, admiratione non parua, & ſtupore animos eorum implebat. Praeſto idem ſemper erat commodis, & vtilitatibus amicorum, honorique ipſorum libenter ſeruiebat; nec tamen committebat; quod populares homines faciunt, nimiſque auidi potentiae, vt, dum animos quorumlibet ſibi conciliaret, iuri & aequitati repugnaret: cum enim ceteris in rebus mores, & ſtudia Ageſilai, regis Spartiatarum, probaret; ſibique ipſum imitandum propoſuiſſet, in hoc hominem non ſequebatur: contemnebat enim Graecus ille, qui hoc dicerent, ſeque huius animi eſſe praedicarent, vt auxilium ferrent familiaribus vſque ad aras, ſolebatque contra aras etiam & leges, quos libebat, omni malo ac ſupplicio liberare. Illuſtre exemplum huius integritatis eſt, fideique in magna re ſeruatae, quod eum facile poſſet ſuae ditionis facere Belgicam regionem, populoſque illos, oppreſſos graui bello, ad ſeque ſupplices manus tendentes, omni periculo, atque exitio liberare, induci nulla ratione potuit, vt hoc moliretur, ne fidem violaret, auctoreſque huius conſilij ſpreuit, ac repudiauit. Idem ſincerus, integerque animus ipſius perſpectus eſt illo tempore, quo Henrico poteſtatem fecit, vt per fines ſuos ad regnum, ſibi a Polonis delatum, tranſiret, eumque comiter accepit, atque omni genere liberalitatis proſecutus eſt. Quod itidem non multo poſt fecit, cum idem fratre ſuo, Gallorum Rege, mortuo, relicto externo, ad ſuum propriumque regnum gubernandum conuolans, inopinato Viennam acceſſit: ſiquid enim addi potuit priori cultui, ac benignitati, totum illud tunc in eum effudit; quod ſane non pauci mirati ſunt, nullam reſediſſe in animo ipſius memoriam veterum ſimultatum, quae viguerant inter has honeſtas, plenaſq; ſummae dignitatis domos; & cauſas alias alienationum, quae non paucos ab his officijs retraxiſſent. Probitas etiam optimi Principis, perpetuaque, & conſtans voluntas in eos ornandos, quos ob eximias ipſorum animi dotes, honeſtaque facta, praemio & honore dignos iudicabat, in eo apparuit, quod cum ſaepe perſpexiſſet egregium animum COSMI, noſtri Ducis, erga imperatoriam maieſtatem: nec vllum officium ipſum vmquam praetermiſiſſe, quod ad fidem obſequiumque in Romanos Imperatores declarandum pertineret; multaque ſaepe audiſſet de ſummo conſilio ipſius, & ſingulari ſapientia, atque iuſtitia in republica, quam regebat, adminiſtranda, vt de vera quoque imagine ipſius, aemuloque paternarum virtutum, Franciſco filio, non ceſſauit vmquam in omni ſermone ipſos dilaudare, & teſtimonio ſuo dignitatem gloriamque ipſorum augere: nec verbis tantum, & oratione contentus fuit, ſed factum quoque addidit, quod valde claram hanc, & illuſtrem familiam magis adhuc decorauit, & quod habuit ſummum pretium ei perſoluit, cum optimi parentis optimum filium Magnum Etruriae Ducem creare voluit. Ornarat ſane Pius V. Pont. Max. ob magna ipſius merita erga Romanam Eccleſiam, & vniuerſum Chriſtianum populum, eodem gradu honoris, Coſmum noſtrum, & Magnum Etruriae Ducem appellari voluerat, ſtatueratque, vt quemadmodum ille ditionis amplitudine, virtuteque populorum, qui ipſi parerent, atque opibus, magnus erat, ita etiam merito, iureque bono, magnus vocaretur. Vnum igitur hoc eorum eſt, quo compenſare Maximilianus ex parte voluit officia multa, vel merita potius in ſe varijs temporibus collata. Anteceſſerat

etiam aliud non ſane paruum munus; & quod multis de cauſis eximium praeſtanſque, vt eſt, exiſtimari poteſt, quod cum Ferdinandus, optimus parens, plures filias ſuſcepiſſet, quarum minores curae ipſius, vt in matrimonio digno eas collocaret, moriens reliquit: illis autem, tamquam claris quibuſdam ſtellis, Italiae partes non nullae illuſtratae ſunt; vna earum, fulgente valde, tellurem noſtram decorauit, ſplendidioremque multo reddidit. De cuius laude, & admirabili probitate plura dicerem, niſi apud vos verba facerem, quibus omnibus illa ſatis nota, & perſpecta ſunt, cum cotidie teſtimonia certa exemplaque ſingularis virtutis ipſius videatis. Quae enim mulier vnquam modeſtior? quae caſtior? quae humanior? quae magis pia? quae demum omni genere virtutis inſignior fuit? ſed ineptum eſt, de hoc apud vos loqui, quibus cuncta haec cognita, atque explorata ſunt. Praeter quam quod illo ipſo tempore, quo primum Ioanna, Regina nata, ad nos peruenit, clariſſimumque hoc lumen terris noſtris eluxit, plenum copioſumq; librum de laudibus ipſius ſcripſi, in quo, ſi non penitus argumento, animo ſaltem meo, ac voluntati ſatisfeci, fuique aliquo modo praeſagiens, atque diuinus, longeque proſpexi ſumma bona, quae ſecum ad nos perferret. Ponamus igitur (quod vere facere poſſumus, ac debemus) hoc quoque in maximis beneficijs, quibus a fratre ipſius Caeſare mortuo affecti ſumus, & obitum eius, vt facimus, pie lugeamus; quod tempus etiam extremum vitae ſuae ille ſancte pieque traduxit, & vt praeterita ſua omni aetate, ita etiam poſtrema hac, non diſceſſit vllam in partem a veteribus ritibus, atque inſtitutis Chriſtianorum ſanctiſſimorum virorum, quamuis ſaepe numero ad hoc ſollicitatus eſſet, & omnis machina ei admota, vt inde auelleretur, & nouam vitae degendae viam rationemque iniret; quare in hoc quoque, vt in ceteris omnibus ſuis conſilijs factisque ſumma laude dignus eſt. Cum autem tam iuſto, & forti Imperatore orbati reſtemus, qui ſemper ſtudioſe prouidit tranquillitati temporum, ac ſaluti ſuorum populorum, naturae autem modo ſatisfecit, aeternaeque legi paruit, Deum Opt. Max. rogemus, vt ſtirpem eius optimam, Rodulphum Caeſarem, vnde non minora bona (etſi, quae a parente accepimus, maxima fuerunt) expectare poſſumus, cum inſtitutus ab eo ſit, optimaque diſciplina excultus, tueatur; nobisque, & vniuerſo Chriſtiano populo diu ſaluum, incolumemque conſeruet.

PETRI VICTORII

LIBER DE LAVDIBVS IOANNAE AVSTRIACAE,

natae Reginae Vngariae, & Boemiae.

ADMIRATA eſt maxime antiquitas illa prudens, & merito id quidem ac iure optimo, Archedicam, Hippiae, regis Athenarum, filiam, feminam primariam, quae cum patrem & virum; nec non fratres etiam, & liberos ſummo honore praeditos, ac reges denique haberet, in omnibus rebus humaniter ſe ſemper ac moderate geſſit, nec vmquam in vita ſua, ac moribus ſpecimen aliquod ſuperbiae, atque arrogantiae dedit; quodque tanta copia, & vbertate rariſſimorum bonorum, immutatum leniter etiam, ac contaminatum foret. Exiſtimatum eſt hoc ab optimis ingenijs, multumque iudicio, ac ſapientia valentibus, nouum valde & inuſitatum: ſolet enim plerumque huiuſcemodi fortunarum, ac gloriae amplificatio deprauare animos hominum, & labem magnam moribus eorum adferre; quare non ceſſarunt eximij poëtae, tantam naturae probitatem, cum rara admodum, & ſingulari fortuna coniunctam, praedicare, & ſummis veriſque laudibus in caelum ferre, nec poëtae tantum hanc rem ingenio ſuo celebrarunt, verum etiam grauiſſimi auctores, quorumque magnum nomen eſt, in vetere memoria explicanda, ipſam monimentis litterarum prodiderunt, vt Thucydides, qui reliquos omnes eius generis ſcriptores prudentia & auctoritate longe ſuperauit. Quod igitur priſca illa aetas in vna muliere nacta eſt, & mirifice laudauit, nos etiam beneficio Dei Opt. Max. & ſummo conſilio, ac ſtudio Ducis noſtri, COSMI Medicis, eximium ac praeſtans bonum habemus; atque auctum id etiam, & amplificatum, ſi tanta vis bonitatis, ac fortunae augeri, & amplificari vlla ratione poteſt, habemus, & mirum in modum nobis ob poſſeſſionem illius placemus. Haec autem eſt IOANNA Auſtriaca, regina nata Vngariae, atque Boëmiae, FERDINANDI Imp. filia, & MAXIMILIANI Imp. ſoror, qui non multo antea ſummam illam poteſtatem legibus nactus, & ſummo conſenſu omnium Germanorum feliciter, & magna cum approbatione laetitiaque cunctorum mortalium Imp. creatus, imperium regit: & quae a perſona illa requiri, & expectari poſſunt, adminiſtrat, ac gerit. Nec tamen hi duo tantum ſummum hunc gradum honoris

noris in eius familia bonis artibus conſecuti ſunt, ſed multo plures è maioribus ipſius, vt notum omnibus, atque exploratum eſt, eandem dignitatem adepti ſunt, atque VIII. denique liberis ſuffragijs Caeſares ſalutati; ad quem numerum ob mediocres etiam artes laudatorum virorum, nedum ob tantam vim maximarum virtutum, vix vlla, honeſta etiam, familia omni tempore peruenit; in quibus etiam aetate noſtra CAROLVS V. patruus huius nobiliſſimae feminae fuit, qui cunctis eius nominis virtute, ac rebus geſtis multum praeſtitit. Quis igitur non fateatur verum eſſe, quod dixi, hanc noſtram nobilitate parentum, & fortunae benignitate tantopere laudatam illam Graeciam viciſſe, ac longo interuallo ſuperaſſe? bona enim, quae ſecum tulit, nunc tantum narrare libet, & vbertatem ſplendoris gloriaeque, quae naſcitur à natalibus, & clara ſtirpe gentis ipſius commemorare. Nam quae hic inuenit eiuſdem generis, magna ſane decora, & quae merito poſſunt omnibus admirationem mouere, alio loco attingam, eodem animo, ac conſilio, quo haec ipſa nunc, quae ornant cognatos huius ipſius, paucis attigi, ac notaui: magis enim me monent animi bona, & cumulus quidam inſignium virtutum, quae in hac praeclara muliere conſpiciuntur: hae vero tot tantaeque ſunt, vt vix in vno alicuius animo coaceruari potuiſſe videantur, vnde factum eſt, vt nihil noſtra ciuitas vmquam admirata ſit magis, nihil vmquam viderit, quod tantopere pectus ipſius effoderit, ac ſingularem quendam amorem erga illam eo inſeuerit; quae ſuos oculos in eam conuertit, atque ipſam tamquam de caelo ad ſe delapſam, & diuinam quandam naturam intuetur, ac ſpectat. Cum igitur, & ipſe vnus ſim è numero eorum, qui totam mentem animumque ad nouam hanc inauditamque virtutem animaduertendam intenderunt, quique ſaepe cogitans de admirabilibus ipſius animi dotibus obſtupuerim, decreui tandem litteris mandare, ſi potuero, quae perſpicio, & ab omnibus paſſim laudari, ac tota vrbe celebrari ſentio: non quia omnino ſperem, me poſſe, quod cupio, & opto praeſtare, & pium hoc conſilium meum ad exitum perducere, ſed tamen partem exiguam huius mulieris laudum adumbrabo, & animo meo, qui cupiditate incenſus eſt illam celebrandi, obtemperabo, & vniuerſae ciuitati, quae tamquam numen aliquod ipſam ſuſpicit, ac veneratur, placebo, quamuis non plene etiam, & vt oporteret, argumentum hoc praeclarum, & honoris plenum explicaro: in qua enim re poſſum melius horas aliquas collocare, & ſiquid eſt in me ingenij, quod intelligo quam ſit puſillum, vel nullum potius, exercere, quam in virtute celebranda, & diuina hac, refertaque tot egregijs bonis adoleſcente commendanda. Extitere alij, qui verſibus pompam hanc omnem ludorum, fortunatiſſimarumque nuptiarum celebrarent. Non defuit, qui eleganti, & erudito carmine gaudia ſanctiſſimi thalami commemoraret, ac quae mirifica bona inde breui exitura forent, vt vates & diuino numine afflatus, diuinaret. Praeſto fuerunt etiam magni opifices, & ſinguli in ſuis artibus clari, qui picturis formiſque luculentiſſimis ciuitatem ornarent, & quae referre, & ante lumina praetereuntium ponere oporteret, exprimerent, ac paenè viua, ſpirantiaque ſimulacra illa ſua redderent. Inuenti etiam ſunt, qui omni genere ſpectaculorum multitudinem oblectarent; quorum partim ingenio, & eruditione; partim pecunia, & ſumptibus nobiliſſimi homines publicae laetitiae ſeruierunt. Ego vero in huius mulieris ſplendore animi demonſtrando, & naturae dotibus intimis euoluendis, quae poſtea emanarunt, & cotidie magis quaſi lumina quaedam, elucent, ſtudium & operam meam omnem collocabo; quod ſi aliqua in parte efficere potuero, putabo id non ab ingenij mei viribus profectum, quae exiguae ſane ſunt, vt iam dixi, & vt omnes etiam ſentiunt, ſed ab amore, quo Deus proſequitur hanc optimam feminam, ipſius ornandae, & iuſto, atque ipſi debito honore afficiendae ſtudioſus, qui mihi mentem hanc dederit, vt ipſius reconditas virtutes, id eſt in animo ſitas, & meliore noſtri parte conſtitutas, aperirem, atque omnibus notas facerem: nam aliter illae, quae iam foras prodierunt, & honeſta non pauca facta pepererunt, reconditae & abditae vocari nullo modo poſſunt. Cum igitur ipſam commendare velim, ac veris laudibus ornare, quid commemorem vetuſtatem eius generis, & res geſtas maiorum ipſius? quamuis ſine vlla dubitatione magnas, & a virtute etiam magna ex parte profectas: neque enim haec propria illius bona ſunt, ſed communia ipſi cum alijs omnibus eius familiae, ac maxime illuſtris, claraeque in primis domus; quorum ſane bonorum veſtigia quaedam reperiuntur in alijs quoque domibus, & ſplendidiſſimis familijs, etſi non tanta, neque ita expreſſa; quid opes & diuturnam perennemque poteſtatem ipſius gentis, quamuis ſatis amplas, & perpetuo tenore florentes; &, vt ad eam propius accedam, quid referam corporis bona, firmam valetudinem, vires, pulchritudinem? Illa illa vera bona ſunt, & quae ſola (vt ſapientes non nulli olim cenſuerunt) videantur hoc graui honeſtoque nomine vocanda, quae animum componunt, atque inde omnem maculam, ſemenque vitiorum euellunt,

Cuiuſmodi

Cuiuſmodi in primis eſt pietas erga Deum immortalem; quae quanta in hac optima muliere ſit, & quam penitus in tenero ipſius animo inſederit, admirari potius licet, quam praedicare; vt ſane ciuitas omnis noſtra admirata eſt, cotidieque magis admiratur, ac ſtupet: quis enim non, vt rem nouam atque omnibus ſeculis inauditam, admiretur ac colat, cum videat feminam opulentiſſimam, atque omnibus fortunae bonis abundantiſſimam, eandemque in flore aetatis conſtitutam, poſthabitis omnibus ſpectaculis, ac ludis, vel potius neglectis, tam aſſidue in ſacris aedibus verſari, & tam demiſſo animo, fortunarumque ſuarum, atque amplitudinis oblito, illic manere; reique diuinae, cum fit, tota mente, atque animo incumbere? ex qua re haec auguſtiſſima, & ſanctiſſima femina maiorem voluptatem capit, quàm ex ſacris virginibus ſaluandis, & omnibus commodis adiuuandis? Haec cum cotidie ſpectentur, ante oculoſque omnium fiant, ita in ſe conuerterunt animos noſtrorum hominum, vt de nulla alia re tam creber ſermo apud nos ſit; meritoque id ac neceſſario fiat, quod paulo ante a me dictum eſt: vt valde ſcilicet cuncta ciuitas admiretur ſingularem virtutem, vel diuinam potius, huius integerrimae, ac puriſſimae feminae: qui autem ſecum cogitare voluerit, ex quibus parentibus ipſa orta ſit: & ex qua domo prodierit, multo minus hoc admirabitur, vel potius cuncta recte, & ordine fieri iudicabit: cui enim ignotum eſt, quae fuerit religio FERDINANDI patris, qui cum alijs etiam maximis virtutibus floruerit, omnibuſque animi partibus ornatus extiterit, quae conueniunt ſummo illi gradui honoris, quem optimo iure in vita obtinuit, ob hanc praecipue eximiam laudem commendatus fuit, & in vitae ſanctitate, ac vera religione, in primis enituit, atque vno omnium ore per vniuerſum orbem terrarum eo nomine celebratus fuit. Idem etiam vere dici poteſt de MAXIMILIANO fratre, a quo illa poſt interitum patris inſtituta, & educta eſt: cum enim ipſe etiam abundet omnibus animi dotibus, quae requiruntur in eo, qui legitimum imperium in Chriſtianos homines habiturus ſit, valdeque commendetur opinione certa fortitudinis, atque animi inauditae magnitudinis: quae tamen cum prudentia coniuncta ſit, iudicioque in conſilijs capiendis incredibili, non minor tamen eſt pietate aduerſus Deum, nec parum ſumma hac virtute, fonteque ac radice reliquarum omnium celebratur. Non appellaui autem te, ANNA mater, regina bellicoſarum nationum, cum de inſtitutione filiae tuae, pietateque ingenti loquerer, quamuis exemplar quoddam antiquae religionis fueris, quia paucos dies, poſtquam tu hunc alijs feliciſſimum partum edidiſti, fato functa es, nec quemadmodum ipſam procreaſti, ita etiam eandem edocere potuiſti. Nec tamen non partem aliquam optimorum ſuorum morum ipſam a te traxiſſe, ingenitamq; ei fuiſſe a natura tantam probitatem, exiſtimandum eſt, cum vera effigies tui ſit; nec formam tantum faciemque, ſed indolem etiam tuam, & ingenium referat; & praeterea, quod ob immaturam mortem illa a te habere non potuit, a maioribus ſuis ſororibus, a te ſanctiſſime inſtitutis, obtinuit, atque ita redundauit in ipſam tua optima, & grauiſſima educatio. Non fuiſſet igitur illa quidem melior; nec in omni genere muliebris virtutis perfectior, te altrice, cum omnes numeros in ſe bonitatis habeat, ſed tamen, ne te tua, & tibi debita laude priuemus, aliquo modo filia diſciplinam tuam aluiſſet, ſed eo vnde digreſſus ſum, reuertar. Notum etiam eſſe arbitror extitiſſe quendam in hac familia, quae ſemper viris illuſtribus, & honeſtis omnibus factis claris floruit, hominem, qui ſanctitate vitae, ita commendatus fuerit, & in cultu Dei Opt. Max. ita enituerit, vt viam ſibi aditumque ad caelum aperuerit, & in diuorum numerum relatus ſit. Cum enim alij plures inde fluxerint, qui merito, & ipſi alia commendatione idem nomen conſecuti ſint, & beneficio vetereque titulo imperij, diui vocati fuerint; hic tamen praeter ceteros, exiſtimatus eſt, ob mirificam animi probitatem, cultumq; vitae ſeueriſſimum; nec non quia plura in vita effecit, quae ſine ope diuina effici poſſe non videbantur, gratus acceptuſque Deo Opt. Max. in eorum numerum relatus eſt, qui ſancti, inferioris aetatis lingua, vocantur, ac propitij eſſe mortalibus pie vereque creduntur; preceſque eorum, ac vota ad verum Deum, auctoremque noſtrae ſalutis comportare. Nequis autem me fingere aliquid, ac comminiſci putet, cupiditate incenſum ornandi hanc familiam, quae nullum decus aduenticium externumque requirit, cum ſuis proprijſque referta ſit, nomen etiam ipſius ponam, qui nouo hoc decore florentiſſimam familiam, inſtructamque omnibus virtutibus illuſtrauit: is enim fuit Leopoldus Auſtriae Dux, ab Innocentio VIII. Pont. Max. cuſtodito vetere inſtituto ac more, (qui mos tunc ob antiquam innocentiam integritatemque eius aetatis ſaepius frequentebatur) atque omni pompa cerimoniarum, praeclaro eo nomine donatus: eo honore affectus eſt, quo nullum maiorem, qui mortales nati ſunt, conſequi, poſt mortem etiam, poſſunt. Sed viuit adhuc in hac religionis plena domo, regina MAGDALENA,

mode-

moderatiſſima mulier, vna FERDINANDI filiarum, huiuſque noſtrae praeſtantiſſimae adoleſcentis ſoror, quam ſperare non ſine cauſa licet eoſdem diuinos honores aliquando conſecuturam: cuncta certe Germania huius animi, ac iudicij eſt; ferturque per ora omnium populorum, admirantium vehementer ſingularem probitatem ipſius, iam iamque venerantium, ſermo de ipſa, vt de ſanctiſſima femina, & quae caeleſti potius aeternoque domicilio, quam his terrenis mortalibuſque ſedibus digna ſit; ipſa certe iam pridem animum mentemque ſuam hinc abduxit, ad caelumque ac diuinas res contemplandas totam conuertit; cuius ſuae voluntatis ſtudijque certiora olim ſigna dediſſet, niſi imperium patris, amorque erga minores ſorores, quae praeſidio eius, cum matre orbatae forent, egebant: ac pietas denique, ne totam ſe pietati religionique traderet; penituſque ſe mundo abdicaret, prohibuiſſet. Perſpicuum igitur eſt his tot, ac tam certis teſtimonijs, illam talem eſſe debere, inſitamque eſſe a natura, vel potius innatam in moribus ipſius, non aſſumptam, & aliunde aſcitam hanc eximiam religionem: quare perpetuam ipſam fore, ac cotidie magis vires ſuas amplificaturam, ſiquid ipſi addi poteſt, ſperare debemus. Habet autem ciuitas, quod maxime optauit, impetrauitque id bonum, quod ſemper a Deo ſummis precibus flagitauit: cum enim haec tellus a priſcis vſque temporibus mirifice dedita religioni fuerit, & quemadmodum fortitudine bellicaque diſciplina commendata olim fuit, ita etiam hac, principe reliquarum omnium, virtute celebrata ſit: intelligo autem tempora illa, quibus cultus deorum, ſuperſtitio potius, quam religio appellari potuit, (quae tamen propria ipſorum culpa non fuit, ſed commune vitium, atque inſcitia illorum ſeculorum, quibus omnia, quae huc pertinerent, ac caliginis, & tenebrarum plena erant,) nec non illa quoque, quibus patefactis iam oculis, homines coeperunt lucem aſpicere; ſpretiſque atque exploſis veteribus illis ritibus, toto animo veram religionem amplexari, ac maxime pium Dei cultum amare: nam quin poſterius hoc quoque, non minus, ac prius illud verum ſit, dubitari non poteſt, cum tot veſtigia in ipſa extent Chriſtianae religionis, antiquitus in ea impreſſae, ac multitudo id etiam declaret, optimorum, ac ſanctiſſimorum virorum, qui in ea poſtea viguere. Cum igitur haec terra, vt eo redeam, vnde diſceſſeram, abreptus cupiditate confirmandae rei, quae confirmatione minime egebat, hac in primis laude floruerit, quomodo poteſt non diligere, & in oculis ferre hanc auguſtam, & vere diuinam feminam, in cuius animo inſtitutiſque omnibus ſolida perſpicitur, & expreſſa, non adumbrata vera religio. Obſtupeſcit illa igitur, ac merito id quidem, tantam probitatem, tantam manſuetudinem, tantam & tam inauditam in ea aetate ſeueritatem, conditam tamen illam, ac temperatam cum ſingulari humanitate, & incredibili morum ſuauitate, in primiſque, vt dixi, qua admodum delectatur, & ad quam natura, moreque maiorum propenſa eſt, obſtupeſcit tantam erga Deum Opt. Max. pietatem. Et haec cauſa fuit, cur multi nobiliſſimi honeſtiſſimique homines, quique etiam diuitijs, atque opibus abundant, contra conſuetudinem antiquam vrbis, quae ſemper triſtis admodum in hac re, ac valde ſeuera fuit, deſiderio magno flagrauerint (vt omnibus notum, atque exploratum eſt) commodandi illi filias, quas vnice diligerent, & valde caras haberent, vt earum opera miniſterioque vteretur in commodis vitae procurandis, dignitateque ſua tuenda: videbant enim ſe illas in caſtiſſimam domum, pleniſſimamque integritatis mittere, & ab omni non ſolum culpa vitioque vacuam, ſed opinione etiam, tenuique ſuſpicione alicuius leuiſſimae maculae, & quaſi in diſciplinam ipſi tradere, vnde poſtea exirent ornatae optimis moribus, imbutaeque ſtudijs honeſtiſſimis, atque hoc ſibi magnificum, & praeclarum eſſe iam antea experti fuerant: eadem enim laude floruerat, quae ſocrus ipſius, ſi diutius vixiſſet, fuiſſet, optima & ſapientiſſima mulier, ELEONORA. neque enim tam mouit ipſos nunc, quemadmodum ſane mouere debuit, ſplendor fortunatiſſimae domus, claritaſque maiorum ipſius, cum tali mulieri ſeruire aliquo modo ſit ceteris imperare, ſpeciemque in ſe multam, ac dignitatem habeat, quam (vt antea fecerat) firma opinio ſanctitatis, & incorrupta, quoque nullae illecebrae vitiorum penetrare vllo modo poſſint, diſciplina. Cum autem negari non poſſit, priſtinam illam morum ſeueritatem, & in mulieribus, & in adoleſcentibus, languidiorem factam eſſe, & multum ſuarum virium remiſiſſe (libet enim verum fateri; nec falſi aliquid, affineque vanitati, ac mendacio in hac oratione mea locum habebit; quod tamen proprium noſtrum incommodum non eſt, ſed commune totius Italiae vitium, quae iam ad nimiam facilitatem, ſuauitatemque humanitatis non ferendam, declinauit) ſiquod remedium huic malo adhiberi poteſt, ne longius ſerpat, in eumque locum veniat, vt nulla ratione fraenari amplius coërcerique valeat, hinc ipſum expectari naſcique debet, praecipue in ipſius genere, muliebrique ſexu emendando, & corrigendo. Quae enim femina tam mollis, & tenera erit, totaque ornatui corporis, & leuitatibus dedita, ne dicam libidinibus, atque amoribus, quam non pudeat illius ſui ina-

ois

nis ſtudij, ſeq; ipſam ſtultitiae damnet: cum videat hanc, ſummo loco natam, omnibusq; fortunae bonis expletam mulierem, inſtruendo & ornando animo deditã eſſe, non corpori expoliendo vacare; libentiusq; multo templa diuorum frequentare, atq; ibi totos dies cõterere, quam ludos viſere, & in theatris, ſpectaculis ſedentam, manere: cui enim notum, & exploratum nõ eſt, principes viros, & qui imperium in aliquam gentem habent, exemplo magis, & innocentia, quam legibus, & interdictis, populos emendare, & vniuerſam ciuitatem a vitijs reuocare? Quod igitur ſummum beneficiũ aliquando haec noſtra patria habuit ab optimis moribus, & ſingulari doctrina praeditis viris, cum nacta eſt aliquos, qui vtraq; re valeant, nec minus vita & moribus, quam eloquentia freti, in ſacra illa ſuggeſta aſcendant, vt admonita ab illis, & aſſiduis concionibus caſtigata, vitam moreſq; in meliorem partem mutaret, & omnes delicias ſuas ad certum tempus excuteret, donec ſcilicet memoriae ipſorum haeſerit veſtigium aliquod optimorum praeceptorum, idẽ nunc ab optima femina, & exemplo quodã continentiae, veteriſq; ſanctitatis habebit: funguntur enim hoc munere apud nos, ſanctiſſimo & grauiſſimo omnium munerum, non tantum noſtri homines, ſed externi etiam, vndique, vt proſint moribus, euocati; qui illis artibus, quas ſignificaui, ornati, & mira cupiditate incenſi inſtituendi ciuitatem, & beatam illam vndique efficiendi, nulli labori parcunt, vt pulcherrimum hoc opus efficiant, & conſilium ſuum optimum ad exitũ perducant; illi vero, vt dixi aliquando non nihil profuere, & aliqua in parte ciuitati aegrotae medicinam fecere. Sed, quia cotidiana nõ eſt curatio haec: certo enim tantum tẽpore anni vſurpatur: in verbiſque praeterea tota, & oratione fundata eſt, diuturna ſalus quae hinc naſcitur, eſſe non poteſt; ſed facile extinguitur, & e manibus cito elabitur, cum quicquid ſtudio, & labore honeſtorum virorum lucri factũ eſt, id magna ex parte, vitio & temeritate incõditae multitudinis, & ad flagitia pronae, amittatur. Vt ſpero antẽ, & toto animo opto (in qua mea honeſtiſſima voluntate ſcio me plures ſocios habere; cum omnes ciues, qui habent in ſe aliquid non modo prudentiae, ſed etiam ſanitatis, & quos dolor aliquis tangit communis licentiae, & ſumptuum magnitudinis, idẽ hoc ardenter cupere debeant, & ſupra cuncta alia cõmoda optare) vt ſpero igitur, quod hi maioribus viribus praediti, raroq; & infrequenter hoc medicamẽto, remedioq; peſtiferi morbi vtentes, efficere nõ potuerunt, efficiet haec praeclara, & fortunata mulier, maximis ſuis, diuiniſſimiſq; bonis adiuta, & omnibus diei horis oculis omniũ obuoluta, vt alteram ſaltẽ partem ciuitatis erudiat, & exẽplo ſui modeſtiã, & ceteris virtutibus inſtruat: nã ſi hoc contigerit, &, quod ipſa toto pectore exoptat, quoq; ſuos omnes ingenij neruos intendit, exitum habuerit, minore negotio virile genus, in quo plus roboris, ac iudicij eſt, emendabitur. Oportere autẽ cito obſtruere viam graui morbo, & exiles adhuc infirmaſque fibras ipſius elidere, perſpicuum eſt, ne diuturnitate validior fiat, & omnẽ poſtea medicinam reſpuat; qua peſte Deus Opt. Max. ciuitatem noſtram liberet, vt adhuc ſumma ſua benignitate, & amore egregio erga nos, liberauit; nec tamen merito reprehendi, & accuſari poteſt, qui longe incommodũ aliquod adueniens videt, & ne irrumpat, & omnia labefactet, exemplo corruptorũ populorũ, timet. Non poſſe autem beatam vndiq; eſſe ciuitatem, quae illa parte laborat, & in qua mulieres delicate molliterque viuunt: cognouimus etiam auctoritate doctiſſimorum virorum, qui ſuis monimẽtis litterarum prodiderunt, atque id non vno tantum loco; quo magis apparet ipſis eam rem mirifice diſplicuiſſe, ciuitatem Spartiatarũ dimidia ex parte vita beata caruiſſe, in qua muliebre genus incontinenter luxurioſeq; viueret, nec vllis ſeueris legibus inſtitutiſq; coercitum foret. Et certe mirari licet conſilium Lycurgi; qui cum alijs in rebus ſeueritatem amauerit, vel aſperitatẽ potius, & duritiam victus ſecutus ſit, tantopere mulieribus indulſerit, atq; adeo huic generi lubrico, & ad voluptates procliui, habenas remiſerit. Sed hoc non huius tẽporis eſt: quare ad noſtram integerrimam feminam redeamus, & diuinis quibuſdam bonis excultam & expolitam; quae bona, quantum in ipſa ſitum eſt, in alios etiam ſpargere, ac diſſeminare conatur, & huius pulcherrimi operis efficiendi ſtudio, & deſiderio magno inflammata eſt: illa enim cum in pleniſſima dignitatis domo educata ſit, diſciplinamq; a teneris annis hauſerit grauiſſimam & moderatiſſimam, inde percipit veras, ac puras voluptates: negligit autẽ & nullo loco habet, quas ceterae mulieres ſectantur, atque magni aeſtimant. Non opus eſt me hoc accurate ſtudioſeq; cõprobare: huius enim animi ipſius teſtis eſt vniuerſa ciuitas, cotidieq; quam illa contemnat cultũ corporis inanem, multis & magnis ſignis declarat: quae namque pecunia illi tribuitur, grandis & ampla, vt purpuram, & gemmas emat, & reliquo ſplendori nitorique externo ſeruiat: eam omnẽ in ſacris virginibus ſubleuandis, & mẽdicis hominibus alendis conſumit. Affirmare etiã poſſum, veſtimenta ipſam ſumptuoſa, ac ſplendida, & qualia loco illi, quem tenet, dignitatiq; conueniunt, oblata ipſi, ac paenè obtruſa, eã plerumq; ſeponere, atq; domi condita, & collocata habere, ſatiſq; ſe lautã, & nitidam putare, ſi animũ expoliat, ac vero ſe decore fulgoreq; exornet. Nã cognitũ etiam, & animaduerſum eſt, ipſam cũ omni ſua pompa, & grege familiariũ priuatas aliquando domos ingreſſam, vt mulierculas, aut aegrotas, aut ſenectute confectas, eaſdẽ tamen vitae integritate, & ſanctitate morũ celebratas, & ipſas viſat, & bonis ſuis, pecuniaq; expleat. Verũ igitur eſt praeceptum illud; & dignũ ſapiẽtiſſimo eo viro, & omnium fama linguaq; celebratiſſimo, qui ipſum edidit: is autem fuit Pythagoras Samius, vitae hominum optimus cultor & magiſter: dicebat enim, Optimam viuendi rationẽ, & quae merito probari poſſet, eſſe eligendã, quae ſi forte primo triſtis, & aſpera viſa foret, conſuetudinẽ eam ſuauẽ, & iucundam reddituram aſſeuerabat, quod vſu venire in hac noſtra plane intelligimus, ac videmus. Sed cũ iam ſatis de indole ipſius optima & ſanctiſſimis inſtitutis locutus fuerim (nam ſiquae reſtant, quẽadmodum profecto reſtant: neq; enim potui tam breui tempore omnes ſuas virtutes aperire, & facto aliquo ipſas illuſtrare, alio tẽpore cum plana illa omnibus

bus facta erunt, nec ſcrupulus vllus in animo alicuius de ipſis reſtabit, à me exponentur, & litteris mandabuntur) videor nunc debere ad te conuerſa oratione mea, Coſme Dux ſapientiſſime, publico noīe te laudare, & conſiliũ tuũ in caelũ ferre, qui hoc fieri volueris, & in hanc curā toto aīmo incubueris: non.n. tuā domũ tm̃, omnibus honoribus ornatā, ornare ſtuduiſti ſplendore huius florentiſſimae familiae, & praeſidij ipſi plurimũ cōparare, opibus validiſſimae gentis, ſed patriae ēt ciuibusq; decoris multũ, ac firmitatis acquirere: cũ illa principē habeat, ducēq; imperij ſui, ac fortunatũ oīum, eũ, qui cũ ipſe per ſe nobiliſſimus ſit, & ſumma quaq; dignitate ornatiſſimus, adiunxerit ēt Auſtriacae domus ſplendorē, ac gloriā ſuis laudibus: atq; ita cumulũ magnũ, quod fieri non poſſe videbatur, addiderit domeſtico aceruo veteris dignitatis, ſuorumq; ſplendidiſſimorũ honeſtiſſimorũq; factorũ: haec autē eſt vera ratio patriā exornandi; his artibus aeternus honos pariter ſuis ciuibus; hoc pacto ſibi principes viri aīos eorũ, in quos imperiũ habēt, deuinciunt. Eodē autē tempore non tibi tm̃ con ſilio hoc tuo maximũ gaudiũ, ac voluptatē perpetuā peperiſti, ſed nobis ēt infinitā laetitiā, atq; hilaritatē attuliſti: laetamur.n. magnopere nouo hoc noſtro ſplendore, ac bono, eodeq; voluptatē magnā, ac ſolidā merito capimus, nec minus laetamur, quia te laetũ, & vndiq; hilarem videmus: quis.n. vmquā ſe tam laetũ, ob aliquod ſummũ, & inexpectatũ bonũ a ſe ſubito partũ, praebuit, quā tu in his feliciſſimis nuptijs te ipſum feciſti? quod eo magis animaduerſum eſt, quia ſemper reliqua omni vita grauiſſimus ſeueriſſimusq; fuiſti, ac perſonae tuae, altiſſimoq; iſti gradui honoris, quo praeditus es, ſeruiuiſti. Quis vmquā vidit parentē aliquē tātopere ex ſe natā filiā diligere, q̃ tu ab omnibus intelligeris, norũ hanc tuā, optimā, ac puriſſimā adoleſcentē; &, ſiquis vero ac proprio noīe ipſam appellare velit, delicias orbis terrarũ, amare, & ſi licet ēt ita loqui, fouere ac colere; nec mirũ hoc cuiquā videri debet: cuncti.n. mortales honeſtis ſuis factis laetantur, nec ſatiari queunt cogitatione, & animaduerſione ſuorũ pulcherrimorũ operũ. Tibi vero Franciſce, Princeps optime, ac vir fortunatiſſime, huius integerrimae mulieris, gratulor; cuius hoc propriũ bonũ eſt: (tempus.n. iam eſſe videtur, vt relicta grauiſſima perſona patris tui, qui tibi dux & auctor, vt ceterorũ, ita ēt huius ſummi, ac praeclari cōmodi fuit, ad te ſenſus animi mei, orationēq; dirigā) gratulor igitur tuae felicitati, ac vere, & ex aīo gratulor, quod ipſi putiſſimũ eximiũ hoc bonũ contigit, datũq; tibi eſt voluntate Dei, vt cũ hac nobiliſſima femina, & oībus animi, & fortunae dotibus expletiſſima, aetatē degas; quo bono, ſi vere cogitare volumus, & non opinionibus vulgi ducimur, nullũ maius, nec magis ſolidũ bonũ eſt. Habebas iā pridē beneficio parentis tui, atq; inaudita paenè liberalitate, quae a mortali hoīe in vita optari, & impetrari poſſunt. Tradiderat ille tibi habenas olim ſuarũ ciuitatũ, fortunatiſſimarũ & nobiliſſimarũ, regēdas. Omne imperium ſuũ, virtute ipſius, & periculis partũ, a te gubernari, & adminiſtrari voluerat. Suas deniq; oēs opes, & dignitatē, in tua manu, & poteſtate collocarat. Reſtabat aliud nihil, niſi vt domi haberes, ſociā thalami, & ſanctiſſimi matrimonij, feminā lectiſſimā, & oībus venuſtatibus refertiſſimā; qua, participe honeſtiſſimi facti, liberis operā dares, & cũ qua oēs tuas curas, & gaudia cōmunicares, obtinuiſti ipſũ, eiuſdē cōſilio, & prudētia ſingulari, & talē q̃dē nactus es, vt ego libello hoc, & paruo monimento ingenij mei oſtendere conatus ſum, vt augeri ipſum, amplificarique nullo modo poſſit. Gaude igitur perpetuũ ingēti hoc, & praeſtanti Dei dono, & fruere diu, cum ceteris tuis morũ, & naturae bonis, tũ in primis hoc, quod maximũ oīum, quae cadere in hoīem poſſunt, & perfectiſſimũ eſt. Quod ſi breui, vt optamos, ac toto aīo cupimus, fructus aliquis extabit huius honeſtiſſimi coniugij, dederitq; nobis liberos, natos ex his duabus luculentiſſimis, & florētiſſimis ſtirpibus, & tibi ipſi firmũ aeternũq; praeſidiũ parabis; & parenti tuo, optimo ac fortiſſimo Duci gaudiũ mirũ in modũ augebis, & ciuitati, quae hoc cupide expectat, ceteriſq; oībus Etruriae populis dignitatē, ac decus apportabis. Cũ autē non ſine cauſa videri alicui poſſit hic labor meus abſolutus, & oratio iam ad exitum ſuum perducta, quo tamen facere poſſum Maximiliane, Imp. clariſſime, & ſumma quaque virtute inſtructiſſime, quin te, quamuis abſcotē, & magno locorũ interuallo a nobis diiunctũ, appellem, tibiq; totius noſtrae gentis noīe gratias agā, qui tm̃ & tā praeclarũ munus nobis miſeris, & ſocietate tui glorioſiſſimi ſanguinis, Principes noſtros ornaueris: a te.n. hoc mirificum noſtrũ bonum manauit, tibiq; acceptũ referre illud, fateri profecto debemus. Abundat ſane domus tua, & maxime illuſtris familia, eximijs alijs, & luculētis bonis, nec tñ hoc paruì ducendũ eſt, quod fortunae in patrē tuũ teq; ipſum mira benignitate facultatē nactus es, auxilio plurimarũ ſororũ, obſtringendi tibi, ac firmo ſtabiliq; vinculo deuinciendi, vt alias non nullas honeſtiſſimas totius orbis familias, ita tres cunctae Italiae ſplendidiſſimas, ac periluſtres domos; in quibus haec noſtrorũ Principũ eſt, multis modis, ac certiſſima quaq; ratione inſignis. Ornaſti igitur oēm hanc terrā lumine, ſplendoreq; proprio tuae domus, & quaſi ſtellas quaſdā, valde claras fulgenteſque, in ea fixiſti, atq; ita maximo, & numq̃ interituro beneficio vniuerſum Italiam affeciſti: quare valde tibi obligati ſumus, vt pro meis oībus ciuibus loquar, & quod in animis eorum conditum defixumq; eſſe intelligo, aperiam. Cum autē alia quapiā ratione parē vllā tanti muneris cōpenſare nequeamus, hoc quod in nobis poſitum eſt facimus, ac grato quidem aīo libentique facimus, vt cuncta tibi cōmoda optemus; ac Deum Opt. Max. rogemus, vt tibi in oībus tuis conſilijs factiſque ventos ſecundos praebeat, & optimae tuae menti proſperos exitus largiatur. Cumq; bellũ inſtet periculoſum, ac maxime formidabile, quod ab immaniſſima gente, auidiſſimaque noſtri ſanguinis maieſtati tuae, fortiſſimiſque nationibus infertur, in quo bello virtutis tuae explicandae facultatem magnā habiturus es, multis precibus a Deo petimus, de tua, & totius pij populi ſalute ſolliciti, vt felix in eo ſis, indeque tibi honeſtam, ac glorioſam, & nobis omnibus valde vtilem, ac ſalutarem victoriam conſequaris.

FINIS.

PETRI VICTORII EPISTOLARVM

Liber Primus.

PETRVS VICTORIVS Nicolao Ardinghello. S.

EX multis epiſtolarum voluminibus a Cicerone confectis (nemo enim nec plures, nec elegantiores ſcripſit) non parua pars, longi temporis iniuria, amiſſa eſt: quod damnum, etſi grauiter moleſteque pati debemus, cum nullum ſit ſcriptorum genus, quod magis in cotidiano vſu verſetur, aequiore tamen animo ferendum erat, ſi eae ipſae, quae remanſerunt, integrae, ac mendis purgatae eſſent, & non omnibus partibus corruptae, ac lacerae: haberemus enim omnis epiſtolarum generis exempla pulcherrima ac perfectiſſima: quibus propoſitis, ſtudioſeque animaduerſis, poſſemus omnem rem, quae incidiſſet, copioſè & ornate explicatam litteris mandare, iiſque certiores facere abſentes: nunc verò cum mendoſae & diminutae admodum ſint, quae circumferuntur, ac veneunt, fit, vt non ita cupidè, & cum voluptate legantur: cum enim crebro lectoris animus in aliquem locum offendit, qui ſua obſcuritate & corruptione impetum eius frangat, & tamquam in ſalebris haerere faciat, adeo langueſcit, & corruit, vt penitus curſum, in quo ante alacriter ferebatur, remittat, ac deſerat, & ſic omne ſtudij illius iter interrumpitur, vt vix vllus ex ea lectione fructus percipiatur. Huius autem mali diuerſae cauſae extiterunt: longam quidem diem, quae multa litterarum monimenta ſuſtulit, non paucas etiam his, quae in vita remanſerunt, tenebras obfudiſſe facile concedimus: ſed aliud quoque non minorem tam grauis incommodi culpam ſuſtinere exiſtimamus: quod & ipſum, quia notum iam omnibus, & exploratum eſt, pluribus verbis perſequi neceſſe non eſt: quis enim neſcit, quae fuerit multorum ſuperioribus temporibus in corrigendis antiquis auctoribus licentia? vtque, dum labes quaſdam delere vellent, ſaepius grauiores maculas inuexerint? & aliorum etiam ſiniſtrum deterrimumque conſilium, qui, cum interpretum munere fungerentur, quaecunque non intelligerent, ſoliti ſunt immutare & peruertere, ne aliquid neſciſſe viderentur, opinionemque hominum de ſuo ingenio, atque eruditione amitterent, non paruа certe hi quoque detrimenta intulerunt: ſed haec iam pridem ratio exploſa & damnata eſt: nam multi ingenioſi & diſerti viri, videntes hoc malum cotidie magis fundi ac dilatari, non amplius ſibi ceſſandum rati, ſe his fortiter pro communi ſtudioſorum omnium vtilitate oppoſuerunt: auctoritateque & ſtudio ſuo tantam audaciam temeritatemque refrenauerunt, maculas, quibus illi optimos quoſque latinae lin-

quae auctores turpiter foedauerant, delentes, nec non fuliginem eam, qua ipſos quoque dies aſperſerat (non enim cum vno tantum hoſte his certamen fuit) ſuis ingenijs abſtergentes, hi magna cura & diligentia veteres libros inquirendo, ſine quorum ope nihil fere huic rei vtilitatis adferri poteſt, egregiam operam in hoc negotio nauauerunt: horum ſemper a me ſtudium laudatum, & celebratum eſt: tantum enim beneficium ab his acceptum fuiſſe iudico, vt, ſi illorum opera ceſſaſſet, eo proceſſura fuerit imperitorum audacia, vt omnes bonos paeniteret: nec mihi ſatis fuit ipſorum ſtudium induſtriamque laudare, verum etiam quantum in me fuit, ad meum vſum eos imitari volui; quantoque doctrina & ingenio inferior eſſem, tantum labore & diligentia parem illis operam praeſtare conatus ſum: fere enim ſemper quaecunque maiore ſtudio legi, morem habeo cum vetuſtis exemplaribus conferre; nec me vmquam huius meae operae paenituit: cumque olim antiquos codices M. Tullij epiſtolarum, diu multumque a me perquiſitos, nactus eſſem, quod in alijs facere conſueueram, in his maiore auiditate aggreſſus ſum: hi enim praecipue libri inter alia Ciceronis opera propter multorum locorum obſcuritatem, & quia vndique male habiti erant, ſingulari quadam diligentia mihi indigere videbantur; nec fefellit vetuſtas eorum librorum ſpem, quam de ipſorum probitate animo conceperam: plurima enim in illis offendi, longe a vulgatis codicibus diuerſa, multaque, quae ſine vlla vllius opera ſtatim ſe probarent, non pauca, quae adhibita cura, & diligentia reſtitui poſſe confiderem: quae ſaepius animo reuoluens, cunctoſque auctores, quos mihi aliquam opem ad ea illuſtranda adferre poſſe ſuſpicatus eſſem, diligenter percurrens, operam dabam, vt ea ne iacerent, fereque numquam librum meum in manus ſumebam, quin illum aliqua parte (vt mihi quidem videbar) meliorem facerem, atque huius mei laboris fructum putabam voluptatem, quam animo capiebam, cum aliquem locum reſtituiſſem, quos omnes amicis aperiebam, quibuſcum, fide ac beneuolentia ſingularibus, ſemper mea omnia libenter communico: illi autem, cum meum hoc ſtudium & ſi parum clarum aut nobile, mihi tamen vtile, ceteris non ingratum fore praedicarent, me ipſum ad hanc rem mea ſponte incitatum vehementius adhuc ſuis verbis inflammabant: & tamen eundem finem mihi primo propoſitum firmiter animo retinebam, vt, ſi qua vtilitas ex hac mea ſedulitate parari poſſet, ea cum amicis familiaribuſque meis fruerer, non quia, ſi vlla ex ingenio ſtudioque meo commoditas capi poſſet, alijs inuiderem, ſed ne mea in hac re egregia voluntas mihi arrogantiae tribueretur: cum res in hoc ſtatu eſſet, ecce tibi Florentini hi noſtri librorum impreſſores; qui aliquid de mea hac diligentia audiſſent, petere coeperunt, vt ſibi libri mei copiam facerem, velle ſe cuncta M. Tullij opera ample magnificeque excudere. Ego vero qui nihil tale vmquam animo cogitaſſem mirari primo, poſtea obſtinatiſſime pernegare: ſed illi tandem & precibus ſuis, & communium amicorum interceſſionibus inuitum coegerunt me meos ipſis, qualeſcunque eſſent, labores, ſibi polliceri: qui vtinam tam ceteris vtiles iucundique ſint, quam mihi moleſti importunique fuere: oportere enim duxi, poſtquam onus hoc mihi imponi paſſus eram, me non nihil operae, temporiſque rurſus in hac re conſumere: ad eoſdem igitur antiquos libros redij, eaſdemque res, vt potui in alijs nunc litteris occupatus iterum recognoui, quod tamen magno meo incommodo faſtidioque factum eſt, magnoque meliorum ſtudiorum damno. Tanto autem deſiderio flagraui, vt noſtra haec opera in bonam partem accipiatur, eademque animi ſinceritate, qua a me ſuſcepta eſt, iudicetur, vt vbi penitus omni diligentia & induſtria adhibita, rectam lectionem indagare me poſſe deſperauerim, adductus ſim ingenue confiteri, omnibuſque noſtram locorum illorum ignorationem notam facere, acrioreque ingenio, & maiore eruditione praeditis ea ſuppeditare auxilia, quibus facile poſſint labes has, tamquam grauem aduerſarium, conficere: nec enim imitari volui Homericum Achillem, qui cum Hectorem perterrefactum, fugaq; ſibi ſalutem quaerentem conſpexiſſet, nutu capitis Graecis omnibus interdicebat, ne in eum tela conijcerent, veritus, ne quis forte, illo vulnerato, ſummam ſibi inde gloriam acquireret: ipſe autem poſterior, reque iam tranſacta veniret, tanta erat in eo auiditas gloriae, tantaque eam ſibi laudem arripiendi cupiditate ferebatur, vt perpetuum & infeſtiſſimum ſibi hoſtem nollet ab alio laedi, aut tangi. Noſtrum conſilium longe diuerſum fuit: vt enim citius proſternatur, communem hoſtem cunctis monſtrauimus, pro viribuſque, fracto prius illo & paene profligato, aliorum etiam opem conuocauimus; omnibuſque in eum animum auximus, eaque arma dedimus, quibus ipſe penitus vita eripiatur: volui enim omni ratione, qua potui, aliorum etiam ingenia, qui hoc ſtudiorum genere delectantur, allicere & iuuare, vt nos cito habeamus haec nobiliſſima Ciceronis monimenta, ſi non integra & perfecta (re vera enim, qui diligenter attenderit, videbit multis eſſe locis adeo corrupta, & quaſi decurtata, vt ſine meliorum librorum copia nullo modo reſarciri poſſint) ſaltem huiuſcemodi, vt ſublatis mendis, reiectiſque

quorundam

quorundam ineptijs; libenter legi & intelligi poſſint. Quam autem vix ſperare debeamus meliores adhuc libros inueniri poſſe, conijcere licet, quod cum multos annos ſummo ardore, tot veteribus tota Europa bibliothecis excoſſis, certarum ſit magna laude, ingentibuſque praemijs propoſitis his, qui aliquid ſua diligentia è tenebris eruiſſent, parum tamen lucri factum eſt: Spero equidem, confidoque fore, vt hi loci, quos ego vt ambiguos incertoſque reliqui (nam multos plane deſperatos, ea, qua hodie loca mutila & hiantia iudicare moris eſt, nota ſignaui) cito ſint cura diligentiaque ſtudioſorum emendati in lucem prodituri: nos etiam, quantum fieri poterit, totos parui ingenij noſtri neruos intendemus, ſi forte, quod adhuc non contigit, commodiore tempore, ſedatioreque animo praeſtare poſſimus: numquam enim labore deterriti hanc curam deſeremus: magna enim ſpe tenent his veſtigijs poſſe in veram lectionem perueniri, cum ſaepe parua admodum peruerſio ſit, quae tantam caliginem offundit, vt, cum poſtea in veram incideris lectionem, mireris, indignerisque tam paruum in antiqua ſcriptura erratum tantum tibi negotij faceſſiſſe: vt autem ſuo arbitrio ſententias aliquas, quae ſuperioribus dictis quadrarent, interponere nullum negotium foret, ſed audax temerariumque conſilium, ſic haec veſtigia perſequendo, parumque ab his declinando, veram lectionem reperiri poſſe confidere debemus, nec eam vllo pacto contemnere, quae è veteribus libris, quorum ex alijs partibus fidem & integritatem cognitam habemus, magna alicuius induſtria eruta ſit. Quum autem hoc negotium plenum omnium ſuſpicionum fuerit, multiſque de cauſis me ſuſpenſum ſaepe incertumque tenuerit, in vna tantum re nulla mihi dubitatio exorta eſt: quod, cum cogitarem ſub cuius potiſſimum nomine & tutela vellem hoc epiſtolarum volumen exire, tu ſolus occurriſti Ardinghelle humaniſſime, quem ego ſine ſcelere praeterire vix poſſem, & quem libenter putarem horum meorum laborum patrocinium ſuſcepturum: tot enim ſunt egregia tua erga me merita, vt, cum referendae gratiae par nullo modo eſſe poſſim, debeam ſaltem, niſi ingratus haberi velim, quacunque ratione poſſum, optimam meam voluntatem tibi ceteriſque, qui tuorum in me beneficiorum conſcij ſunt, oſtendere: nam, quin tu vnus praecipue poſſis magno illis praeſidio eſſe, ſi quis in eos conetur inuadere, neminem dubitaturum credo, niſi qui te cognitum non habuerit: ſed quis neſcit mirificam tuam omnium ingenuarum artium eruditionem, ſummum ingenium, acerrimumque iudicium, quantoque ſtudio & ardore animi ſoleas negotia, & famam amicorum tueri? non dico hoc temere, de quo loquar video: Cum omni ſemper culpa vacare conatus ſim, nihil vmquam magis caui, quam in aſſentatoris vitium delabi, nullamque infamiam tantopere reformidaui: Quare, niſi ita eſſe plane ſcirem, non adeo ſtultus eſſem, vt vellem hoc quaſi publico teſtimonio mendacij nulla neceſſitate coargui, ſed nihil eſt, quod minus in tuis laudibus perſequendis vereri debeam, quum ſciam omnium noſtrorum ciuium de tuis praeſtantibus virtutibus conſenſum: qui cum de te iam puero ex certiſſimis quibuſdam ſignis cuncta ſibi ingentia propoſuiſſent, in ea ſpe cotidie magis, perſpecta vitae tuae ratione, confirmantur. Cum plurimis igitur de cauſis hoc volumen ad te pertineret, ob hoc tibi potiſſimum a me mitti debuit, quod cum in multis rebus opera & conſilio tuo vſus ſim, in hoc negotio ſtudium & iudicium tuum fidele mihi, & vtile expertus ſum. Accipe igitur vere tuum hunc librum & tibi maxime debitum, meque quod ſemper valde feciſti, ama ac tuere. Florent. Idib. April. CIↃ IↃ LXXXV.

PETRVS VICTORIVS
Nicolao Ardinghello. S.

MAGNVM fuit ingenium M. Tullij, ſeu caeleſte potius ac diuinum, quod tot optimarum artium ſcientiam capere, atque omnia, quae percepit, ſummo artificio explicare, ac litteris mandare potuerit, cum tamen omnem aetatem in rep. & in maximis rebus gerendis verſatus ſit: quibus enim ille temporibus quietum vacuumque animum a magnis curis, cogitationibuſque habuit? quibuſque difficultatibus, & impedimentis obrutus non eſt? Poſtquam enim ob fortiter geſtum conſulatum, & oppreſſam ſceleratorum ciuium impiam coniurationem, magna in ſe improborum odia concitauit, numquam ceſſarunt non tam ipſius quàm patriae, & communis otij hoſtes eum varijs artibus aggredi, donec vi, armiſque è ciuitate eum expulerunt, quam ipſe ſuis conſilijs ex ipſorum ferro, incendioque eripuerat: licetque non multo poſt magno ſenatus populique conſenſu in patriam reuocatus ſit, incredibili totius Italiae laetitia, & plauſu, non

tamen tutus ab inimicorum inſidijs viuere potuit, qui ipſum numquam requieſcere paſſi ſunt: cumque & ſenatorijs muneribus, & forenſibus laboribus eſſet hoc tempore diſtri-ctus, numquam penitus philoſophiae ſtudium ex animo dimiſit, ſed quodcunque vacuum tempus ab his praeclaris, glorioſiſque laboribus nactus eſt, id omne in legendo aut ſcri-bendo conſumpſit: conſtat enim, quaedam de philoſophia eum etiam his temporibus ſcripſiſſe, ſex inquam de rep. libros: nam, quin tres quoque illos de Oratore ad Q. Fra-trem miſſos tunc ſcripſerit, nemini dubium eſſe poteſt: ſed poſt exortum ciuile bellum, victoſque Pompeianarum partium duces, cum vnius in poteſtate reſp. eſſet, eiuſque im-perio ac voluntate cuncta regerentur, exoptatum ſibi otium nactus, quamuis reip. lugu-bre ac funeſtum, mirum eſt, quàm multa breui tempore volumina de obſcuriſſimis, & difficillimis philoſophiae locis, quaeſtionibuſque ediderit: cum aliter ille dignitatem ſuam ſe tueri non poſſe cogitaret: nec ſe inertiae, ignauiaeque libero homine indignis da-re vellet: tot inquam fuere, vt, qui omnem aetatem in litteris conſumpſerunt, ab omnique publica adminiſtratione ſe abſtinuerunt, non mediocri ingenio homines, acerrimo in hoc ſtudio poſito, vix tot ſcripſerint, cumque eo tempore propter varia & multiplicia homi-num ingenia ab vno Socrate, tamquam fonte, plures familiae & diuerſae diſciplinae, quaſi riui, deductae eſſent, haberetque vnaquaeque ratio ſuos defenſores & grauiſſimos aucto-res, omnes eas apprime tenuit, edidicitque Cicero, &, cum ei commodum fuit, aut de-fendit, aut oppugnauit, quamuis propter obſcuram & abſtruſam ipſarum rerum verita-tem eam maximè rationem probaret, quae nihil ſciri, aut percipi poſſe affirmaret, cun-ctaque, quae veriſimilia eſſent, ſectaretur: oportebat autem egregiè artibus, ac doctrinis inſtructum & eruditum eſſe, qui & pro omnibus philoſophis, & contra omnes ſe poſſe ſubtiliter ac copioſè dicere profiteretur: Stoicam verò philoſophiam non parum admira-batur, propter grauitatem ac magnificentiam ſententiarum, (credo) ipſa valdè delectatus: vigebat autem ea tunc maximè, nonnullique Romani praeſtantiſſimi ciues ea diſciplina imbuti erant: nam multitudo Epicuri rationem magis ſequebatur, vt quae facilius perci-pi poſſet, & alliceret, caperetque animos imperitorum laudibus voluptatis, quamuis ea quoque grauiſſimas ſanctiſſimaſque ſententias quandoque effunderet, quae fortes etiam & iuſtos viros ei rationi poſſent conciliare: nam ita illi aduerſatus eſt, contradixitque Ci-cero, vt non male de vita & moribus eorum, qui ipſam defendebant, exiſtimaret, cum e-tiam quoſdam habuerit Epicureos homines ſecum magna beneuolentia, iucundiſſimaque familiaritate coniunctos, qui eum omnes Epicuri ſententias docuerant, quem ipſum quo-que non odit, nec parciſſimo tenuiſſimoque victu contentum fuiſſe vmquam repugnauit, cum propter patrocinium voluptatis apud ſuae rationis ignaros malè ille audiret, & vt ventri ac gutturi deditus ab aduerſarijs in hoc male acciperetur: Veterem autem illam Aca-demiam adeo intellectam cognitamque habuit, vt diu tractare non dubitarit: auctores ſa-nè ipſius ac principes, Socratem, Platonem, Xenocratem, eorumque auditores omnibus locis mirificè laudat, ac cunctis philoſophis praeponit. Quomodo igitur poteſt aliquis ſummum ingenium Ciceronis, ſummumque philoſophiae ſtudium non admirari? conſi-lium namque eius inſtitutumque latinis litteris explicandi, quae ante a Graecis tantum doctoribus ac libris percipi poterant, quis adeo peruerſus eſt, ac ſibi ipſi commodiſq; ſuis inimicus, vt laudandum eſſe non putet? Cogitabat ipſe hac quoque parte ciues ſuos iuua-re, atque eos cunctas doctrinas in latinam linguam conuertens non mediocri (vt erat) be-neficio afficere: indignum enim ipſi videbatur, gentem illam, quae totum paenè orbem ar-mis viciſſet, legibuſque temperaret, vitam moreſque ſuos ſine Graecis magiſtris excolere & regere non poſſe, cumque omnibus rationibus imperaret, Graecis hominibus, ac do-ctoribus ſeruire cogi. Reliquit igitur haec praeclara omnium philoſophiae diſciplina-rum, quae tunc florebant, monimenta, quae nobis multis de cauſis cara eſſe debent: non minus autem quia cuncti illarum diſciplinarum libri vetuſtate, vel miſeris potius praete-ritis temporibus ita perierunt, vt nihil ferè aliud reſtet, vnde poſſint, ſi non perfectè intel-ligi, ac guſtari tamen, & animaduerti ſubtiliſsima illarum doctrinarum decreta ac ratio-nes: niſi fortè credimus, omnia illa iudicio ac ſapientium virorum conſilio neglecta & de-leta eſſe, quòd ea indigna exiſtimarent, quae legerentur, quaſi non multa etiam Ariſto-telis, quem diu meritò omnes ſunt amplexati, ac ne peiora quidem, eodem fato amiſſa ſint: nam quid de Theophraſto dicendum eſt, qui in eadem ratione verſatus omnia fermè, quae doctor ipſius Ariſtoteles, eruditiſsime & elegantiſsime tractauit? nam & hic etiam eadem de cauſa contemptus eſt, atque in ſitu & ſquallore relictus, qui paenè totus perijt? Quae enim pars eius reſtitit, ea quoque multis maculis & peruerſionibus confecta eſt: quaſique non viderimus in latinis etiam ſcriptoribus veteres quoſdam bonoſque interijſſe: nouos autem alios rudeſque in vita permanſiſſe, aut ſuſpicari poſsimus ab illis, qui ijſdem

fontibus,

fontibus, quibus Peripatetici hauſerant clariſsimis ingenijs praeditis, ab optimiſque magiſtris eruditis, nihil ſapiens aut acutum inuentum, & poſteriores omnes a veteribus ſine cauſa diſſenſiſſe, cum ſoleant recentiſsima quaeque perfecta eſſe & abſoluta maximè: Ita tamen iuniores legerat Cicero, vt maioribus illis Platoni, Ariſtoteli, Theophraſto ſemper multum tribuerit: audiuerit etiam ſtudioſiſsime Athenis Antiochum veteris Academiae nobiliſsimum & eloquentiſsimum philoſophum: ne forte aliquis exiſtimet, ipſum rationis eius, quae nunc maxime viget, expertem aut ignarum fuiſſe: nulla cauſa eſt igitur, quin hi Ciceronis de Philoſophia libri ab omnibus legi, ſemperque in manibus haberi debeant: nam quanta ſint elegantia copiaque ſcripti, nihil attinet dicere, cum omnes res, quas ille tractare voluit, ſemper electiſsimis verbis expoſuerit: in his autem nullus orationis vel copioſae, vel elegantis ornatus deſit: Quam ſint autem inculta vel agreſtia potius & barbara ſcripta recentiorum de philoſophia, praeter admodum pauca, nemo eſt, qui neſciat, vt indignum admodum ſit, tam bonas & praeclaras res tam rudi & inquinato ſermone tractatas eſſe. Qui autem haec volumina ſaepe & accurate legerit, & optimarum rerum cognitionem ſibi inde parabit, & cum huiuſcemodi res ſcribere volet, facilè poterit eas ornatè & grauiter pro ipſarum dignitate dictare: atque his quidem nos, quae vix ab iniuria temporum defenſa & conſeruata ſunt, quam potuimus opem praeſtitimus, ſummoque ſtudio conati ſumus multas in illis maculas perpurgare: nam quae iamdiu deſiderantur, quaeque vetuſtate collapſa ſunt, nulla ratione potuimus in vitam reuocare: Malè profectò nobiſcum actum eſt, quòd optimi omnium ſcriptorum optimam partem amiſimus: Acciderit autem hoc quorundam praepotentium iniuria, qui odio illarum rerum ducti ſumma acerbitate libros, qui ea complectebantur, perſecuti ſint, ſiue omnium negligentia ſuperiorum, difficile cognitu & iudicatu eſt: Qui in ſumma certe vſi ſint ſtultitia illi excuſari non poſſunt, qui, cum vi. de rep. libros (vt alia omittam) deſcribere poſſent, qui ab optimo reip. tractandae auctore, omnibus congeſtis, quae vſu & litteris didicerat, perfectè & abſolutè ſcripti fuerant, in nugis potius quibuſdam deſcribendis operam ſuam conſumpſerunt: ſed ſit horum finis: neque ea, quae ſanari non poſſunt, vulnera, amplius refricemus. Ad te vero Ardingbelle ſuauiſsime & hos quoque libros mitto, alterum amoris erga te mei non valde tamen neceſſarium pignus: perſpexiſti enim (vt arbitror) quantopere te merito tuo amem ac diligam: nam cum te obſeruare ac colere debuerim, id quod erat perſonae ac dignitatis tuae, me potius hoc facere voluiſti, atque hoc ipſo ſemper magis delectatus es: quid enim erat (niſi hoc voluiſſes) quod te mihi tantopere dares atque adeo commodis meis inſeruires? quare & te amo, ita vt nihil vnquam in amore fuiſſe ardentius putem: & colo tamen, vt & perſona, quam geris, & ſingularis tua probitas poſtulant: Maxima quidem tua ſunt, quae numquam praedicare deſinam, erga me beneficia: atque haec quoque ipſa tu numquam augere ceſſas, ea ſanè me tibi valde obligarunt: incredibilis vero tua humanitas, ſenilis quaedam prudentia, ſummum ingenium, excellens doctrina, me tibi arctioribus adhuc vinculis coniunxerunt: omnia verò haec ſimul congeſta me ita captum tenent, vt ſemper te animo meo adfixum habeam, nec vnquam ceſſem de admirabilibus tuis virtutibus, egregijſque erga me meritis mecum ipſe cogitare: quare noli mirari, cur ſecundum etiam hoc volumen tibi miſerim, cum in tuo ſolum nomine acquieſcam: ſed expecta potius, ſiquid vnquam maiore ſtudio magis te dignum efficere potuero: quod, etſi ſentio, quàm mihi arduum ac difficile ſit, conabor tamen, vt aliqua ratione & amori erga te meo & minimae parti tuorum meritorum videar ſatisfeciſſe.

PETRVS VICTORIVS
Bartholomaeo Caualcanti ſuo. S.

VERAM ſemper eſſe putaui nobiliſsimi tragici ſententiam illam, [illegible]. Nunc verò etiam expertus ſum: Poſtquam enim negare non potui rogantibus ſatis multis, vt quaedam, quae ex antiquiſsimis exemplaribus ſincerè (vt arbitror) reſtitueram in epiſtolis Ciceronis, diuulgarem, cupiens omni ratione, qua poteram, voluntati illorum morem gerere, & eruditis hominibus ſtudium meum probare, in magnam turbam incidi moleſtiarum: nam & dum ea colligerem, non parum laboraui, & cum mihi viſus eſſem, non nihil vtilitatis libris illis adtuliſſe, me quaſi teneri arbitratus ſum, eos etiam, quibus idem auctor philoſophiam explicauit, & quibus orato-

rnm praecepta elegantiſſimè perſecutus eſt, ſi poſſem meliores reddere. Quare, mnltis priſcis exemplaribus comparatis, id opus, magnum ſanè & arduum, aggreſſus ſum, & qoàm accuratiſſimè potui, abſolui atque ad exitum perduxi. Sed cum poſtea animaduerterem, mnlta eſſe loca maxime in epiſtolis, quae niſi aperirentur, obſcura futura eſſent, cum aut hiſtoria illarum rerum a multis ignoratur, aut verſus reconditi aliquorum poetarum citantur, non nulla etiam parum certa, & in varijs libris variè ſcripta, quaedam ſuſpecta: alia autem prorſus mendoſa, quae omnino oporteret indicare, neceſſe eſſe duxi, quaſdam adnotationes conficere, quae obſcura illuſtrarent, incerta & ſuſpecta oſtenderent, deprauata & manca, ne quempiam nulla vtilitate exerceant, denotarent. Verum in prioribus adhuc negotijs implicatus aliud commodius tempus expectare cogitabam, cum ſtatim, quibuſdam impreſſorum impedimentis hoc opere intermiſſo, ſatis idoneum tempus nactus ſum, vt quaecunque mihi declaratione aliqua indigere viderentur, colligerem, & breuiter explicata in paruum hoc volnmeo conferrem: ea autem ſine fucis (vt natura mea fert) expoſui: nec enim nieum conſilium oomquain fuit, hac occaſione doctrinam aliquam (quae in me nulla eſt) aur multarum rerum ſcientiam oſtentare: taotum conatus ſum, quae in bis libris maioris alicuius momenti immutaui, tueri, rationes, quibos ductus id ſecerim, adſerendo, & teſtimonia priſcorum codicum adducendo: ſuſpiciones etiam multas, quae mihi occurreruot, & aliquantulum viſae ſunt poſſe ſtudioſos adiuuare, libere protnli: nec in vlla re veritus ſum ſimplicitatem mei ingeuij aperire, dum quaecnnque mihi in mentem veniunt, narro: tanta cupiditate exarſi clariſſimum hnoc ſcriptorem foediſſimis macnlis inquinatnm purgandi. Quantum antem in hoc profecerim, alij iudicabunt: ſtudiunt quidem certe & egregia quaedam voluntas oon defuit: ſed quia fieri poteſt, imo potius neceſſe eſt, vt in quibuſdam decepti ſimns: cogooſcimus enim iogenij ooſtri infirmitatem, & lubricam periculoſamqne harum rerum tractationem, petimus ab eruditis, vt errores noſtros, ſiquos aoimaduerteot, non paucorum locorum non ineleganter illuſtratorum meritis compenſent, nec me arrogantiae condemnent, quòd hoc oous mioimè mearnm virium in me receperim: nec enim id vmquam expetiui, ſed potius ab alijs mibi impoſitum valde cupiens ſubterfugere non potui, vt ſiquid io hoc a me peccatum ſit, facilitate potius qoadam, & naturae bonitate peccatum ſit, quòd ea, quae iuſtè repudiare poteram, onera ſubierim: nam (vt ſupra a me expoſitum eſt) paulatim & non vno conſilio boc mnnus ſuſcepi: a primo enim ex occaſione quadam tibi nota, coepi ſummo ſtudio epiſtolas ad Atticum ſcriptas ad meum & amicorum vſum mendis purgare: qnum enim domi tuae antiquum illud ab Angelo Politiano laudatum illarum epiſtolarum exemplar vidiſſem, quod diſparem ſortem ab ea, qnam ille ei tributam dicit, multos ſanè annos expertum fuerat: eripueras enim tu illnd è manibus ignobilis grammatici, apud qoem diu latuerat, a te ſumpſi illnd, & ſumma cura, quae in eo a vulgari lectione diſcrepabant, notaui: ex qoo tempore cum eam iam, quae a me capi poterat, vtilitatem ab eo accepiſſem, & non nihil quoque illud ſuae dignitatis ac nomiois per me recepiſſet, citò priſtinam fortunam recuperanit: in manns enim clariſſimorum & doctiſſimorum virorum, poſtquam a me exijt, peruenit: Cum igitur a te ortum ſit huius mei laboris ioitinm, non vacare omnioo culpa mihi viſus eſſem, niſi paruo boc mnnere tibi grati animi memoriam oſtendiſſem: quare ſemper cogitaui ad te hunc libellum, quemadmodum nunc facio, mittere: quamuis (vt verum fatear) maiora fuerint ea, quae me ad boc impulerunt: cum enim a teneris (vt aiunt) vnguiculis, aetatibns noſtris non mulrum differentibus, iucundiſſima familiaritate coniuncti ioter nos fuerimus, oec vmquam noſtrae beoeuolentiae iter interruptum ſit, ſed cotidie potius aliquid acceſſerit ad amorem, numquam ego excellens ingenium tuum, incredibilem doctrinam, ſuauiſſimos mores, ſingnlarem probitatem admirari & amare deſtiterim, cur non debui primos tibi ingenij mei fructus largiri? ſimulque cum noſtra amicitia ciuibus noſtris notiſſima, & (vt ſpero) probatiſsima ſit, quantum per me fieri poteſt, eniti, vt externis etiam gentibus non incognita eſſet. Quod ſi multi opibus potentiaque illuſtres perſonas quaerunt, qoibus labores ſuos commendent, rectius ego eſſe putaui, eum, cum qoo familiariſſime viuo, cnnctis animi & ingenij muneribus clarum non praeterire, & cui fortuna potius defuiſſe videatur ad praeclaras & honeſtas res gerendas, quàm aut ea, quae ipſi ſibi ſnmmo ſtndio & diligentia homines ad landem & gloriam nati parare ſolent, aut illis a natora, vt ampliſsimi viri euadant, tribui. Accipies igitur hoc, qualecunqoe eſt, laeto animo munnſculum, & quae ingenij tui monimenta expectaotur, ne patiare, diutius ea ingenuis artibus deditos deſiderare. Vale.

PETRVS VICTORIVS Nicolao Ardinghello. S.

SI, cum tu nobiſcum adhuc in patria viueres Ardinghelle ſuauiſſime, nec ego ſuſpicarer fore, vt aliquò diu a nobis afuturus his temporibus proficiſcerere, neminem potiorem habui, cui duas partes librorum Ciceronis, quae tunc editae ſunt, mitterem, quanto magis nunc debeo tertiam hanc, quae prima habetur: tertio autem loco, non ſeruato ordine, formis excuſa eſt, nomini tuo dicare? cum enim hic eſſes, mihi ſemper licebat aliquam partem diei tecum familiariſſimo ſermone conſumere, ac de communibus litteris ſtudijſque meis aliquid conferre: Nunc autem, cum hoc ſublatum ſit, nihilque aliud reſtet, quo deſiderium tui leniam, niſi ſaepius ad te ſcribere, cur non hoc crebrò & quacunque occaſione orta, faciam? Sic enim & multum de te cogito, quo nihil mihi, cum a te abſum, accidere iucundius poteſt, & amantiſſimas prudentiſsimaſque litteras tuas elicio, quae & me valde delectant, &, cum opus eſt conſilio, iuuant: Ac conſilium quidem tuum in vrbem migrandi laudo, non poſſum tamen non dolere, quod iucundiſsima tua conſuetudine careo: cum enim Roma omnium, qui aut ingenio, aut doctrina, aut aliqua excellenti virtute commendantur, commune domicilium ſit, ſacerdotum tamen propria & quaſi germana patria exiſtimanda eſt, eamque praecipuè ſedem habere debent, quicunque veſtrae nationis vitae integritate, & laudatiſsimis ſtudijs praediti ſunt: non negarim iſtuc etiam morum ac temporum vitio plurimos confluere, qui prauis artibus inſtructi ſint, & hos quoque non in poſtremis ſaepe haberi; verumtamen non adeo haec virtuti ſaecula inimica ſunt, vt non videamus etiam Romae probitati, innocentiae, ſapientiae locum eſſe: nam & ſanctiſsimos, & ſapientiſsimos viros ſponte ſua aduentantes illa comiter excipit, atque aliunde etiam praemijs, & honoribus ad ſe allicit: quantoque magis antiqua inſtitutio, & diſciplina diſſoluitur, tanto magis debent, qui hoc facere poſſunt, & quorum maxime intereſt, labentem, & iam ruentem molem ſuis humeris ſuſtinere, ac tegere, atque iſtic praecipue operam ſuam nauare, vbi Chriſtianae reip. ſedes collocata eſt: nam illi, quorum ingenium in foro, & curia elucere poteſt, quem locum induſtriae ſuae exercendae aptiorem, aut clariorem habeant, quàm eum, quo vndique ex omnibus regionibus, quae Chriſti legibus parent, cauſae deferuntur, & vbi ampla iudicia exercentur, aut vnde ſuorum laborum maiora praemia expectare poſſunt? nullo enim tempore veſtri ordinis hominibus, in quibus optimae artes, & praeclara ſtudia apparuerint, altiſsimi honorum gradus, & ampliſsimae dignitates defuerunt. Recte igitur & tu feciſti, qui maximis tuis laboribus acquiſitas ſcientias & artes in iſta potiſsimum luce explicare volueris, atque ea ratione viam tibi ad laudem & gloriam aperire cogitaris, qua optimum quemque & ſtudioſiſsimum iuuenem vti decet, & qua ſi plures vterentur, commodius profecto nobiſcum ageretur, meliuſque Chriſtiano nomini conſuleretur: neque enim locus eſſet nequiſsimis quibuſdam atque improbiſsimis hominibus, qui languentibus ſtudijs iuuentutis, per facinora, ac ſcelera ad honores obrepunt, eoſque ſtatim vitae ſuae turpitudine commaculant; quae res non paruam quoque inurit ſanctiſſimae atque optimae religioni infamiam. Quod autem mihi in hoc tuo conſilio maxima laude dignum videtur, de eo ſilere non poſſum, quod cum ſatis amplas fortunas haberes, vt poſſes domi copioſè ac lautè viuere, non ea te res tenuit, quo minus ad laudem & decus, poſthabitis omnibus commodis, tenderes, anteponereſque ſolicitam & laborioſam vitam tranquillae & otioſae: multos enim cognoui acutiſſimis ingenijs praeditos, optimiſque artibus a pueritia inſtitutos, quibus rei familiaris copia obfuerit, ſiquidem deliniti, captique illecebris voluptatum, quas nimia rerum abundantia procreat, cum conficere curſum, quem ingreſſi erant, ſuo ipſi vitio non potuerunt: neque enim tu, quòd dignitatem tuam patrimonij anguſtijs tueri non poſſes, honeſteque inter aequales verſari, ad parandas tibi tua induſtria & labore opes exire coactus es: nam quemadmodum natura copioſe tibi & ample cuncta ſua bona largita eſt, ita etiam fortuna tecum valde benigne ſe geſſit: Iſtuc vero cum veniſti (nulla autem res actioque tua nobis ignota & obſcura eſſe poteſt) ſubito omnium oculi in te cõuerſi ſunt: nec enim illis penitus tuae virtutes inauditae erant, & vigebat adhuc apud eos patris tui nobiliſſimi ac prudentiſſimi viri memoria, qui Leoni X. vere Maximo Pontifici, ita gratus & probatus extitit, vt ſemper in maximis rebus ipſius iudicio ac ſapientia ille vteretur, atque ei omnia ſua arcana conſilia crederet,

deret, ac denique cuncta maiora negotia procuranda daret: ſed tamen cito, quod difficillimum eſt, expectationem, quae de te incredibilis excitata erat, ſuperaſti, ac, quod paucis, qui Romam accedunt, contingere ſolet, vt maior fama euaderes, conſecutus es: nam & liberalium ſtudiorum cultores, maiorem eſſe in te bonarum ingenuarum litterarum doctrinam, quàm numquam exiſtimaſſent, experti ſunt, & qui te olim iuris ac legum cognitioni operam dediſſe non ignorarent, quantum in eo ſtudio profeceris, facile animaduerterunt, atque omnes tandem vno conſenſu neminem multis annis, tot tantiſque naturae bonis cumulatum, tamque praeclaris artibus inſtructum & ornatum Romam veniſſe, pronuntiauerunt. Fruere igitur iſtic Ardinghelle optime, tuis egregijs animi, & ingenij dotibus, ac gaude his ampliſſimis de te hominum iudicijs: ego autem domi arctioribus vinculis detentus, quàm honeſtiſſime potuero, hoc otium, quo nunc abundo, traducam, &, cum maiora adhuc nequeam, ſaepe te, (cuius cogitatione ſolum recreor) litteris meis compellabo. Quod ſi recte duo illa volumina ad te miſi, quod aptiſſime & appoſitiſſime mihi videor feciſſe: nam & mirum quoddam ſcribendarum epiſtolarum artificium tenes, ac Ciceronem maxime in eo genere imitaris, & exprimis, nec non philoſophiae ſtudijs a prima aetate ſemper deditus fuiſti, & in omni doctrinarum exercitatione verſatus: multo rectius hoc ad te mitto, in quo cuncta eloquentiae praecepta non ſine maxima eloquentiae vi explicata & tradita continentur: hoc enim tuorum laborum curriculum futurum eſt, haec ingenij tui in iſta vrbe palaeſtra: Magna autem pars eruditorum libenter hos de arte dicendi libros in manus ſumit; quòd eorum lectione mirifice delectetur: tanto enim lepore, tantaque elegantia ſcripti ſunt, vt nullus in eis ſeu verborum, ſeu ſententiarum ornatus deſideretur: praecepta autem aut non valde curant, aut ſi in eis quoque attentius commorentur ad pernoſcendam potius vim naturamque orationum Ciceronis ſibi illa ſeponant, aut ſiquando accidat, ad fictam aliquam orationem, quam ſummo otio ſcribant, ornamentis quibuſdam illuſtrandam, quàm quod ipſis extra ſua vmbracula vſuri ſint; tu verò & in ſolem proceſſurus, & tamquam in acie manus cum aduerſario ſaepe collaturus; quomodo igitur ad te id non maxime pertinet? Frigent quidem hodie pluribus locis ſtudia dicendi, ſiue omnis potius eloquentia muta eſt; nam antiqua ratio iudiciorum paenè amiſſa: ſcriptis enim auctoritatibus quibuſdam clarorum iuriſconſultorum, prolatiſque priuatas cauſas tuentur: ſed non ſolum ex foro, verum etiam ex curia ſenatuque ferè cunctis deletis rebus publicis, omne eloquentiae munus ſublatum eſt; Iſtic vero priſci in hoc moris, vt in multis etiam praeclaris rebus non parua veſtigia remanent: namque & eloquentiae ſuus tribuitur honos, & paruae magnaeque cauſae voce diſertorum, atque eloquentium virorum defenduntur: Vbi igitur potius, quàm Romae, Romanae eloquentiae pater in cotidiano vſu verſari debet? qua in vrbe maxima cum ingenij gloria floruit, & in qua ſimulachrum adhuc eſt, & quaſi vmbra quaedam illius eloquentiae, quam ipſe plurimis ornamentis expoliuerat atque perfecerat, aut cui magis quàm tibi, tuique ſimilibus, qui eam retinetis, ac cotidie in diſcrimen adducitis, Cicero amandus, atque eius ars ſemper in manibus eſt habenda? nam & ille, quae alios docere inſtituit, non ex Graecorum rhetorum libris corrogauit, ſed longo vſu, ac cotidiana in cauſis exercitatione perdidicit atque probauit: Nam multum ipſa valere, magnamque vim ad animos eorum, qui audiunt, permouendos perſuadendoſque habere, documento eſſe poſſunt ea, quae a Cicerone in dicendo admirabiliter effecta ſunt, quae & multa traduntur, & ab omnibus celebrantur. Quem enim potius aliquis in omni ſcientia & arte doctorem ac magiſtrum habere velit, quàm eum, qui ſe egregium quoddam eius rei artificium tenere, agendo, atque experiendo ſaepius declarauerit? De laudibus vero eloquentiae nihil eſt, quod agam: nam ſi eam laudare oportet, a praeſtantiſſimis ingenijs accurate commendata eſt, & in caelum ſummis laudibus elata: ſi autem non oportet, cur velim me nunc oſtentare, omnia ambitioſe argumenta colligendo, probationeſque adferendo in re perſpicua & confeſſa, vt incerta & obſcura, confirmanda? Quare hanc partem omittam, &, ne te longius detineam, finem dicendi faciam.

PETRVS VICTORIVS
Antonio Florebello. S.

ACCEPI ad VIII. Kal. Iul. epiſtolam tuam amoris & humanitatis plenam, eaque mirabiliter multis de cauſis delectatus ſum: non poſſum tameu negare, cumulari me maximo gaudio, quod labores, & vigilias meas tantopere a te probari, & laudari video: quid enim mihi gratius iucundiuſque accidere poteſt, quam nugas illas (ſic enim verius appellandae ſunt) a te non ſolum non contemni, & negligi; verum etiam celebrari, & ſummis laudibus extolli? ſcio equidem ſolere multos ſtudia, ſcriptaque amicorum promptius, atque vberius, quam veritas poſtulet, laudare, neque id tamen prauo animo, aut callido aliquo conſilio facere, ſed aut naturae bonitate, inductos, aut quod ita ſe putant illis animum addere, alacrioreſque ad alia conanda efficere. Quid igitur ſuſpicer, te in hoc genere hominum eſſe? non malo ſanè, neque inuido: an potius te diligenter acuteque perſpecta, ita ſentire, & loqui. hoc melius eſt, ac meae quidem certe laudi accommodatius: cur enim facilè credam, te falli poſſe ſummi ingenij, atque optimi iudicij iuuenem in ea praecipuè re, quam egregiè calles, & in qua tantum profeciſti, vt iſtius aetatis parem habeas neminem: maioris autem, aut nullos, aut certè paucos: nam vt mentiri mea cauſa volueris, quo me ad aliquid malus temptandum excitares, nullo modo adduci poſſum, vt credam: Quid enim a me expectari grauius poteſt, quem pro ingenij mei infirmitate, & propter negotiorum familiarium occupationes, haec quamuis parua, & tenuia praeſtare potuiſſe mirum eſt. Aut quid minus ab his, qui te nouerunt, a ſe oriri poſſe exiſtimandum: qui, quo es pudore, & morum probitate, ne ſumma quidem vtilitate propoſita, a vero tantulum deflectere poſſis. Sic igitur faciam, teque optima fide mecum egiſſe exiſtimabo, ac non ſolum mihi ipſi perſuadebo, ita eſſe, vt ſcribis, quod aliquid opis, vtilitatiſque libris M. Tullij attulerim, ſed etiam ceteris, huius epiſtolae tuae teſtimonio, qua de meo illo ſtudio praeclarum iudicium feciſti, me non omnem operam luſiſſe, probare conabor: quo magis etiam tibi obligatus ſum, qui mihi laborum meorum vſque iſtinc tamquam laudationem miſeris: cuius auctoritate, & ſplendore poſſem leuia mea haec ſtudia confirmare, atque in honorem adducere. Nihil autem me aliud ad id negotium impuliſſe, niſi incredibilem quandam cupiditatem ſtudioſos Ciceronis adiuuandi, compertum vnicuique eſſe debet: ea autem tanta fortaſſe fuit, vt me mearum virium obliuiſci faceret; maluſque onus ſuſcipere, quam mei humeri ferre valerent. Sed quoniam tu ita vis, bona ſpe ſimus. Vnum tantum velim (idque ex animo peto, atque oro) reliquos, qui elegantiſſimis M. Tullij ſcriptis delectantur, aliquid operae laboriſque in illis perpurgandis ponere: dedecus enim eſt, profectò dedecus omnium ſtudioſorum, in libris illis vllam maculam reperiri, quos ſemper in manibus habent, & ex quibus omnem ſermonis nitorem, verborumque elegantiam mutuantur: multa autem ſunt menda, quae facilius a pleriſque indicari poſſunt, quam tolli; ſed quod vni non conceditur, alij datum eſt, ac nulla prorſus errata ſubterfugere poſſent tantam doctorum, & ingenioſorum hominum in hanc rem conſpirationem: quod ſi hoc factum fuerit, quamuis ſine laudis meae detrimento eſſe non poſſit, ſiquam in hoc negotio meruimus (illi enim & plura, & meliora facile adferent) tamen incredibili laetitia afficiar: antiquum namque illud meum conſilium ſic adiuuabitur, atque exitum reperiet, quòd ego ſolus ad finem perducere non potui: atque id, quod tantopere expetiui, & in quo tantum laboraui, perficietur. Cur autem me pudeat auxilia aliorum in difficili, atque honeſta re implorare? cum ipſe nihil ceſſauerim, neque vllum laborem recuſauerim. atque etiam profitear, quicquid potero, in reliquum tempus me libenter, ac ſtudiosè eſſe facturum. Sed de hac re nimis iam a nobis diſputatum eſt: Amicitia autem noſtra, cuius retinendae te cupidum eſſe oſtendis (vt ſpero) perpetua erit, multum ſanè ad eam confirmandam valuit haec tua elegantiſſima, atque humaniſſima epiſtola, non quòd, ego ingenij candoris, modeſtiae, & humanitatis tuae memoriam depoſuiſſem, quam ſemper, vt debeo, conſeruabo, ac ſanctiſſimè colam: ſed quia, poſtquam te mihi in amore reſpondere perſpexi: tantopereque laudi, atque honori meo ſtudere ſenſi, mirificè aucta eſt egregia illa mea erga te voluntas, ac beneuolentia, & ſimul ſpero fore, vt quandoque praeſentes illam tueri, ac celebrare poſſimus, quam vix dum inſtitutam iniquitas temporum, magno cum meo dolore interrupit.

Rainerio Deio non potui tuo nomine ſalutem dicere: abeſt enim ille Lugduni, qua in vrbe ampla, & honeſta negotia gerit: ſiqua alia in re tibi opera mea vtilis eſſe poteſt, gratiſſimum mihi facies, ſi ea, ad omnia tua commoda vtere: Vale mi optime, ac ſuauiſſime Antoni: Dat. III. Non. Iul. CIↃ IↃ XXXVII.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Antonio Cantelmo. S.

CVM Martellum noſtrum antea propter eius excellens ingenium ac ſuauiſſimos mores plurimum diligerem, nunc, poſteaquam is ſua de me iſtic praedicatione fecit, vt tu tam humaniter ad me ſcriberes, non poſſum non fateri, me valde illi obligatum eſſe, eumque hoc vno nomine omnia ſua priſtina erga me officia viciſſe: quid enim mihi gratius, ac iucundius eſſe poteſt, quam ſcire, me à ſuauiſſimo ac probatiſſimo adoleſcente amari? quid honorificentius atque ad omnem laudem illuſtrius? quam amicitiam meam expetitam eſſe ab eo, qui omnes animi impetus ad gloriam direxerit, quique ſummo loco natus ſtudeat generis nobilitatem ingenij claritate ſuperare? Cum igitur magnam ob hanc rem voluptatem ceperim, huius mei gaudij non paruam partem Martello ipſi debeo, ſemperque debere prae me feram: maximam vero tibi, ac naturae tuae bonitati, meritis certe meis nullam: quis enim ego ſum, quidve vmquam feci; quare tantopere a te debeam laudari? ſtudium tamen meum atque egregia quaedam in ea re voluntas commendari poteſt ab ijs, qui grato animo labores pro communi vtilitate ſuſceptos ſpectare volunt. & ſane ego, ſi mihi hoc contigerit, non malè mecum actum arbitrabor: nam quam parum in eo negotio progreſſus ſim, me minimè fallit; ſed de hoc ſatis. Animi autem tui iſta erga me propenſio, ingenijque tanta benignitas incredibiliter me delectauit, cupioque, ſaluis tuis rebus, aliquam mihi occaſionem dari, qua tibi oſtendam, me ita humanitate tua atque ingenij elegantia captum eſſe, vt nihil tam arduum ac difficile ſit; quod non ſtudio atque amore in te ſingulari conficere facile poſſim, nunc quum aliud nihil queam, te ad ſtudia bonarum artium hortarer, niſi intelligerem, te ita optimis litteris deditum, vt maximam de te expectationem concitaris; cui vt reſpondere poſſis (quod ſane difficile eſt) te omni ſtudio ac diligentia audio laborare. Illud affirmare vere poſſum, quantum ex eleganti ac ſuaui epiſtola tua coniicere valui, te tantum iam in humanioribus litteris profeciſſe, vt paucos pares, ſeu nullos potius iſtius aetatis habeas. Quod ſi in tam praeclaris ſtudijs permanſeris; iſta ingenij vi, iſto animi ardore, iſta omnium rerum copia, te facile in altiſſimum locum peruenturum confido, ac tibi ipſi magnam voluptatem atque egregiam laudem acquiſiturum: patriae vero atque illuſtri familiae tuae decus ac gloriam immortalem. Val. XII. Kal. Mart. Florent. CIↃ IↃ. XXXVII.

PETRVS VICTORIVS
Paulo Magnolo. S.

ACCEPI ſuperioribus menſibus humaniſſimas & elegantiſſimas litteras tuas, cumque ijs ſuauiſſimum munus libelli Ciceronis a te editi, & caſtigati, quae omnia me mirificè delectarunt; in primiſque egregius iſte tuus in me animus mihi cariſſimus fuit, magnopereque humanitatem tuam ſingularemque animi bonitatem amplexatus ſum; qui ad me, hominem tibi ignotum tam amanter ſcriberes, tam cupideque amicitiam meam expeteres doctiſſimus vir, & cuius familiaritas, conſuetudoque ab omni prudenti, ac litterato viro, omni ſtudio, ac diligentia quaerenda & colenda eſſet, addideris inſuper nobiliſſimum munus, & quo mihi nullum carius eſſet. Quid enim ad me a quopiam mitti poterat; quod tantopere me delectaret, quam labores, vigiliaeque doctiſſimi & diligentiſſimi viri in eum ſcriptorem, quem praecipue ego ſemper admiratus ſum, ac ſtudiosè legi? Quare ego tunc, vt maxime delectatus ſum tam praeclaro tuo erga me ſtudio, tantoque amore, ac beneuolentia, ita valde animo meo perturbatus, cum nullam rationem viderem, aut reperire omnino poſſem, cum ſaepe de hoc mecum ipſe cogitaſſem,

gitaſſem, qua tam egregiae iſti tuae erga me voluntati, & animi propenſioni reſponderem. Quare diu anceps, & anxius, quo pacto me in hoc negotio gererem, quomodoque ex hac naxa exirem, tandem paucis poſt diebus calamum ſumpſi, verbiſque magnas gratias tibi egi, maiores etiam, ſi aliqua mihi occaſio daretur, tibi relaturus, & quam maxime facere potui, conatus ſum tibi declarare, quantopere me incredibili iſto tuo amore, & liberalitate cepiſſes. Ac vide, quam aduerſa fortuna in hac re vſus ſim. Faſciculus ille, in quem tuas conieceram, negligentia eius, cui ferendas dederam, perijt, nec vmquam in manus eius, cui inſcripſeram deuenit: eram enim tum ruri: intellexi id autem non multo poſt, cum in vrbem redijſſem. Grauiter omnino id tuli, praecipueque dolui, litteras ad te ſcriptas perijſſe; maleque verbis accepi eum, qui id commiſerat. Ne tamen ſtatim huic incommodo mederer ipſe, quod meum erat, cauſa fuit, quod onus mihi impoſitum eſt non mearum virium, quemadmodum puto, te audiſſe: iſtuc enim omnia adferuntur, idque ego facere coactus ſum, & conſilijs amicorum, & ſuaſionibus eorum, qui vim adferre poſſunt, ad quod numquam antea induci poteram. Et quod, ſi mihi Deus aliquis dixiſſet, vix crediidiſſem, tantopere ab ea re cogitatione, & animo abhorrebam: Fuit igitur mihi, quemadmodum accidit, vt puto, omnibus in omni re noua tractanda, vehementer laborandum. Quare non potui, quemadmodum cupiebam propter infinitas occupationes ad te ſcribere, & hoc meum aes alienum diſſoluere. Nunc autem, cum alias tuas accepiſſem, non putaui, vlterius eſſe procraſtinandum; ne mea culpa committerem, vt aut ſuperbus, aut ingratus viderer; quorum criminum vnum a me longè abeſt; alterum etiam, dabo operam, quantum efficere potero, ne mihi haereat. Tantam eſſe tuam humanitatem ex tuis litteris perſpexi, tantamque eſſe naturae tuae probitatem a pluribus ciuibus meis, qui iſtic ſtudiorum cauſa, egerunt, audiui: vt putem, te, rem ita ſe habere, quemadmodum tibi narraui, facilè crediturum: quare non vltra ignauiam, negligentiamque in reſcribendo meam excuſabo: Nam etiam ſuperioribus diebus, Vgolino Martello optimo, & nobiliſſimo adoleſcenti hanc curam iniunxi, vt me apud te diligentiſſime excuſaret, quod puto illum feciſſe: eſt enim officioſiſſimus, & me ſemper, ſtudiaque mea amantiſſime obſeruauit. Quod vnum reſtat, (puto enim te vidiſſe ex his, quae primis litteris me ad te ſcripſiſſe ſupra teſtatus ſum; quantopere ſim tuus, & quam iucundum mihi munus tuum fuerit, quamque valde cupiam rem tibi gratam facere) vigiliae tuae, & obſeruationes iſtae eruditiſſimae in optimum auctorem valde mihi probantur, teque infinitis tuis laboribus egregiam operam nauaſſe iudico, nec vllam maiorem vtilitatem adferri poſſe litterarum ſtudioſis exiſtimo, quam fiat ex iſto genere ſtudiorum, ſiqnis ſcilicet Latina ſcripta cum Graecis conferat, maximeque cum aliquis oſtendit, a quibus Graecis auctoribus, Cicero multas ſententias acceperit, locaque illa indicauerit: quod tamen eſt & doctiſſimi, & accuratiſſimi viri opus, & maximi otij, & paucos omnino eſſe arbitror, qui id praeſtare poſſint; hoc autem meum ſemper iudicium de hac re fuiſſe ſcire poteſt, qui libellum meum quandoque in manus ceperit: nam ibi non nulla ſemina huius generis ſtudiorum reperietit, neceſſe eſt, breuiter tamen hanc rem tunc, & quaſi praetereuntes tractauimus, & ſemper, vt arbitror, cum excuſatione: alia enim erat ratio illius inſtituti mei, & laboris. Magnum igitur auxilium attuliſti omnibus, qui Ciceronis ſcripta non negligenter legunt, & mea quidem ſententia magna laude, & honore dignus es: ipſe quidem me tibi debere fateor, hortorque, vt in iſto ſtudiorum genere permaneas: nam & eruditioni tuae conſules, & magnum ſplendorem, & auctoritatem adferes Ciceronis ſcriptis, docens a praeſtantiſſimis, ac diuiniſſimis auctoribus omnia illum accepiſſe, quae de philoſophia, ac grauiſſimis rebus locutus eſt. De re tua cum P. Turriano locutus ſum, eaque mihi erit curae, ac diligentius omnino tractabitur, quam adhuc factum ſit. Gratum autem mihi facies, ſi omnia tua negotia minima, maxima mihi impoſueris, & in nulla re, aut labori, aut dignitati meae peperceris: nihil enim eſt, quod non tua cauſa libenter facturus ſim: me autem in reliquum diligentiorem fore in reſcribendo, ſignificare, & tamquam ſpondere pro me tibi poteſt huius epiſtolae longitudo. Vale, & me ama, poſtquam tu ita voluiſti, & tibi perſuade, me tibi eſſe amiciſſimum.

PETRVS

PETRVS VICTORIVS
M. Antonio Antimacho. S.

ACCEPI epiſtolam tuam, qua mihi diligenter commendas Albericum Longum, ac teſtimonio tuo vehementer ipſum ornas, cum praeclarae cuiuſdam eruditionis nomine, tum ſingularis morum probitatis: quaecunque autem tu magnifice de illo polliceris, ea omnia ſtatim ille aduentu ſuo confirmauit: certa enim ſubito nobis indicia dedit diligentiae, qua vſus foret in ſtudijs optimarum artium; vultus praeterea hominis atque oratio prae ſe fert integritatem vitae ac morum facilitatem: quare erit ille mihi, & ſua virtute, & tua commendatione vehementer carus, & quibuſcunque rebus fieri poterit, acriore quodam ſtudio a me adiuuabitur: ſpero autem, me aliquando ita commodis ipſius, ſtudijſque conſulturum, vt non diſpliceat ei conſilium, quod huc commigrarit. Tibi vero eſt, quod gratias plurimas agam, pro egregio iſto tuo in me animo, & tot tantiſque laudibus in me amantiſſime congeſtis, perpetuiſque monimentis ingenij tui mandatis. Vellem autem par eſſe meritis iſtis tuis remunerandis, quod cum facile praeſtare non poſſim, in amore ſaltem me vinci non patiar, mutuamque voluntatem tibi ſemper tribuam, nec tamen non ſi quampiam aliquando huius rei occaſionem nactus fuero, partem aliquam beneficij iſtius maximi in animo meo compenſabo. Tu vale, exploratumque habeas, omnibus in rebus tuas apud me litteras magnum pondus habituras. Florent. III. Id. April. CIↃ IↃ XL.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Campano. S.

HVIVSMODI eſt ſtudium illud, cui nos quattuor ab hinc annos operam dedimus, Franciſce Campane, vt finem nullum habeat, nec vnquam ad certum aliquem terminum perduci poſſit. Et ſi id antea non ignorabam, multo tamen certius cognoui, ſtatim vt libri ipſi è manibus exierunt. Animaduerti enim quaedam à me relicta eſſe, quae ſi adnotaſſem, non ingrata ſtudioſis fuiſſent. Hoc autem facilius ſcire potui, quia ipſe perſpexi deſideria plurimorum; nec non quia ad me multae multorum voces ab amicis ſcriptae ſunt: qui, quamuis labores meos non inutiles putarent, hoc tamen, aut illud adiungi voluiſſent. Cum enim in primis laboraſſem, vt, quae a me immutata fuerant, conſtituerem: non pauci voluiſſent etiam obſcuriores aliquos locos illuſtrari, quamuis ſcripturae immutatio nulla facta eſſet. Statui igitur horum ſtudio quantum poſſem, ac cum primum poſſem, ſatisfacere: maximè cum ex aſſidua Ciceronis lectione cognoſſem, non ſine cauſa id a me poſtulari. Quamuis autem mihi hoc perficiendi, totumque praeſtandi, facultatem deeſſe pulchrè intelligerem: ſi tamen huic rei diligenter ſtuduiſſem, ſperaui me, ſi non deſideria illorum extinguere, ſaltem lenire, & aliquantulum mitigare poſſe. Huic igitur ſtudio intentus, ſeponebam cotidie aliquid, & eodem tempore omnibus Ciceronis libris opem aliquam adferebam: non enim vni, aut alteri tantum operi addictus eram, & in eo totas cogitationes meas conſumebam, intelligebamque quanto diutius in hoc inſtituto meo perſeueraſſem, tanto plura, ac meliora a me inuentum iri. Verùm cum ſemper in omni mea vita ſtatuerim, aliorum potius amicorum, ac prudentium hominum de me iudicijs, quàm meis ſtare: cum ſaepe ab amicis poſceret, vt quae ad eam diem animaduertiſſem, peruulgarem: non potui diutius hanc ipſorum flagitationes ſuſtinere, decreuique cupiditati eorum morem gerere. Nactus autem tempus a cotidianis meis laboribus vacuum, quo etiam ab illis magis premebar, & ad hoc nunc agendum impellebar, accuratè Epiſtolas Ciceronis relegi: & quaecunque iam in illis adnotatam, & nonnulla quoque, quae nunc mihi ſuccurrerunt, collegi, ex iiſque paruum quoddam volumen confeci. Additus etiam eſt labor, nonnulla, quae olim a me animaduerſa erant, confirmandi: quae res maius volumen ipſum effecit: nam ad me perlatus eſt liber, nuper Venetijs impreſſus, Epiſtolarum, quas familiares vocant: in quo ſcholia quaedam ſunt doctorum, & ingenioſorum virorum; quorum nonnulla contra me, ac iu-

dicium

dicium meum ſtudioſè facta videntur. Commodum igitur viſum eſt, de illis rebus, in quibus reprehendebar, iterum diſſerere. Non minus enim vtile eſſe puto, vetera confirmare, quàm noua contexere. Non quò ſententiam meam, ſi forte falſa eſt, tueri, ac pertinaciter defendere velim: (numquam enim hoc ſciens faciam: nam quamuis rebus meis, quemadmodum natura cogit, amicus ſim: magis tamen veritatem ipſam amo) ſed ne forte, ſiquando obſcurior, aut breuior in illis explicandis, quàm oportebat, fui, culpa ingenij mei vera ac bona cauſa periret, eodèmque tempore de opinionibus, ac iudicijs aliorum diſputaui, quemadmodum mihi viſus ſum, modeſtè, ac temperanter: numquam enim alicuius iniuria naturam, conſuetudinemque meam obliuiſcar. Eruditi nunc, ac ſapientes viri, quid rectum ſit, videbunt: quibus ego, quemadmodum aequum eſt, totam rem permitto: & a quorum iudicio, auctoritateque numquam declinabo. Quòd ſi potuiſſem vllo pacto ſine exiſtimationis meae iactura, aut quod maius eſt, ſine optimi ſcriptoris detrimento opiniones nonnullorum tacitus praeterire, libenter feciſſem, ne viderer ex aliorum erratis laudem mihi velle comparare, aut concertandi cupiditate teneri, a qua re natura mirificè abhorreo: quod prioribus meis ſcriptis, & plurimorum clarorum, ac prudentium virorum, qui me bene cognitum habent, teſtimonio cognoſci poteſt. Quemadmodum autem nunc in Epiſtolis Ciceronis laboraui, ac non pauca in illis animaduerti: ita cogito, atque id, Deo adiuuante, praeſtabo, reliqua eiuſdem ſcripta eodem ſtudio, atque diligentia perlegere: vt orationes etiam, de quibus olim nullas curas, ac cogitationes ſuſcepi, non relinquam: ſed quicquid in illis, aut ope vetuſtorum codicum, aut accurata ipſarum lectione animaduertero, omne perſcribam. Et, quamuis putem, alios doctos, & acutos viros, huic quoque ſtudio nauare operam: quod tamen a diligentia, & mediocri eruditione mea expectari poteſt, non patiar id magnopere deſiderari. Sed haec erunt, cum per moleſtas occupationes licebit: è quibus tamen quodcunque vacuum tempus eripere potero, perire non patiar. Statui enim omne reliquum tempus aetatis meae, quod curſu ſanè naturae non paruum eſt, nec culpa, aut vitio meo minus, aut deterius fiet, in communibus vtilitatibus collocare: vt quandoque etiam maiora, grauioraque, quàm haec ſunt, in manus eruditorum meo ſtudio, ac diligentia elaborata ventura ſperem. Sed haec etiam, vt antea diximus, aliàs erunt. Nunc autem huius mei laboris, qui paenè abſolutus eſt, primam partem, Campane, ad te mitto, & eo potiſſimum ad te mitto; quia tu praecipuè me ad hoc nunc agendum incitaſti, affirmans non eſſe has illius generis litteras, quae diu multumque in manibus haberi, ac premi debeant: nec etiam me impediri dixeris, ſiquid poſtea, quod lucem aliquam Ciceronis ſcriptis adferat in mentem venerit, quin tertiò, & quartò quoque idem opus aggredi poſſim; praeſertim cum paucis diebus, quicquid eſt, quod in his rebus fieri poſſit, abſoluatur. Quemadmodum igitur tuam in primis auctoritatem ſecutus, hoc aggreſſus ſum: ita nunc ad eandem tuam auctoritatem confugio, ac volo hoc, quicquid eſt libelli, tuo nomine commendari, ſi tu edendum id ſtatueris: nam de hoc quoque a tè deliberari volo. Poſtquàm enim ego impoſitum a te mihi hoc onus non recuſaui, ita nunc tu hoc non parum oneris, ac moleſtiarum, imponi tibi a me aequo animo patiere: & vt meus in his colligendis, & explicandis labor fuit, ita nunc tuus erit in ſtatuendo, quid illis faciendum ſit. Quòd ſi tu hanc curam ſuſcipere volueris, quemadmodum cupio, & opto: confido, te id conſilij capturum eſſe, quod mihi ſemper, ac tibi honeſtum futurum ſit. (nam tua quoque in hoc negotio non mediocris res agitur) Cognoui enim aciem ingenij tui; & quum alijs omnibus in rebus libenter iudicium tuum ſequar, in hac ne digitum quidem ab ea diſcedere, rectum eſſe non putarem. Scio enim in hoc litterarum genere quantum valeas, & quantam etiam laudem apud omnes meritò conſecutus ſis, qui doctiſſimos, & acutiſſimos viros imitatus, multas ſubtiles, & eruditas quaeſtiones in Virgilij poema confeceris: & non pauciora, quàm Graeci homines in ſuo poëta fecerant, quem omnibus ingenij viribus ornarunt, in Latino, qui turpiter paenè ab omnibus deſtitutus erat, adnotaris. In eodem igitur ſtadio, ſed maiore cum laude verſatus, quid de meis his nugis faciendum ſit, tecum ipſe deliberabis. Et vt accuratius de tota re tecum ipſe quaeras, cogita illas tibi quemadmodum diuulgandas, ita etiam defendendas eſſe. Quòd ſi tanta praelia pro me aut ſubire non vis, aut ſuſtinere te non poſſe putas, ſapientius facies, ac mihi quidem gratius, ſi aut eas ſupprimes, aut ne vmquam emanare poſſint, conſcindes, ignéue combures. Vale. VI. Id. Septemb. CIↃ IↃ XL.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Robertello. S.

ACCEPI litteras tuas amoris, doctrinaeque plenas, iudicio, quod de meis poſterioribus caſtigationlhus facis, valde laetor: eſt enim egregium, & cui nihil fetè ad laudem addi poſſit: magis laetarer, niſi intelligerem, fieri poſſe, vt tu, qui in alijs rebus non falleris, propter incredibilem amorem, quo me proſequeris, in hoc vno deciperere. Ingenij tui bonitatem plurimum amo, qui, quae ſentis, libere mecum loqueris: mihique conſilium das, vt me grauioribus ſtudijs dedam; uon quod haec omnino ſpernas, ſed quod operam, induſtriamque meam maioribus in rebus vtilem eſſe poſſe praedices, addaſque, ceteros quuque hoc a me expectare, & tamquam iure quodam poſtulare. Ego, quae de me excitata ſit opinio, neſcio: quicquid certe praeſtare poſſum, non patiar a me magnopere deſiderari. Dum tamen maturum tempus huius rei venit, quod in tam praeclaro ſcriptore laboro, non arbitror, me de ſtudioſis latini ſermonis male mereri. Hoc ſane ſtudium nullam, aut non magnam in ſe laudem nactum eſſe, niſi plane compertum haberem, teſtimonio tuo crederem, neque tamen hoc negotium gloria ductus ſuſcepi, atque exiſtimans, me huiuſcemodi litteris eximiam quandam laudem adepturum: ſed admirabili quodam deſiderio, quo teneor, optimi auctoris ſcripta, vetuſtate, & audacia imperitorum multis in locis inquinata, expurgandi. Volui igitur potius a Ciceronis ſtudioſis amari (qui multi ſunt, & cotidie plures fiunt) quam ſtuduerim ab illis magnopere laudari; quibus certe, ſi grati eſſe volent, labores hi mei cari eſſe debebunt, nec tamen tenuem hanc, exiguamque laudem, ſiqua ex hoc negotio proficiſcitur, contemno, quoniam maiorem nondum deguſtaui. Non facile igitur ab hoc ſtudio, cui addictus ſum, reuocari poſſum, neque vmquam illud deſeram: nec tamen omnes vigilias, omneſque cogitationes meas, quemadmodum tu facile exiſtimare potes, in hac vna re conſumo: nam habeo alia, quibus toto animo incumbo: ea autem breui abſolui non poſſunt, & cum edentur, fortaſſe doctis viris probabuntur, nec leuia, aut inania vllo pacto videbuntur. Haec autem exiguo tempore, & paruo labore fiunt. Vnum illud vellem, quod tu ad me ab hoc negotiu deterrendum excogitaſti, vt quiſpiam meliora nactus exemplaria, plures locos nullo ſuo labore illuſtraret, Deus faceret, vt autographa ipſa horum librorum inuenirentur: hoc enim pacto omnem mihi laudem eripi facile paterer. Alios huic ſtudio doctos ſane, & diligentes viros dare operam non me latet, qui non nulla etiam ope antiquorum codicum, & incredibili vi ingenij inuenerint; numquam tamen ſperaui, me, quicquid in libris Ciceronis peruerſum corruptumque ſit, correcturum; nec tam ſtultus, aut arrogans fui: cognoui enim ingenij mei mediocritatem, nec quempiam eſſe arbitror, quem nihil latere poſſit, non tamen, quod feci, paenitet; quum alij quippiam reſtituent, labore me leuari putabo, & hanc etiam ex induſtria ipſorum vtilitatem capiam, quod acumen eorum imitans, facilius, quae reſtant, maculas delere potero. Pauca iſta, quae ad me in epiſtola tua adnotata miſiſti libenter legi; non nulla probaui; cetera ex ingenio potius reſtituta cognoui, quam ex antiquis exemplaribus ſumpta: huiuſcemodi autem ratio libros corrigendi, quam periculoſa ſit, omnes iam nouerunt. Sed de his fortaſſe nimis. De altero illo Quintiliani loco, vel potius aenigmate nihil certi habeo. Locum Plutarchi, vbi mentio Clodiae Quadrantariae fit, arbitror mendoſum eſſe; κουαδρανταρίαν que legi debere: peccabant enim fere Graeci librarij in Romanis nominibus, quemadmodum contra Latini in Graecis. Verba Plutarchi non adpoſui, quia nota erant, & illuſtri quodam loco poſita neminem latere poterant. Accepi manuſcripta Ciceronis exemplaria, ſiquid inde erui poteſt, breui videbo, ſtatimque ad te remittam. Diligentiam tuam laudo, ſtudiumque hos meos labores adiuuandi: quae poſtea polliceris te miſſurum, cum illis vti volam, ad te ſcribam. Gratum mihi feciſti, quod domeſtica tua ſtudia nota mihi eſſe voluiſti. Quod Athenaeum Latinum facis, praeclarum opus, ſed arduum, operoſumque aggreſſus es; noui doctrinam, diligentiam tuam; Graecum quoque te non ſecus ac Latinum ſermonem tenere cognitum habeo, quae me valde deterrerent, ſunt plurima menda, quibus ille totus ſcatet, cui rei mederi ſi poſſem, libenter facerem; nullum tamen adhuc eius ſcriptoris librum manuſcriptum vidi, niſi in Medicea bibliotheca ſit, affirmo tibi, Florentiae non repetiri: inde autem libros promere non licet: diligenter tamen inquiram, an in ea ſtrue librorum lateat; non eſt enim,

quemad-

quemadmodum te ſcire arbitror, explicata adhuc nobilis illa bibliotheca: & ea ratione, qua tibi morem gerere potero, & egregiae iſti tuae voluntati opem ferre, libenter faciam. Franciſcus Vetius doctiſſimus ac ſanctiſſimus *vir* te plurimum diligit, & officio iſto tuo, quod me tuis verbis illi ſalutem dicere voluiſti, delectatus eſt. Vale. Kal. Febr. CIƆ IƆ XL.

PETRVS VICTORIVS Marcello Ceruino Card. S.

POST longum temporis ſpatium, Marcelle ampliſſime, reliquum tibi mei promiſſi perſoluo: neque tamen hoc ignauia, aut negligentia feci, ſed moleſtis occupationibus impeditus, rem, plus quam voluiſſem, differre coactus ſum. Nam animum meum, incredibileque ſatis tibi faciendi deſiderium, primis illis meis laboribus perſpicere potuiſti: paucis enim diebus toto animo in onus a te mihi impoſitum incumbens, ea confeci, quae me non inertem, neque immemorem mandatorum tuorum oſtendere potuerunt. Secuta poſtea ſunt tempora, quae me in negotio illo, quod declinare non potui, nouum atque inexercitatum ita perturbarunt, vt non dico rerum tuarum oblitus ſim, ſed veniam mihi te daturum ſperarim, ſi meo illi tempori inſeruiens, curam hanc aliquantulum diſtuliſſem. Idem etiam me hoc facilius a te impetraturum confiſus ſum, quod videbam, te eodem tempore in publicis maximis rebus occupatum, vt ſi haec ſtudia ex animo non abieciſſes, neceſſario te remiſſius illis nauare operam putarem. Nam ſubito fortuna auctus es, & in eum dignitatis gradum pro multis tuis meritis elatus, quo paucis aſpirare licet. Quae autem artes in tam illuſtri, excelſoque loco collocarunt, eaedem te in honeſtiſſimis negotijs ſemper occupatum poſtea tenuerunt, vt a nobis etiam diu afueris ad Carolum Caeſarem miſſus, apud eum perſonam Maximi Pontificis geſſeris. Mirari igitur non debes, ſi tot curis te implicatum videns, & paene tibi haec noſtra ſtudia dimiſſa ex animo putans, ijs meis litteris tibi obſtrepere nolui. Fateor enim, me in hac re aliquantulum deceptum eſſe: quamquam enim te verè, ex animoque diligere ſtudia litterarum ſciebam (quippe in quibus tantum profeceras, vt paucos pares haberes, quomodo illa non amare vnicè poteras?) tamen exiſtimabam, te magnitudine negotiorum abreptum, & condicionis etiam, vitaeque iſtius honeſtate compulſum, alijs nunc ſtudijs operam dare. Verum non multo poſt errorem meum cognoui, qui ex plurimorum ingenio te iudicaſſem: illi enim, cum altius aſcenderunt, ſaepe etiam artes illas, quae viam ipſis ad eos honores patefecerunt, obliuiſcuntur. Animaduerti, inquam, me de te, quem optime cognitum habere debebam, non vere exiſtimaſſe: atque hoc intelligere maxime potui, cum Romam reuerſus, ſtatim me huius aeris alieni, litteris tuis amantiſſime ſcriptis, admonuiſti: & quamuis magnum illae apud me pondus haberent, nec poſſem vllo pacto amplius ſalua fide creditorem ludificari; tamen eum mihi flagitatorem appoſuiſti, qui, quamuis multis de cauſis ſuauis, iucunduſque eſſe poterat, tamen quod ei mandaras, impigre, ſtrenueque procurabat. Cum enim Ioannes Caſa publicis de rebus huc a Pont. Max. miſſus eſſet, mandaſti ei, vt mecum accurate ageret, vt quam diligentiam olim in M. Varrone purgando adhibueram, eandem in Catone, quemadmodum pollicitus fueram, expoliendo adhiberem. Vix igitur domum ad eum acceſſeram, hominemque ſalutaueram, cum rem tuam ille agere coepit, & quantum tempus illud tulit, ac multitudo ciuium, quae ingens ad eum conuenerat, conceſſit, mandata tua executus eſt. Expectabatur enim cum ſumma omnium laetitia, qui ea, quae ab omnibus audiuerant de optimis moribus, eximia ingenij vi, ſumma omnium bonarum artium eruditione, videre cupiebant: antea enim, cum in patria non admodum vixerit, magis conſtanti omnium fama de praeclaris ipſius virtutibus delectati fuerant, quàm illo praeſente frui vmquam potuiſſent. Breui igitur tunc, pauciſque verbis rem expoſuit; nec tamen deſtitit, cum ſaepe ad eum (quemadmodum dignitas illius, ac noſtra vetus amicitia poſcebat) omni illo tempore, quo apud nos manſit, ventitarem, vrgere me, vt id conficerem, nec vllo pacto amplius procraſtinarem. Quare non multo poſt opus aggreſſus ſum, & ita me in eo ſedulo geſſi, vt rem totam maturè confecerim. Vt qui tamen vellem temporis tarditatem aliquo munere compenſare, veteres meos labores in M. Varronem retractare coepi, & accuratius, quomodo poſſem tibi plenè morem gerere, mecum diu cogitaui, ſtatuique tandem cunctos, qui de rebus ruſticis Latinè ſcripſerunt,

cum antiquis codicibus conferre, & quaecunque auxilio illorum emendaſſem, libello aliquo meo explicare: ita enim tu, quid de ſingulis locis ſentiam, aperte perſpicies, & alij etiam ex ſtudio meo, quod vt a te ortum, ita etiam tibi acceptum referri volo, fructum aliquem capient. Cognoui enim naturae tuae bonitatem, & mirifice te gaudere publicis commodis ſcio. Nec enim tu (quemadmodum non nulli improbe faciunt) ea, quae ſtudioſis litterarum opem ferrent, abdis; ſed contra, quae ingentes vtilitates praebere poſſunt, & egregia veterum ſcriptorum monumenta, quae adhuc in tenebris latent, iamdiu cogitas, quomodo poſſis peruulgare: & eo iam rem deduxiſti, vt cito ſedulitas tua, atque alijs opitulandi incredibilis cupiditas, magnos fructus paritura ſit. Quaecunque igitur poſſent hoc meum negotium adiuuare, comparare coepi, magnamque librorum copiam vndique corrogaui, nec, ſiquid in hac re induſtriae, aut exercitationis habeo, id ceſſare paſſus ſum; ſed omnibus ingenij viribus huic ſtudio incubui. Quid praeſtiterim, tu ipſe, cui in primis placere cupio, & qui hoc propter ingenij acumen, & bonarum artium eruditionem egregiè facere potes, iudicabis. Quod ſi diutius mihi in hoc ſtudio manere licuiſſet (ſcis enim tu, qui omnes meas cogitationes perſpectas habes, in quibus nunc litteris occupatus ſim, & quae multarum vigiliarum ſtudia animo verſem) rem, vt arbitror, perutilem feciſſem: nec reliquis, in quo magnopere laborare deberent, fortaſſe reliquiſſem. Nec tamen is ſum, qui ſocios aliquos laudis habere vmquam recuſauerim, quos etiam laboris participes habuerim, ſed aliorum ſemper induſtriam excitarim, & in quo illi ingenia exercere poſſent, oſtenderim, & non parua quoque auxilia ad rem peragendam fideliter ipſis, benigneque ſuppeditarim. Quod autem exiguo hoc tempore, quod ex meis multis, cotidianiſque occupationibus eripui, conficere potui, ad te mitto: tu, quemadmodum te facturum eſſe confido, ſiqua acute animaduerti, boni conſoles; ſiqua me fefellerunt, non reprehendes; ſed aut rei ipſius difficultati, aut ingenij mei tenuitati aſſignabis. Habes igitur magni illius Catonis librum de re Ruſtica, quantum fieri per me potuit, multis mendis inde ſublatis, non parum expurgatum. Habes tres M. Varronis de rebus itidem ruſticis libros, doctiſſimi, & grauiſſimi auctoris, in quibus etiam valde laboraui. Cum enim ille plurima ſcripſerit, & omnes paenè Romanos homines elegantia, & multitudine ſcriptorum ſuperarit, omniaque ferê vetuſtate, quae (vt ipſe ſapienter inquit) pauca non deprauat, multa tollit, abſumpta ſint; & hi quoque rerum ruſticarum, qui cum paucis alijs diſſectis, mutilatiſque de lingua Latina libris, ſuperſunt, male affecti eſſent, volui ſtudio, ac diligentia mea illis aliquid opis adferre; ſiquidem cum ſemper nobilitatis ſtudioſus fuerim, hos nobiliſſimos auctores in ſqualore, ſordibuſque iacere, aequo animo pati non poteram. Nam de elegantia ipſius Varronis, & ſermonis puritate, quid ego nunc loquar? cui enim cognitum non eſt, eum optimis temporibus vixiſſe, & optimos ſemper Latinos, Graecoſque auctores pertractaſſe, indeque magnam elegantiſſimorum verborum ſyluam, & ad omnis rei naturam exprimendam appoſitorum, ſibi comparaſſe. Nam antiqui etiam auctores, & qui de eodem ſtudio diligenter ſcripſerunt, affirmant, eum rem ruſticam eloquentia, & candore linguae expoliuiſſe. Hucuſque igitur fidem meam liberaui, nec amplius tibi, quod ſciam, debebam. Acceſſerunt tamen, tamquam cumulus quidam, non nulla, quae in Columella emendaui: nam eum quoque ſcriptorem non neglexi. Quod ſi aut meliora ipſius exemplaria nactus eſſem, aut ille fortaſſe magis emendatoris opera eguiſſet, plura etiam in eo reſtituturus fui. Totam huius mei negotij rationem in caſtigationibus meis explicatam inuenies: nam non nulla etiam, quae aut a Graecis, optimis auctoribus Terentius Varro acceperat, aut declaratione aliqua indigere videbantur, adnotaui: non pauca etiam vulnera, quae ſanare non potui, aperui; in quibus nunc purgandis ſtudioſi litterarum operam ponere debebunt. Hoc vt illi facere in animum inducant, & hos meos labores, qualeſcunque ſunt, hilari vultu aſpiciant, vehementer precor, nec aliam vllam mihi tantarum moleſtiarum mercedem poſco. Nam ſi iudicio tuo probatus diſceſſero, optime, & ornatiſſime Marcelle, ab omnibus me magnifice laudatum eſſe non ſine cauſa exiſtimabo. Dat. Florent. XII. Kal. Quinct. CIↃ IↃ XLI.

PETRVS VICTORIVS
Andreae Daxio. S.

ACcepi breues tuas litteras, in quibus tamen & humanitatem, & veterem tuum erga me amorem recognoui. Quantopere autem laetatus ſim, te mihi huic oneri ferendo comitem adiunctum eſſe, quod ſolus facile ſuſtineres: ego vero illi paenè ſuccumbebam, non facilè verbis narrare poſſum; non parum etiam gaudeo tuo, cui omnia cupio & debeo, quodcunque eſt, commodo. Recteque feciſſe iudico reip. noſtrae Ducem, cunctarum bonarum artium amantiſſimum principem, qui te ſemper benè de litteris meritum multos annos iniquitate fortunae domi latentem excitarit, in lucemque & tamquam litterarum forum reuocarit. Et ſi enim tu ab vtili praeclaroque tuo negotio numquam ceſſaſti, priuatimque adoleſcentibus multis ſemper tuo labore profuiſti, maiores tamen fructus ingenium doctrinaque tua publicè feret, quàm domi vmquam ferre potuiſſet. Quòd de me omnia tibi polliceris, quae & tibi commodo eſſe poſſint, & iuuentuti vtilitati, benè tibi notus ſum; nec mores, ingeniumque meum vlla in re immutatum inuenies, ſed eundem prorſus intelliges, ac praeteritis illis temporibus eram, quibus tibi vt optimo viro, & doctiſſimo magiſtro, valde addictus fui, & omnibus in rebus auctoritati tuae parui. Id autem etiam nunc facere me hortantur, & naturae meae facilitas, & antiqua tua erga me merita, & aetas iſta ſanctè honeſteque traducta. Quamuis autem propediem me de his rebus tecum locuturum putem (tempus enim me iam admonet, vt in vrbem reuertar) volui tamen interim animum meum tibi notum eſſe, qui quidem nulla vmquam in re ab vtilitatibus iudicijſque tuis diſcrepabit: ſpondeo enim hoc tibi, ſperoque, te nullum a me officium boni viri, & patientiſſimi collegae, quo tu verbo vſus es, deſideraturum. Vale ac me ama. E Decimano meo, XII. Kal. Nouemb. CIↃ IↃ. XLIII.

PETRVS VICTORIVS
Vincentio Borghino. S.

ACcepi, ſuauiſſime Vincenti, tuas litteras, quae me valde delectarunt: erant enim & amoris cuiuſdam incredibilis plenae, & ingenium, eruditionemque tuam vndique redolebant. gaudeo igitur, te in his ſtudijs breui tempore tantum profeciſſe, tibique gratulor, ac ſpero omnino fore, vt ſi, quod te facturum prorſus confido, in his litteris diutius permanſeris, reliquos omnes, qui illis vmquam operam dederint, facile ſuperaturus ſis: noui enim acumen ingenij tui, teque veram viam ſtudiorum ingreſſum eſſe intelligo, qui Ciceronem tibi imitandum propoſueris, ſcriptaque ipſius diligenter legas, ex quibus, & elegans, politaque doctrina erui poteſt, & magna facultas dicendi comparari: nam quòd te libenter oſtendis commentariolos meos legere; multamque ex illis vtilitatem capere, niſi probitatem animi tui cognitam haberem, crederem, me illudi: nihil enim in illis eſſe video, quod admirationem cuiquam excitare debeat, aut maiorem aliquem fructum ferre, meque, vt amicis potius morem gererem, ea adnotaſſe ſcio, quàm quod ſcriptione, illa digna eſſe exiſtimarem. vnum laetor, cuiuſmodi ſunt, non multum operae mihi eripuiſſe; paucisque omnino diebus a me confecta fuiſſe. Vnde autem proficiſcatur, vt in eis tantopere fallare, qui in alijs rebus decipi non ſoles, perſpicio: amor enim eximius, quo me proſequeris, ingenij tui luminibus obſtruit, nec te verum ſentire permittit: ea autem natura eſt amoris, vt vitia eorum, qui amantur, cognoſci non ſinat; ac cuncta ſaepè longè aliter, ac ſunt, amatoribus videri faciat. Quòd enim te conſuetudinis meae cupidum eſſe oſtendis, & tamquam te mihi in diſciplinam tradere velle cupis, eundem fontem erroris habet, & ſanè, ſi ſimul viuere poſſemus, cuius rei ipſe quoque non minore deſiderio teneor, haberes ſocium ſtudiorum aſſiduum, fidelemque, quique quod diligentia, ſtudioque ſuo excogitare poſſet, ſemper in medium proferret: cupio enim quacunque re poſſum, amicos adiuuare, & cum alia omni ratione, parum aut nihil, & hac quoque non multum ipſis prodeſſe queam, quod efficere poſ-

ſem negligentia, aut fuga laboris, certe non relinquerem: cum autem aliae quoque curae hominum, negotiaque ſocios requirant, magnaque praeſidia ex ſtudijs comitum, paribuſque voluntatibus ad ea conficienda capiantur, ſtudia in primis litterarum hoc poſtulare videntur: praeter enim multas ſuauitates, quas congreſſus ſtudioſorum adferre ſolent, excitantur ingenia hominum ſimul contendo, cunctaque, quae alijs expoſituri ſumus, non omnino rudibus imperitiſque hominibus, ſubtilius accuratiuſque cogitamus: verum quoniam id fieri vix poteſt, hoc fructu amoris vtilitateque ſtudiorum orbatos nos eſſe, aequo animo patiamur. Valde autem mihi gratum fuit, audire, te huc propediem rediturum: cum enim eadem in vrbe erimus, paenè ſimul viuemus; ſaepeque nobis licebit ſimul aliquot hotas conſumere, interim te in iſtis ſtudijs oblectabis; id quod ipſe quoque toto animo facio, quorum ratio haec eſt: nihil enim meorum te caelatum eſſe volo, vt quod temporis ex his meis neceſſarijs laboribus eripere poſſum, in Ariſtotelis libris conſumam, cuius doctrina, quemadmodum me non nullos olim annos occupatum tenuit, antè quàm iniquitate fortunae in hoc moleſtum odioſumque genus litteras docendi detruſus ſum, ita nunc valdè delectat. itaque, cum ſuperiore aeſtate libros dè moribus ad Nicomachum accuratè legiſſem, illis abſolutis, ſtatim eos, qui ſequuntur de optimo ciuitatis ſtatu aggreſſus ſum: multumque operae ac ſtudij in illis poſui, & in ſententijs eliciendis, quae non nullis in locis obſcurae, abditaeque ſunt, & in verbis Graecis Ariſtotelis corrigendis: ſcatent enim multis mendis libri illi, maleque ſuperioribus temporibus habiti ſunt: nam praeterquam quòd fracti non paucis in locis, amputatique inueniuntur, poſtremaque pars tota abrupta: ea quoque, quae ſupererant, corrupta in excuſis codicibus deprauataque leguntur: comparatis autem ipſe manu ſcriptis libris, ſummaque diligentia in hoc poſita, non parum opis mihi videor illis attuliſſe. Idque cum libenter doctrina eorum librorum captus, faciam, libentius quoque id ago, quia intelligo accuratam horum librorum lectionem vtilem mihi eſſe ad opus illud ingens, quod prae manibus habeo explicandi libros Ariſtotelis de ratione dicendi: cum enim ars illa ex facultate hac, quae de moribus, ac ciuitatum rectionibus agit, nec non ex analytica ſcientia conſtet, quomodo poteſt eam quiſpiam perfectè tenere, qui non haec omnia, ex quibus illa concreta eſt, accuratè diligenterque legerit? Quamquam vereor, ne meus hic magnus, diuturnuſque labor fruſtra ſuſceptus ſit: audiui enim Danielem illum Barbarum, de quo tu ad me olim cum eodem metu mea cauſa perculſus eſſes, ſcripſiſti, παράφρασιν illam ſuam edidiſſe, quàm tamen adhuc non vidi: expecto autem, nec tamen ceſſo omnia, quae laborem hunc meum adiuuare poſſunt, ſedulo comparare, eumque vrgere: nam quod aiunt, ipſum ſimul edidiſſe Hermolai patrui eorum librorum in latinum ſermonem tralationem, hoc ſtudium meum non impediret: ſtatui enim Graecos illos explicare, & quemadmodum ſententias, quantum per me fieri poſſet, ita etiam verba Graeca, quae rariora, obſcurioraque eſſent, vimque omnem exemplorum, quae multa illic ex veteribus poëtis, oratoribuſque ſumpta ſunt, declarare: eniti enim volebam, vt proxima aeſtate hunc laborem meum abſoluerem, vt facere conabor, niſi haec nunc docti hominis vigiliarum editio rationem omnem meam interturbarit. Expoſui tibi, quo in ſtatu nunc res meae ſint, & quo in genere ſtudiorum verſer. Reliquum igitur eſt, vt quid ſentiam de M. Varronis loco, duobuſque Ciceronis aperiam, quod faciam concluſa iam epiſtola ſeparatim: nolo enim illam ſic etiam fortaſſe nimis longam, hoc quoque non paruo cumulo praeter modum augeri: longior autem quàm putaram, illa fuit, quod ſermone tecum inſtituto abductus ſum: viſus enim mihi ſum omni hoc tempore tecum coram loqui, ſed etiam ne viderer, longitudinem epiſtolae tuae, ſi in reſpondendo breuior fuiſſem, condemnaſſe. Laudo autem primum diligentiam tuam, qui cuncta ſubtiliter perpendas, & ingenij tui vires in adiuuandis bonis auctoribus exerceas: ſi enim in hoc ſtudio perſeueraris, opera haec tua vtilis, grataque ſtudioſis bonarum artium vehementer erit; & tibi quoque ipſi non mediocrem vtilitatem ac voluptatem adferet. Angelus frater tuus, optimus atque humaniſſimus iuuenis ex diuturno morbo iam conualuit; vt, cum tempeſtates permittunt, domo exire, ac munera ſua commodè obire poſſit, quae res multis bonis atque honeſtis viris valdè grata fuit, qui de ipſius vita ſaluteque, non minus, ac tu facis, laborant. Amici tui, quos ego verbis tuis ſalutaui, valent, plurimamque me tibi ſalutem reſcribere voluerunt. tu quoque vale, exploratumque habeas, me tibi amiciſſimum eſſe, & omnia, quae tibi commodo eſſe poſſint, vehementer cupere. Florent. IIII. Id. Febr. CIↃ IↃ XLIIII.

PETRVS VICTORIVS
Nicolao Ardinghello Card. S.

VIGEAT adhuc in me Ardinghelle ampliſſime ſtudium illud, quo ſuperioribus annis valde flagraui, bonos auctores adiuuandi: nec ceſſo, quum per occupationes licet, aliquid operae, diligentiaeque huic etiam parti litterarum dicare; qui mei labores aliquando foras prodibunt, & aliquid vtilitatis, vt ſpero, ſtudioſis bonarum artium adportabunt. Nunc quum in manus meas venerit Euripidis Electra, quae adhuc in tenebris latuit, ac ſitu paenè, carieque confecta erat, viſum mihi eſt, illam ad te mittere, quem, quamvis multis, magniſque negotijs diſtentum eſſe ſciam, tamen toto animo litterarum ſtudia, & ingenuas artes amare cognoui. Arbitror enim hoc munuſculum tibi, & ob poëmatis excellentiam, & ob auctoris nobilitatem non parum gratum fore: tu vero, quum ipſe diligenter legeris, ſi tibi videbitur, alijs etiam legendam, ac formis quoque excudendam dabis. Quod, quia te cunctis in rebus publicorum commodorum ſtudioſum cognoui, omnino puto eſſe facturum. E tenebris autem illam primum eruerunt ingenioſi, eruditique adoleſcentes, Ciues noſtri, Bartholomaeus Barbadorus, ac Hieronymus Meus, cum vetera huius poëtae exemplaria, vt iam editas Tragoedias multis mendis ſcatentes, cum illis conferrent, vndique conquirerent, ac ſedulo illa pertractarent, ſtatimque ad me attulerunt: Quo duce illi in ſtudijs litterarum vſi ſunt. ipſe poſtea accurate lectam, & non paucis locis purgatam (praecipue autem perſonae perturbatae erant) quae a te quoque legeretur, dignam eſſe exiſtimaui. Quin autem illa Euripidis ſit dubitari non poſſe arbitror: praeterquam enim quod inter medias eius poëtae fabulas in vetuſtiſſimo codice interiecta eſt, teſtimonio antiquorum ſcriptorum id liquido confirmatur, qui inde exempla ſaepe ſumunt. Stilus quoque id, & elegantia ſermonis manifeſto declarant. Vnde autem hoc boni, quicquid eſt, manauerit, ſignificare etiam tibi, alijſque non inutile exiſtimaui, ne & illis ſui laboris merces eriperetur, & vt cotidie magis, magiſque ad laudem, ea degustata, excitarentur. Nam quod tibi eam mittendam ſtatui, non dici poteſt, quantopere illi gauiſi ſint: Sunt enim mirum in modum amplitudinis dignitatiſque tuae amatores, & incredibiles animi tui dotes (vt debent) admirantur. Quod quum ſua ſponte faciant: cui enim cognita non eſt eruditio, probitas, humanitas, admirabilis quaedam naturae tuae comitas, qua omnium animos, eorum etiam, qui te ſemel viderunt, tibi concilias? Faciunt etiam hortatu meo, ac crebra tuarum illarum praeclariſſimarum virtutum praedicatione. Ipſe ſane, quum ſemper te dilexerim, nunc vero tantis honorum gradibus merito auctum, colam, ac nonnulla, quae non omnino vacua conſilio mihi fuiſſe videntur, aliquando fecerim, nihil vnquam mihi ſapientius feciſſe videor, & in quo mihi magis placeam, quam quod mature ingenij tui diuinitatem perſpexi, & exorientes laudes tuas quantum potui, celebraui, demumque te mihi vnum praecipue ſemper obſeruandum eſſe duxi. ſed nimis prouectus ſum, cum tamen paruam partem tuarum virtutum attigerim; amor autem idem ille, & ingens admiratio tui me vltra, quàm nunc oportebat, abripuit, atque aſportauit. Vale, & me ama. Florent. Pr. Kal. Mart. CIↃ IↃ XLV.

PETRVS VICTORIVS
Ambroſio Nicandro. S.

ACCEPI litteras tuas Kal. Aug. datas: quae mihi multis de cauſis iucundiſſimae fuerunt: in primis tamen delectatus ſum ſummo illo tuo in me amore, qui cum a naturae tuae bonitate magis quàm a meritis vllis meis proficiſcatur, eo mihi gratior fuit, meque tibi multum obligauit, ac perpetuis vinculis obſtrinxit. Recordor ſanè, te non ſine magna ingenij ac doctrinae fama multos ab hinc annos Florentiae vixiſſe cum Bernardo, gentili meo, ſanctiſſimo, tuique amantiſſimo ſene; verum aetas, qua tunc eram, fecit, ne officia vlla in te conferre poſſem, aut fructus aliquos ex eruditione

tua

tua capere; quamuis iam tum puer ſtudijs ijs deditus eram, in quibus poſtea aſſiduè verſatus, aliquis mihi eſſe videor, poſtquam a te tantopere dilaudor: nec tamen me fallit, vnde id naſcatur, vt modum in laudibus meis praedicandis non teneas: impellit enim te, vt hoc facias, animi tui probitas, antiquuſque amor, quo omnem domum noſtram diligebas, quae te olim peregrinum hominem recepit, & quibuſcunque rebus potuit, ornauit: fuit certè optimus ille vir, qui te amplexatus eſt, tuique ſimilium ingenioſorum hominum ac doctorum admirator praecipuus, qui cum ſine liberis mortuus ſit, patrimoniumque ad alios deuenerit, me hanc, quae illius propria erat, amoris tui hereditatem creuiſſe mirificè laetor: vellem autem tantam tuam beneuolentiam, ſi poſſem aliqua re compenſare, huic certè rei ſtudebo, ac quantum potero, enitar, ne me in amore vincas. Ioannem Gondulam amicum tuum vidi libenter, & cum alijs etiam rebus tibi multum debeam, hoc certè beneficium non mediocre extitit; quod opera, & ſtudio tuo tam beneuolum, tam ingenioſum, tam politum vndique & elegantem hominem cognoui, ne valeam, ſi non illum totum ita amo, vt tibi vix concedam, qui illum, vt dignus eſt, ac meretur, valde diligis, & a quo, vt multis manifeſtiſque ſignis perſpexi, valde diligeris: illius igitur memoria ſemper apud me vigebit, & cum aliqua in re illi gratificari potero in eam toto animo incumbam, & quaecunque eum velle ſenſero, omni tempore libenter diligenterque praeſtabo; ſi in vrbe diutius manſiſſem, ſaepius cum eo congredi potuiſſem: dum enim fui, non paucas horas ſimul conſumpſimus, cum ille non ſemel domum meam ventitaſſet: verum quae me huc arripuit cauſa faciebat, ne illic etiam humanitate ipſius ſuauiſſimiſque ſermonibus frui poſſem, aut ipſe ex conſuetudine mea, ſi vlla inde capi poteſt, voluptatem vllam deguſtare: eram enim occupatiſſimus, domumque me abdideram, ac ſcriptis quibuſdam meis inuigilabam. Secutus igitur huc ſum ſolitudinem: vacuoque hoc tempore a cotidianis meis laboribus, vt minus interpeller, in villam hanc meam, remoto ſalubrique loco poſitam, me contuli: totoſque dies & omnes meas cogitationes in illis conſumo: magnitudo autem librorum, ſi opus abſoluero, me apud omnes excuſabit, fidemque faciet, me non naturae aſperitate triſtitiaue animi colloquia amicorum, frequentiamque hoc tempore fugiſſe, ſed neceſſario feciſſe, vt ſummam manum aliquando imponerem labori, qui me diu ſollicitum habuit, quique a me crebris plurimorum vocibus, epiſtoliſque flagitatur. Quòd ad Electram pertinet nuper a me diuulgatam, de qua multum in epiſtola tua loqueris, perſpicuum eſt, illam eſſe Euripidis: teſtimonio enim quoque antiquorum ſcriptorum id liquido confirmatur: Stoboeus, qui ſedulo ſententias ad vitam conformandam idoneas collegit, multas, quae in ea fabula leguntur, vt Euripidis adducit. Interpres quoque Ariſtophanis mentionem illius fecit: nam quòd οἰκονομίαν ipſius non valde probaui, qui diligenter omnia expendet, & ea, quae patefeci, & non nulla fortaſſe alia vitia in ea deprehendet: cuius enim aures non reſpuant, potentiſſimi regis filiam agricolae homini glaebaſque ſubigenti nuptam? quaſi nulla ratio ab Aegiſtho, qui rerum potiebatur, excogitari poſſet, qua res ſuas in tuto poneret, quamuis cum fortunato aliquo adoleſcente eam in matrimonium collocaſſet, aut domi ipſam ita cuſtodire non poſſet, ne facultatem illa haberet, coniugem ſibi, quem vellet, eligendi. Sed haec nunc relinquamus: eo autem nomine ab huius etiam artis magiſtro ſummique cunctis in rebus iudicij viro, Ariſtotele damnatum eſſe Euripidem, quòd ſaepe in hoc laberetur, nec ſatis commodè fabulas texeret, non eſſe arbitror. Idem etiam, quod tamen facilè intelligi potuit, declarauit, inueniri multas tragoedias, quae hilarem exitum haberent, quamuis, quae triſti clauduntur, magis probet. vt reperiri etiam non nullas, quae duplicem ipſum habeant, & in quibus bonis benè ſit: malis autem malè; quo in numero fortaſſe haec haberi non ſine cauſa poteſt: impura enim mulier coniugiſque interfectrix Clytemneſtra, adulterque Aegiſthus, & alieni regni occupator, iuſta paena affecti ſunt, eumque finem nacti, quem ſcelera ipſorum poſtulabant. Electra fraterque ipſius Oreſtes, qui dignitatis cauſa excitati ſunt, mortemque patris clariſſimi viri vlciſci magno cum periculo in animum induxerunt, ſecundum exitum habuere, incolumeſque in vita, rebus ſuis ſatis commodè conſtitutis, remanſere. Quòd me conſulis, quid ſentiam de duobus illis obſcuris locis in hiſtoria T. Liuij, tibi in praeſentia ſatisfacere non poſſum: neque enim librum ipſum apud me habeo, vt ipſos accuratè animaduertere valeam; cum in vrbem rediero, hanc curam libenter ſuſcipiam, diligenterque videbo, quae ratio eorum nominum ſit, ac quicquid excogitare potuero, ad te ſedulo perſcribam. Tu me amabis, & amicum affinemque meum Carolum Gondium meo nomine, qui iſtic mercaturis faciendis rem quaerit, ſalutabis, meque illi plurimum commendato. Vale ex agro Decimano XII. Kal. Septemb. CIↃ IↃ XLV.

PETRVS

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Dauanzato. S.

SI, cum officio alicui leuiori deſunt, moris eſſet, vt amici ſe diligenter purgarent, accurata mihi tecum excuſatione opus foret, quod litteris tuis amantiſſimis ſcriptis, pluribus iam menſibus ad me miſſis, adhuc non reſponderim. verum conſcius mihi animi mei erga te, exiſtimanſque tibi cognitam penitus perſpectamque eſſe naturam, moreſque meos, aduerſus te autem beneuolentiam non paruam, nunquam veritus ſum, ne negligentia haec mea (vt durius quàm fieri poteſt nomine appellem) a te in malam partem acciperetur, & incommodam aliquam opinionem in animo tuo gigneret: nihil enim vnquam te arbitror in me conſuetudineque mea contumax cognouiſſe, potiuſque ſemper quibuſcunque modis poſſim expoſitum deditumque commodis amicorum, nec amicorum tantum, verum ſaepe etiam alieniſſimorum hominum. Cauſa autem huius rei fuit, quod me multis magniſque occupationibus impeditum elegans illa tua epiſtola oppreſſit, vt cum toto animo alio conuerſus eſſem, non oblitus ſane ſim huius aeris alieni: ſemper enim illam ante oculos (ita me Deus amet) habui: verum non potuerim inde me abſtrahere ac diuellere, & particulam aliquam temporis huic curae ſeponere: in primiſque confiſus ſum, nihil incommodi ex hac re naſci poſſe, intelligens animi tui aequitatem, ac longum firmumque amorem tuum erga me, quem, ne dum tenuis haec ſuſpicio, vix aliqua maior iniuria interrumpere poſſet. Occupatio autem huiuſcemodi erat: qua maior nulla grauiorque eſſe poteſt, & quae non me tantum, ſed quemuis etiam acrem vigilantemque virum diſtentum vndique teneret. Incumbebam enim toto pectore labori illi meo multorum annorum, abſolutioni inquam, meorum commentariorum in libros Ariſtotelis de arte dicendi operam dabam, quos iam paenè ad exitum adduxeram, adeoque in illis cogitationibus inuolutus eram, vt perire omnes horas, quae inde eriperentur, putarem; ac ſi id aliqua de cauſa committerem, culpa me non crederem vacare. Intelligis enim tu difficultatem ſuſcepti operis, & quot quantaeque ſalebrae in ſingulis paenè verſibus reperiantur, vt ſtudium illud poſcere videatur hominem liberum, ac ſolutum omni alia cura: ego autem mole non parua moleſtiarum alijs temporibus vrgear? quare ſolum illud anni tempus vacuum ab alijs laboribus nactus, cogebar in eam curam toto animo incumbere, ac ne valetudinis quidem vitaeque rationem vllam ducere; quod ſi me aliquando relaxato, atque hoc onus omnino depoſuero, in hac quoque re voluntati tuae morem geram, reſpondeboque iucundae huic vtilique epiſtolarum mittendarum exercitationi: non poſſum autem nunc tibi non magnopere gratulari; qui tantopere in hoc honeſto ſtudio progreſſus ſis, tamque eleganter latinè ſcribas, nec volo vllo pacto voluptatem, quam ex hac re cepi, non planè tibi ſignificare: mirum enim in modum, lectis illis tuis primis politiſſimis litteris, gauiſus ſum: ſecundae autem hac laetitiam mihi auxerunt, non minore elegantia, ſermoniſque puritate exaratae: non enim dici poteſt, quantopere delecter latini ſermonis elegantia, & quam probem conſilium eorum, qui in hac praeclara facultate comparanda ſtudium ponunt: praecipuè autem illi mihi laude digni videntur, qui ſtili elegantiam cum pulcherrimarum rerum ſcientia coniungunt; in qua tu palaeſtra ſtrenuè verſaris: quomodo enim magnum aliquid effeciſſe videri poſſunt, qui omnem aetatem in verbis elegantioribus colligendis, concinneque texendis, conſumpſerunt, nec eodem tempore pectus cognitione grauium, ſubtiliumque rerum referſerunt: aut qui in artibus percipiendis humaniſque ac diuinis rebus perdiſcendis, ſemper occupati, ea, quae acceperunt, copioſè poſtea politeque eloqui, aut eleganter litteris mandare non poſſunt? A quorum hominum errore, deprauatoque iudicio, tu acumine ingenij tui, prudentiaque longiſſimè abes. Perge igitur alacri animo in iſta tua vera ſtudiorum ratione; ex qua & voluptatem mirificam quotidie capies, & fructus etiam aliquando vberes feres. Confecto autem itinere iſto ſtudiorum, comparataque egregia ſupellectili, cum domum redibis, ſi me, vt ſpero, publico hoc munere humaniores litteras docendi, liberatum offendes, poterimus vna aliquando

ſubti-

ſubtiliores philoſophiae locos: & obſcuriores quaeſtiones conferre. nam ipſe quoque ad eadem iſta ſtudia redire cogito, quae a me aegre intermiſſa, numquam tamen penitus dimiſſa ſunt: mirificus enim me amor ipſorum tenet, ſtatimque, vt abſoluero, vel edidero potius hos labores meos (habent enim iam libri hi ſubtiles eleganteſque quicquid a me expectare potuerunt) cunctas horas, quas ex hac cura mea auferre potuero, eo conferre ſtatui. Propè autem hoc, ſi Deus iuuabit, erit: locum enim modumque nunc quaero, vbi illi fideliter formis excudantur, cum inani expectatione diu pependerim: ſperabam enim fore, vt hic emitti è manibus meis, diuulgarique poſſent; cum diu actum eſſet de officina libraria hic inſtruenda: nam quod annum iam ferè litteris tibi patrio ſermone ſcriptis, cum de me id diligenter quaeſiſſes, ſignificaui fore, vt paulo poſt ederentur; quae res conſilium meum immutarit, volo tibi notum eſſe, ne forte me tibi tunc mentitum putes: Miſſum enim Roma ad me eſt antiquiſſimum ac fideliſſimum exemplar eorum librorum, cuius cognita bonitate, coactus ſum omnia diligenter perpendere, quaecunque diſcrepabant a communi lectione: plurima autem illa erant, ac maximi ponderis, & non nulla etiam retractare, vt ex editione poſtea ipſa manifeſtum fiet: cuncta enim diligenter adnotaui. Haec igitur eius optimi codicis occaſio, moram aliquam attulit editioni eorum librorum: eadem tamen vtilitatem non mediocrem verae earum rerum perceptioni apportabit. Omnibus igitur iam rebus expoſitis, quae mea tuaque intereſſe putabam, te nunc ſcire: finem faciam. Vale & me vt facis ama. Florent. IIII. Kal. Decemb. CIↃ IↃ XLVI.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Dauanzato. S.

QVI bene te cognitum non haberet Dauanzate Cariſſime, litteraſque tuas amantiſſime ſcriptas legeret, εἴρωνα profectò te magnum eſſe iudicaret, cum affirmes in illis ab ijs te bonis abeſſe, quibus abundas: probare enim mihi conaris, te non eo ingenio; artificioque praeditum eſſe, vt poſſis facile litteras nullo argumento ad me exarare, id eſt quibus aliquae certae res non exponantur, quaſi ſignificare velis, te poſſe propoſitam omnem materiam verbis commode explicare, narrareque mihi, quod in animo habeas, tuaque, aut mea intereſſe putes: laborare autem vehementer, cum rem nullam definitam, certamque mihi indicaturus es; ſed officij tantum cuiuſdam cauſa, memoriſque animi tui oſtendendi, calamum in manus ſumis, cum tamen meo iudicio res longe aliter ſe habeat, poſſiſque tu vnus ex omnibus vtrumque egregie praeſtare. Quis enim melius colligere omnia lenocinia orationis, aut magis blandus in ſcribendo eſſe, quàm tu, poteſt? Ego certe tibi primas huius rei defero, neque tamen puto, te id efficere cum labore aliquo, ſtudioque, atque exercitatione facultatem hanc tibi comparaſſe, ſed totum hoc proficiſci a ſuauitate morum tuorum, amabilique admodum natura: ſcio enim te ſimplici ingenio praeditum eſſe, animumque in primis ingenuum, ſincerumque habere. Quare, quod alijs, qui planè te non noſſent, ſuſpicionem aliquam importaret, mihi in mentem non venit dubitare, ne tu aſture mecum agas, ac dotes ingenij tui tegere, ac diſſimulare coneris. Quare te hoc ſcire volo, tuas mihi ſemper litteras, quibuſcunque de rebus ſcriptas, gratiſſimas fore, vt quae ab erudito, proboque iuuene mittuntur, ac plenae ſunt amoris cuiuſdam mirifici erga me: quamuis aliquando in reſpondendo negligens ſim. Quod facio ſanè inuitus: Verum magnitudo occupationum cogit, me huic officio deeſſe: premor enim multis vndique varijſque moleſtijs, ac plures iam menſes tot, tamque odioſis negotijs diſtentus fui, vt nihil cogitari ſupra poſſit. Praeterea intelligens aequitatem animi tui, confido, te huic culpae meae ignoturum: ſpero autem tempus aliquando huiuſcemodi venturum, quo poſſim & voluntati tuae, & deſiderio animi mei cumulate ſatisfacere, qui non minus ingenuae huius oblectationis cupidus eſt. Sed, his rebus relictis, venio ad alteram epiſtolae tuae partem, qua petis a me, vt Phalerei commentarium περὶ ἑρμηνείας, quem olim formis excudendum curaui, ad te mittam, oſtendiſque, te potiſſimum id cupere, quia M. Antonius Antimachus, vir Latinae, Graecaeque linguae in primis, peritus; multumque in hoc genere litterarum docendo exercitatus in latinum ſermonem conuertere cogitet, nec facile ſe id conficere poſſe putet ob menda, quibus refertus vndique liber eſt, niſi caſtigatius aliquod exemplar nactus ſit: exiſtimetque,

metque, ſi adiutus in hac re à me fuerit, ſe poſſe praeclare opus ad exitum perducere, quod a te acceperit; me non parum operae, ſtudijque in eo perpurgando poſuiſſe. Totam igitur tibi rem, quemadmodum ſe habeat, narrabo, libereque, vt fideli amico conſilium meum aperiam. In primis autem exemplar illud cuiuimodi eſt, cum epiſtola hac ad te mitto: neque enim in eo emendando quicquam laboraui, ſed audientium tantum commodum ſecutus imprimi volui, cum penuria hic magna eſſet Aldini exemplaris, ac facilius ita excuſum manibus teneri, ac portari poſſet. Eſt igitur illud exſcriptum formis fideliter ab excuſo iam antea libro, niſi aliquae potius maculae, vt fit, negligentia operarum iſtarum, quae munere eo funguntur; accreuerunt. In explicando autem poſtea illo, cui tempori iudicium meum reſeruaui, ſententijſque omnibus accurate perpendendis, non inficiater, aliquos locos a me purgatos (niſi fortaſſe fallor) ope in primis vetuſti libri. Illa autem omnia diligentius etiam poſtea ſubtiliuſque animaduerſa adnotaui, vel potius ſententias omnes eius libri, artificiumque ſcriptis meis declaraui, aut ſaltem id facere ſtudui, ac ſummis laboribus praeſtare eniſus ſum. Quod eo libentius feci, quia, vt tibi notum eſſe puto; valde facit hic commentarius eruditiſſimi, politiſſimique ſcriptoris ad priorem partem tertij libri Ariſtotelis de arte dicendi, in qua περὶ λέξεως, & ipſe agit. In eo autem opere interpretando, cum diu, multumque laborarim, iudicaui, meas eſſe partes, libellum etiam hunc, qui eundem paenè σκοπὸν habet, ac plenius, quae breui ab Ariſtotele tradita ſunt, enucleatiuſque perſequitur; ſcriptis meis illuſtrare. Illa autem aut vna cum commentarijs meis in eos libros, aut non multo poſt, quod magis puto, edentur: cupio enim ſolutus omnibus curis, maioreque iam hoc oneſe depoſito diligentius ea prouidere, ac, ſi opus fuerit; aliquibus locis retractare. Editio autem eorum librorum, quae multis, varijſque de cauſis multum dilata eſt; iam appropinquat: nam, quod ſuperioribus meis litteris tibi ſignificaui, me animi pendere, vbi potiſſimum illa formis imprimi deberent, non multo poſt fautor bonarum artium, omniſque generis litterarum amator eximius, noſtrae ciuitatis Princeps; euocauit huc typographum hominem, propoſitiſque praemijs non paruis, voluit in hac vrbe eius artis officinam inſtruere. Ille autem ad ornandam tabernam, ceteraque, quae opus forent comparanda, tempus octo menſium poſtulauit: quorum dimidia ferè pars iam abijt. Ipſe quoque hominem hortari non ceſſo, vt properet, & omni, qua poſſum ratione vrgeo, vt ſperem omnino confectum opus, abſolutumque autumno hoc fore: iſta enim cura me valde ſollicitat, optoque in primis videre illum diem, quo hac cogitatione, quae valde me premit, liberatus ſim. Habes nunc ad omnia. Te vero firmum in animo, exploratumque habere volo, me, quibuſcunque in rebus potero; commodis tuis non defuturum, ac ſtudia quoque tua erga amicos enixe me adiuturum: doleo autem hac in re non poſſe deſiderio tuo, aequiſque boni atque eruditi viri poſtulatis ſatisfacere. Quod niſi opus iam inſtituiſſem, vel potius paenè abſoluiſſem, idque omnibus noſtris hominibus notum foret: in poteſtate tua fuiſſem, ac quid velles libenter effeciſſem. Ne igitur fidem iam datam fallam, abijciamque onus, quod ſponte ſuſcepi, quod ſine exiſtimationis meae iactura fieri non poſſet, quam tueri ſemper, augereque toto pectore debemus; rogo te, vt mihi veniam hanc des, nec cogas, ſperatam iam, ac multis vigilijs, laboribuſque partam laudem alteri delegare. Rem autem ita ſe habere, vt oſtendi, dies propediem demonſtrabit. Vale, & me ama. Florent. XVI. Kal. Mai. CIↃ IↃ XLVII.

PETRVS VICTORIVS
Coſmo Medici, Duci Florentinorum. S.

CVM leniores etiam meos labores ad honeſtos viros, & inſignes ingenij, ac fortunae bonis, miſerim: eoſque dignitate ipſorum commendari voluerim, hoc maiorum vigiliarum munus, tibi iampridem optime Princeps deſtinaui: & nunc propoſito illuſtri tuo, probatoque omnibus nomine, in manus eruditorum trado, atque edo: cum enim praeſentiore auxilio, acrioribuſq; defenſoribus egeat; fuit etiam a me maiore praeſidio, & valentioribus opibus muniendum. Huic autem rei perſona tua in primis idonea viſa eſt, quam plurimis de cauſis eruditi viri, & ſtudioſi bonarum artium, verentur ac colunt: contraque cuius voluntatem ac iudicium nihil vmquam molirentur: inuadere namque in res, quae Principis viri nomine ornatae ſint, tectaeque illo ab omni iniuria, impetuque inimicorum eſſe debeant, eſt manifeſto auctoritatem eorum,

rum, dignitatemque violare. Quare ſiquis erit; qui animi mei ingenuitate, qua in hoc opere vſus ſum, non ſpectata, ſtudioque opitulandi alijs, quacunque re poſſum, neglecto, paret ſe contra hunc laborem, aut aliquas eius partes temptare, ac vellicare conetur, eum ſpero, & amore tui reuocatum, metuque perterritum, ſibi ab omni hoc negotio temperaturum: Cuius autem voluntatem, nutuſque magis docti viri obſeruare debent, quam eius, qui commodis ipſorum diligenter proſpicit, atque eos vndique praeſtanti ſua liberalitate ſuſtentat? vt ingrati animi crimine carere nullo modo poſſint, qui huiuſcemodi quicquam mente cogitarint. Praetereo quos, e multis locis accitos, doctiſſimos viros, Piſis, antiquo diſciplinarum omnium domicilio, collocaſti, qui illic & noſtrae, & peregrinarum gentium iuuentuti erudiendae, atque optimis artibus imbuendae incumberent, & quos etiam externos homines, alienis in locis vitam degentes, aliquam occaſionem eius rei nactus, ornaſti, & grandi pecunia ſubleuaſti. Quantum hoc beneficium eſt, quod iamdiu mente verſas? cuique ſummis opibus inſeruis, & iam in eum locum deduxiſti, vt cito fructus non paruos laturum ſit? quantum inquam beneficium eſt, quod veteres ſcriptores, a maioribus tuis ſummo ſtudio collectos, atque è Graeciae ruinis, incendijſque ereptos, formis excudere, & ad vſus eruditorum diuulgare vis: atque huic rei efficiendae Germanum hominem, qui huius generis magna negotia tota Europa gerit, propoſitis ampliſſimis praemijs huc euocaſti, atque apud nos typographam officinam ſtruere, atque ornare mandaſti. Hoc ſane huiuſcemodi eſt, vt capere omnino illo omnium eruditorum animos debeas, atque arctioribus vinculis aſtrictos tenere: nam ſi ſuperiores tui, quique in iſta clariſſima familia floruerunt, ſummam inde laudem conſecuti ſunt, qui ſemper ipſos domi clauſos habuerunt, quanto maiore gloria tu dignus eris, qui per omnes terras ipſos diſſeminaris, & conſilio iſto tuo caſibus omnibus, quibus plurimis expoſiti ſunt, cum ſingulis exemplaribus continentur, eripueris: vt eodem facto, & vtilitati ſtudioſorum, & aeternitati eorum librorum, conſulueris. Laudati merito ab omnibus ſemper fuere, qui copioſas bibliothecas conſtruxerunt, ac magnum numerum optimorum librorum ſub vnum tectum contulerunt: id autem priſcis temporibus opulenti multi, fortunatique homines ac ſummi reges ſtudioſe fecere, vt Polycrates Samius: Piſiſtratus Athenienſis: Nicocrates Cyprius: Eumenes, atque Attalus, magnificentiſſimi Pergami reges atque elegantiſſimi: quique reliquos omnes, & Ariſtotelis bibliotheca empta, & Athenis, Rhodoque infinita librorum vi Alexandream comportata, in hoc ſtudio ſuperauit, Ptolemaeus Philadelphus: nec non Romani imperatores: ipſi enim quoque laudis huius, ac gloriae valde cupidi extitere, vt multitudo ingens bibliothecarum Romae quondam fuiſſe perhibeatur. Et tamen, qui huic rei ſtuduerunt, hominibus tantum, qui illic viuerent, profuerunt, ſed ne ijs quidem plenam, atque integram vtilitatem attulerunt: neque enim commode ſemper poſſunt eruditi, ſuiſque ſtudijs apte, cuſtoditos in illis, libros tractare: qui autem formis imprimendos fideliter curant, in toto quaſi orbe terrarum bibliothecam ſtruunt, ac multo magis commoditatibus ſtudioſorum ſeruiunt: paruo enim aere illos parare, diligenter emendatos, & vſibus ipſorum accommodatos queunt. Neque tamen tu ab hac quoque laude vacuus es, quamuis verioris, noua ratione parandae, viam inueneris: a Clemente namque VII. Pont. Max. magnifice inceptam bibliothecam, inchoatam tamen, imperfectamque relictam, abſoluis, ac magnis ſumptibus aedificas, nec ornamentis tantum ipſius, pompaeque indulges; verum etiam illam ſedulo ſupples, accurata librorum conquiſitione, congeriſque illuc omnes, qui ad te amatorem ſummum ipſorum, ab ijs, qui tibi gratificari cupiunt, deferuntur. Intelligens igitur ego cunctos eruditos viros tanto hoc beneficio obſtrictos tibi eſſe debere, meae meorumque librorum ſecuritati conſulens, ad te illos miſi: ſed multum etiam me, vt hoc facerem, impulit, quod, cum tibi plurimum debeam, nec maiore aliqua re gratum animum meum, oſtendere valeam volui munuſculo hoc, me non immemorem eſſe beneficiorum, iudicare. Debeo autem cum priuatis de rebus, ornatus a te commodis honoribuſque non paruis, tum publico etiam nomine, quod ciuitatem ſumma diligentia conſilioq; regis: vt enim ſemper dignitatis ipſius amator mirificus fui, non poſſum non maiore beneficio me affectum eſſe ab illo confiteri, qui ipſam tueatur, & incolumem, honeſtamque eſſe velit, quam qui me priuatim pecunia adiuuerit, aut aliquo huiuſcemodi commodo affecerit: nam me haec non ſumma putare, tu optimus teſtis es: cum enim maiora praemia a te facile, propter excellentem tuam liberalitatem: & non contemnendum, quod de me feciſti, indicium, obtinere poſſem, ſemper his, quae primo mihi a te propoſita fuerunt, contentus fui: qua ſane in ſententia, dum tibi commodum erit, meque munere hoc fungi volueris, permanebo: totiſque ingenij viribus iuuentuti ſeruiam, nec publice, aut priuatim operam meam deſiderari patiar. Vt igitur haec non magni aeſtimo, neque valde ipſis commoueri ſoleo, ita toto animo amplector, qui

patriam

patriam hanc meam fouet, & ſaluam, auctamque vult; quod tu, qui ad eius gubernaculum acceſſiſti, non malis vllis artibus vſos, nec adhibita vi ciuibus, ſed voluntate ipſorum arreptus, & conſilio Dei euocatus, ſtudioſe facis. Quis enim non fateatur, Principem eum ciuitatem adiuuare, eiuſque dignitati, ac ſaluti proſpicere, qui ſeueris legibus coercet libidinem iuuentutis, cunctaque obſcena vitia inde euellere, atque extirpare conatur? Qui luxuriem refrenat, parce ac modice veſtibus, ceteroque cultu corporis vti priuatos iubens. Idemque magiſtratibus, & qui in vrbe ius dicunt, & qui in agris, oppidiſque ſummam poteſtatem habent, praecipiat, vt quemadmodum ſeueritate, aequabilitateque iuris perſonam, quam gerunt, tuentur: ita etiam veſtimentis, decoreque omni, ac comitibus, publicam dignitatem cuſtodiant. Hoc certe nemo, non maleuolus, ab eadem animi propenſione erga rempoblicam, ſpeciemq; ciuitatis, non profectum pernegaret, quod patrium veſtitum iam paenè dimiſſum, ad militaremque, & caſtrenſem translatum, reuocas: quod etiam in magiſtratuum apparitoribus, ceteriſque ipſorum inſignibus ſeruari voluiſti. Nam illae maiores curae, vtilioreſque ſunt, quod oppidanorum hominum, colonorumque magnum numerum, delectu habito, armaſti, eiſque certos viros, peritos militarium ordinum, praepoſuiſti, ſeduloque ipſos ſtatis diebus exerceri, militiae munere omni obeundo, imperaſti, vt ab omni repentino tumultu ciuitas, agerque tutus ſit, & magnas etiam aduerſariorum copias contemnat. Nec tamen ſi forte aliqua aliquando infinita vis hoſtium irrupiſſet, nec arceri a finibus regionis vlla ratione potuiſſet, aut plaga aliqua in bello (vt fit) accepta foret, non alia via ſaluti noſtrae conſuluiſti, cum vrbem diuturno opere, magniſque ſumptibus munieris, & infirmiores ipſius partes ita roboraris, vt aſcenſus illac eſſe hoſtibus nulla ratione poſſit, ſimulque ad eam defendendam omne genus armorum, infinitamque vim aenearum balliſtarum compararis. Nec non eodem conſilio diſtinendorum hoſtium adituſque ipſis ad imperij ſedem intercludendi, cuncta etiam opportuna loca, oppidaque ditionis tuae diligenter munis: aggeribuſque ac propugnaculis firmas. Hae cogitationes, vt optimi Principis, patriaeque amantiſſimi manifeſto ſunt, ita iſtius aetatis, fortunaeque his temporibus minime eſſe conſuerunt. Qui tamen te fortiſſimo patre natum, & in quo Italiae quondam ſalus nixa ſit, cogitabit; quo vno in bello interfecto, ita animi noſtrorum militum, ducumque ceciderint, vt ſtatim ſaeuiſſimis hoſtibus aditum patefecerint, nec vllis fluminibus, aut aggeribus, locorumue anguſtijs arcere ſe poſſe illos putarint. Vnde fertiliſſimorum agrorum vaſtatio, & opulentiſſimae vrbis direptio, conſecutae ſunt. Qui inquam te è Ioanne Medice natum eſſe recordabitur, cuius nomen ſolum loco pellebat aduerſarios, ac perculſos ſuos recreabat; eundemq; in bene inſtituta ciuitate, ſanctiſſimaq; domo caſte, pieque educatum, & omnibus optimis artibus ornatum, hoc mirari deſinet, recteque, atque ordine omnia fieri exiſtimabit. Vt contra ab his, qui tam generoſa ſtirpe: ad renouandaſque proprias huius terrae virtutes, laboribus, periculiſque ſuis nata orti non ſunt, ſed ex otio, languoreque procreati, atque in ijſdem ſtudijs alti, nihil praeclarum, aut honeſtum vnquam expectabit. Sed vt facta tua proba rectaque, breui tangere volui, vt tecum memoria ipſorum gauderes, cotidieque magis ad noua nobis beneficia adferenda incenderere, ita culpas aliorum, inertiamque detegere nolo: is enim tu es, qui cumulate laudari, in caelumque ferri ſine collatione aliorum, iſtius ordinis hominum, qui longe aliter ſe gerunt poſſis; quique, cum multis rebus ciuibus tuis vtilis ſis, nulla tantum re, quantum exemplo atque honeſtate vitae profis; quae vera, clemenſque ratio eſt Principi homini ciuitatem excolendi, ac priuatorum mores emendandi. Vt autem nunc, praedicatione tuarum virtutum omiſſa (quarum admiratio longius me, quam oportebat, prouexit) ad rem redeam, libri hi (vt taceam, ſiquid ipſis ſtudio, diligentiaque mea profui) grati tibi eſſe debebunt, & quia a ſummo doctore ſcripti ſunt; quique ingenij acumine, atque excellentia eruditionis, reliquos omnes vicerit: & quia diſciplinam eam tradunt, quae fructus eximios principibus viris, & ornatus ſingulares fert: qua enim te magis omnibus praeſtare debet, qui in ampliſſima fortuna conſtitutus eſt, ac reipublicae clauum tenet, quam eloquentia? vt milites, togatoſque his molliſſimis habenis flectere, &, quocunque vult, animos eorum perducere poſſit. Sed quia haec nota ſua vi ſunt, nec egent voce aut auctoritate mea, vt planius intelligantur, de illis ſilebo: tantumque te rogabo, vt, ſi plene, quod volui, praeſtare non potui, nec tanto oneri ferendo pares vires habui, imbellicitati ingenij mei ignoſcas, & egregiam animi voluntatem amplectare. Vale. Florent. Idib. Sept. An. CIↃ IↃ XLVII.

PETRVS VICTORIVS
Rationis dicendi ſtudioſis. S.

CVM incredibili quodam, ſingularique adiuuandi bonas artes ſtudio arreptus, non bene tenuibus ingenij mei viribus exploratis, nec exigua doctrina animaduerſa, arduum, ac perdifficile opus aggreſſus fuerim, multoſq; ac magnos labores in eo perficiendo ſuſtinuerim, videtur nunc tempus eſſe rationem conſilij mei reddere, ac, quibus auxilijs in eo vſus ſim, aperire. vt, ſi naturae meae acumen, ac ſubtiliorum rerum ſcientiam, in eliciendis abſtruſioribus ſenſibus Ariſtotelis, eruditis viris non probaro, diligentiam ſaltem, ac fidem, qua maxima in hoc negotio vſus ſum, illis probem: vt enim me parum ſapienter tantũ onus ſuſcepiſſe facilè concederem, ita maiore cura, ac ſtudio tractari illud potuiſſe peruegarem: quod ſi ſedulitatem ipſam, amoremq; erga ſubtiliſſimorum horum librorum amatores demonſtraro, nec omnino fine, propoſitoq; meo lapſus eſſe, inanemque penitus laborem cepiſſe iudicabor, animo meo gaudebo, ac ſatis iuſtum praemium mearum vigiliarum me reportaſſe putabo: neque enim vmquam ſperaui, me poſſe omnia, quae perobſcura hic ſunt, loca illuſtrare, aut ſi quid in animo alicuius acuti, & eruditi viri ſcrupuli oriretur, funditus euellere, atque extirpare r intelligo enim, quem auctorem interpretandum ſuſceperim, & cum quot, quantiſq; eodem tempore difficultatibus & tamquam monſtris mihi pugnandum fuerit, vt ſi partem eorum proſternere, ac profligare potuerim, non parum mihi feciſſe videar in tantis rerum anguſtijs. Omitto nunc propriam huius ſcriptoris obſcuritatem, ob conciſum modum dicendi, quo ſemper in ſuis libris vſus eſt, & reconditam, abditamq; huius artis explicationem: quae res maximum quodque ingenium defatigare, ac torquere poſſunt, lectionis varietas, multitudoq; macularum, quae plurimas partes horum librorum turpiter foedarant: nec non teſtimonia antiquorum ſcriptorum, quorum plura apud auctores ipſos, cum vetuſtate perierint, non leguntur, quemuis meritò perterreant: nulla me tamen res adeò perturbare potuit, vt incoeptum deſererem, ac nõ ad exitum perducere conarer: omnia enim potius, quae potui, ad impedimenta haec tollenda, difficultateſq; ſuperandas, praeſidia comparaui: primumque magnum numerum librorum calamo ſcriptorum vndique corrogaui, ſine quorum ope non valdè me poſſe veram, ſinceramque lectionem indagare confidebam: nec tantum, qui hic aut publicè, aut priuatim erant, collegi: ſed è multis Italiae oppidis ad hunc vſum veteres codices opera amicorum euocaui: duos autem ex omnibus emẽdatiores nactus ſum: quorum alter non ſatis antiquus, è non malo tamen exemplari, vt patet, exſcriptus, Franciſci Puccij, docti hominis, Pontani familiaris, quondam fuit: alter verò, qui & hunc, & reliquos omnes, & vetuſtate & fidelitate multum ſuperat, Nicolai Rodulphi Cardinalis, integerrimi, atque eruditiſſimi viri eſt: in magna enim antiquiſſimorum librorum ſupellectili, quos ille magnis ſumptibus, ſummoq; animi ardore comparauit, volumen etiam habet, quod plures huius artis ſcriptores continet, in quibus etiam hi tres libri ſunt, ab optimo artium omnium magiſtro de dicendi ratione ſcripti. Huius igitur auctoritate, teſtimonioque ſaepè vtar: probitas autem illius, fideſque, (ne nunc in ea conſtituenda tempus teram) in ſingulis locis ſpectandis intelligetur, declarabitque (vt ſpero) res ipſa, me non ſine cauſa illi multum tribuiſſe. Gaudeo autem, eum Romae illuſtri in loco haberi, ac domo, quae ingenioſorum, ac doctorum hominum plena eſt: non minore enim ſtudio ampliſſimus ille vir, & Latinae, & Graecae linguae peritos, optimarumq; omniũ artium ſtudioſos alit, fouetque, quàm copioſiſſimam bibliothecam, qua & ipſe, & alij paſci poſſint, confecerit. Laetor igitur illic potiſſimum teſtem eum teneri, vbi nec facilè corrumpi poſſit, & ab omnibus, cum opus eſſe iudicarint, & videri, & audiri queat; ne cui fortè in mentem veniat (vt ſunt hominum ingenia) me fucum feciſſe, & aliquid aliquando finxiſſe: Quod, quemadmodum multo minoribus in rebus non auderem, in tam graui, magnaq; re, nec cogitaui vmquam, nec feci. Sed alio etiam, quod eiuſdem generis eſt, non contemnendo auxilio vſus ſum: veterem enim tralationem diligenter inſpexi, &, quam ſcripturam ſuo in exemplari auctor ipſius habuerit, inde cognoui: qui quidem rudis quidam, & expers omnis politioris doctrinae manifeſtò fuit: negotium tamen hoc cum fide adminiſtrauit. Quare cum barbaram illam tralationem in manibus haberem, Graecum codicem tenere, ac voces eius ſermonis audire mihi videbar: nam ne verborum quidem ordinem vmquam variat, ac ſingula verba exprimit, ſaepeque etiam Graecis ipſis vtitur: cum, aut vim eorum non perciperet, aut, quomodo vno verbo reddi poſſent, non videret. Cum autem illa, cuicuimodi eſt, mul-

tis iam ante ſeculis confecta fuerit, Ariſtotelis libri tunc integriores, emendatioreſq; erant, qui poſtea (vt fit) librariorum negligentia cotidie magis deformati ſunt: inueni autem illam plerunq; concordem cum optimo libro, de quo ſupra locutus ſum, & quem antiquiſſimum poſtea vocabo, ne ſemper domini ipſius dignitate in tam tenui re abuti cogar; qui propter egregia animi fortunaeq; bona, honoris cauſa ſemper appellandus foret: cum enim antiquiſſimum librum nominabo, illum Rodulphi Cardinalis accipi volam. Tralationis autem huius quoq; ipſius manu ſcriptos, ac ſatis vetuſtos libros ſecutus ſum, quos diligenter cum Graecis excuſis contuli, ac, quid inter ipſos diſcreparet, animaduerti: & omnem deniq; moleſtiam hanc patienter tuli, & inquinatiſſimorum verborum faſtidium exorbui, vt optimo ac politiſſimo ſcriptori conſulerem, ac viderem, ſi ex faece illa ſinceri aliquid, purique depromi, atque eius coniectura poſſet. Omnia autem haec docere, & ſtudioſis multis de cauſis aperire, vtile exiſtimaui. nam illud etiam non mediocre auxilium nullo modo reticebo, quod multis in locis horum librorum examinandis, & vbi de lectionis veritate, & vbi de ſententiarum obſcuritate ambigebatur, vſus ſum iudicio optimi ac doctiſſimi viri Franciſci Medicis; cum quo fideli, ſanctaque amicitia (dum vixit) coniunctus fui: ille enim formam operis huius mei, impolitam adhuc & rudem diligenter vidit, ac quid ſibi de tota re, plurimiſq; ipſius partibus videretur, amicè, libereq; indicauit. Cum autem ingenio multum ac doctrina valeret, meque ex omnibus plurimum diligeret, honoremque meum ac dignitatem, non minus, ac ſuam, caram haberet, mihi non parum prodeſſe potuit: quod quidem mirifica probitate animi ac beneuolentia, ſtrenuè fecit. Hoc verò, cum grati animi oſtendendi cauſa, non inuitus praedico, tum libentius hoc facio, quia cum potiſſimum ille ad laudem, gloriamq; monimentis ingenij ſui, parandam, natus foret, imbecillitate valetudinis (qua diu grauiter conflictatus fuit) & mortis immaturitate impeditus, nihil eorum perficere, quae magnificè, grauiterq; ſcribere incoeperat, potuit: quemadmodum enim viuam amici hominis memoriam ſemper animo tenebo, nec egregias ipſius virtutes, ac ſubtiliſſimarum artium ſcientias, ore vnquam celebrare deſinam, ita etiam quantum ſcriptorum meorum tenuitate fieri poterit, eam ab obliuione hominum, atque a ſilentio vindicabo: nactuſq; tempus ad hoc idoneum, aliquam è tanto naufragio tabulam colligere conabor: ſunt enim quae inchoata a ſe, mihi abſoluenda, & vſibus ſtudioſorum prodenda, cum morti vicinus eſſet, in T. Lucretium Carum, reliquit. De praeclara autem ipſius eruditione, quamuis viuo etiam illo a me diuulgari coepta ſit, locus magis opportunus erit (vt ſpero) agendi: ſi enim cum ipſum ex ſuis ſcriptis cognitum iri putarem, amore tamen incenſus, luculentum teſtimonium de illius probitate animi, & optimarum artium ſcientia, non ſemel in meis libris feci: quanto nunc mihi magis, vt è tenebris nomen eius eripiam, naturaeque temporis reſiſtam (quod omnia conficere, atque obſcurare conſueuit) laborandum eſt? nunc enim tantum, quod ſine iniuria omittere non potui, commemorare libuit. Hae igitur ſunt & perſonae, & res, quae mihi in munere hoc obeundo, praeſidio fuerunt: nam reliqua, ſi qua hic non inſulsè, neque imperitè adnotaui, a ſedulitate vigilijſque meis profecta ſunt, & aſſidua librorum horum tractatione, Graecorumque omnium auctorum euolutione. Reddenda adhuc mihi ratio eſſe videtur, cur in Graecos Ariſtotelis de arte dicendi libros Latinis verbis ſcripſerim, nec illos antea exprimere, & in Latinum ſermonem vertere conatus ſim: conſentaneum namque videtur, vt vna, eademque lingua ſcientia omnis, atq; ars explicetur, qua perſcripta eſt, praeſertim cum Latinus ſermo magis communis, & viſitatus ſit: Plures autem cauſae mihi, & eae quidem (vt arbitror) non paruae, vt hoc facerem, perſuaſerunt: in primis autem rei difficultas: cum enim ſaepè Ariſtoteles vtatur teſtimonijs, & poëtarum, & oratorum, laudibus aut vitijs orationis declarandis idoneis, ſi verborū ſenſum redderes, non poteras ſimul vim eorum exemplorum retinere. Quod ſi, relictis illis, alijs exemplis, quae loco illi, ac tempori conuenirent, vterere, non erat hoc Ariſtotelem interpretari, & incommoda fortaſſe inde aliqua naſci potuiſſent: praecipuè autem hoc in oratione, quae numeris conſtaret, vſu veniebat, vt ſi Graecorum verborum ſententia Latinis vocibus exprimenda foret, numerus orationis immutaretur, ac longè diuerſae, atque antea erant, ſyllabae fierent: neque loco illi amplius congruerent, vimque exempli haberent. Singula praeterea verba, ſi verti debuiſſent, quae aut tranſlata forent, aut actum in ſe haberent, aut huiuſcemodi aliquem ornatum, ac ſaepè plures continerent, eandem in ſe moleſtiam habebant: vt facilè intelligere poterunt, qui plures tertij libri partes diligenter attendent: verbis autem, quibus illa tradita ſunt ab auctore, conſeruatis, illiſque accuratè explanatis, omnia plana erunt: magnum autem negotium eſt huius acutiſſimi, politiſſimique ſcriptoris libros ita vertere, vt candori ſermonis, & veritati ſententiarum ſimul ſeruias: pluresque, qui in hoc munere verſati ſunt, dum alterum toto pectore amplexantur, altero penitus excidere. Addidit autem

mihi animum, impulitque vehementer, vt hoc efficerem, communio vtriuſque linguae, quae viget in animis plurimorum: nulli enim ferè nunc ſunt laudandarum artium ſtudioſi, qui non Graecum ſermonem attigerint, & è fonte hoc hauſerint, vt non pauci etiam ipſo copioſè ſe ingurgitarint, nec pueri tantum, adoleſcenteſque huic rei toto animo incumbunt, verum etiam matura iam aetate homines, ac ſenes. Quod ſanè, quicunq; optimarum artium, philoſophiaeque in primis ſtudioſi ſunt, ſapienter faciunt: quae namque ab eloquentiſſimis eruditiſſimiſque hominibus eo ſermone litteris mandata ſunt, vix ſubtiliter, perfecteque percipi videntur poſſe, ſi in aliam linguam transferantur, aut ſaltem plurimas paſſim obſcuritates gignunt, quae bona ingenia poſtea diu, multumque torqueant: vt praeſtet, laborem, qui in eorum lingua perdiſcenda ſuſtinetur, ferre, atq; ita vno labore multis, magniſque ſe moleſtijs liberare: compenſatur enim id temporis, quod illic teritur Graecae lectionis ſuauitate, ac ſcriptarum illarum rerum percipiendarum facilitate. Nec magna (niſi fallor) exquiſitaque ciua ſermonia ſcientia opus erit, vt ſenſus verborum Ariſtotelis, quibus in his libris vſus eſt, eliciatur: ipſe enim, quamuis ordine ſingulas comprehenſiones non expreſſerim, nihil tamen, quod non Latinis verbis reddiderim, reliqui: nec minorem operam in verbis explanandis, locutionumque rationibus explicandis, quàm in ſententijs euoluendis, poſui: nec tamen hoc, quod a me vſurpatum eſt, nouum penitus, inauditumque eſt: animaduerti namque alios etiam in Graecos poëtas, & artium aliarum doctores, Graecis eorum verbis propoſitis, Latinè quaedam adnotaſſe: nec ipſa vllo modo diſtorquere, in eundem antea ſermonem transferendo, voluiſſe, & qui commentarios Graecae Latinaeque linguae fecerunt (quo labore ſuo plurimum ingenuarum artium amatoribus profuerunt) hoc ſpectaſſe videntur: eademque ratio eſt eorum, qui Graecos nunc publicè poëtas, oratoreſque, iuuentuti conſulentes, interpretantur: illos enim ipſos diuerſa, ac ſcripti ſunt, lingua declarant. Vt hoc etiam ſine reprehenſione fieri hic a me potuiſſe videatur, ac fortaſſe ſit etiam fructum non paruum allaturum, & laudem aliquando, aemuloſque, inuenturum. Valete.

PETRVS VICTORIVS
Ciuibus ſuis, Graecarum artium ſtudioſis, S.

CVM, Excitati a me, mirificè Graecum ſermonem diligere coeperitis: in eoque perdiſcendo omnem laborem ac moleſtiam libenter feratis: tantumque iam profeceritis, cognitis oratoribus ac poëtis, vt grauioribus rebus percipiendis, ea lingua ſcriptis, idonei ſitis, officium meum eſſe putaui, vos ad eas litteras deducere, quibus non linguam tantum expolire, ſed cor etiam pectuſque excolere, atque omni virtute cumulare poſſitis. Huic vero rei perficiendae, Ariſtotelis libros de vita ac moribus eruditiſſimè atque elegantiſſimè ſcriptos, aptos eſſe iudicaui. Intelligens autem eos, qui formis excuſi ſunt, mendoſiſſimos eſſe, quod ex domeſticis olim ſtudijs animaduerteram, nolui vos vno tempore tot tantiſque moleſtijs conflictari: nec me etiam in interpretando, a declaratione ſententiarum, argumentiſque, quibus illae firmatae ſunt, explicandis, abduci lectionis prauitate. Quare, quae potui, nunc vulnera ſanaui; curauique, vt plurimis maculis ſublatis, multo nitidiores imprimerentur: non pauca enim verba ac totas ſententias, quae deſiderabantur, reſtitui: non nulla etiam, quae cum ſcholia declarationeſque quondam fuiſſent, importunè in ſeriem verborum auctoris irrepſerant, è non ſua ſede exturbaui: magnum praeterea numerum vocum, quae deprauatae erant, correxi & emendaui. Atque haec omnia ex vetere illo meo labore, accurataque horum librorum lectione, hauſi. Qui autem adhuc reſtant obſcuriores loci (ſunt enim non nulli, de quibus certi nihil in tanta breuitate temporis, magniſque aliorum ſtudiorum occupationibus ob varias etiam antiquorum librorum, valdeque inter ſe diſcrepantes lectiones, ſtatuere licuit) eos, cum illuc peruenerimus, maturè poſtea conſiderabimus: ſingillatimque & ſententias ipſas exquirentes, & omnes auctoritates perpendentes, ſumma contentione ingenij, purgare atque illuſtrare conabimur. Nulli enim labori parcere decreui, vt commodis vtilitatibuſque veſtris ſeruiam, & candori, atque elegantiae horum politiſſimorum librorum conſulam; quos, quemadmodum reliqua omnia monimenta acutiſſimorum ingeniorum, inſcitia ſuperiorum temporum ac negligentia librariorum turpiter foedarat. Valete, atque ita vos parate: vt non animo tantum optima haec praecepta, combibatis, verum etiam vita, factiſq; cotidiè exprimatis. XII. K. Nou. CIƆ IƆ XLVII.

PETRVS

PETRVS VICTORIVS
Petro Ardinghello. S.

LITTERAE tuae multis de cauſis mihi iocundae fueruot: praecipoè autem ea parte me delectarunt, qoa te bene valere, atque operam dare, vt melius valeas, ſignificaſti: ſtudia enim iſta venandi, quemadmodum animos iuuenum honeſta voluptate oblectant, ita etiam corpus firmant, ac tolerandis laboribus praeparant. Nam quod ijſdem narras, te, quae a me de vita, ac moribus acceperis, animo verſare, ſententiaſque ſingulas ſummi ſcriptoris accnratè perpendere, laudo cooſilium tuum, &, quamquam cohortatione oon eges, cum ipſe tua ſponte ad id ſatis incenſus ſis; tamen addam egregiae huic tuae voluotati auctoritatem meam: ooo facile enim dici poteſt, quot, quantoſque inde fructus capturus ſis: & quàm magnae voluptati aliquando tibi, honorique iſta diligeotia in volutandis his libris poſita, futura ſit: ſine exercitatione namque, vſuque, nihil magnum, neque in ſtudijs litterarum, neque io alijs vllis praeclaris artibus effici poteſt, vt noo adiuncta meditatione, diligentique earum rerum tractatione, praecepta omnia doctorum, aut parum, aut nihil valeant. Mane igitur in ratione iſta, vt deſiderio optimi pareotis, conceptaeque in animo multorum de te opinioni poſſis reſpondere: Nec tameo ita durus ſom, vt & aetatem tuam, & anni tempus, & amoenitatem loci, vbi nonc es, oblitus ſim: qnin potius mediocritatem in hoc etiam ſeruandam cenſeo, cum ſecutos ſententiam ſapientis illius veteris, qui μέτρον ἄριστον eſſe dixit, tum iudicium noſtri auctoris, totiuſque familiae Peripateticorum, cuius decreta, tamquam certam, ac numquam falleotem normam ſpectare debemos: Omoium enim rerum μεσότητας, virtutes eſſe voloerunt, atque illic manere nos oportere in cunctis ooſtris dictis factiſque exiſtimarunt. Quod ex me de editiooe meorum ſcriptorum quaeris, excudi illa poſt multa, magnaque impedimenta in hac re nata, coepta ſunt: Nunc enim quoqoe vix dum initio facto, improbitate cuiuſdam officinae miniſtri, qui cooſilium ooſtrum diſturbare voluit, tota res valdè retardata eſt; huic tameo quoque rei remedium adhibitum, noo ſine tamen aliqua temporis iactura. Certare igitur nobis oeceſſe fuit, vt cum alijs plorimis difficultatibus, ita etiam cum inuidia, maleuoloqne animo operarum. Vnde oemo vmquam huic negotio incommodi aliquid expectaſſet. Deus faciat, vt optatum exitum videre poſſim, ac viuus, valenſque tam graue onus, quod me diu preſſit, aliquaodo deponam. Tn vale, ac de me tibi cuncta pollicere, qoae cum alijs etiam probis, ſtudioſiſque adoleſcentibus debeam, tameo in primis tibi multis, hooeſtiſque de cauſis, praeſtare copio.

Florent. Non. Febr. CIↃ IↃ XLVII.

PETRI VICTORII EPISTOLARVM

Liber Secundus.

PETRVS VICTORIVS Studioſis Graecarum artium, Graeco ſermone ſcriptarum. S.

NON eſt è genere eorum hominum Reipublicae noſtrae Princeps, qui adumbrati honoris ſplendore, inaniſque gloriae cupiditate capti, res praeclaras, & vtiles ſoli habere volunt, atque ipſarum poſſeſſione ceteris omnibus antiſtare: contra enim ea vera bona putat, quae communia ſunt, & a cunctis, qui ſe dignos illis praebuerint, obtineri poſſunt. Hoc, quemadmodum nobis multis modis ſaepe declarauit, ita nunc conſilio hoc ſuo plurimis gentibus indicauit: inſtituit enim veteres ſcriptores, a maioribus ſuis ſumma diligentia conquiſitos, magniſque ſumptibus è Graeciae ruinis incendijſque ſaeuiſſimi belli ereptos, diuulgare, atque ita commodis ſtudioſorum, memoriaeque doctorum virorum conſulere; qui laboribus ſuis ingenijque excellentia poſteris prodeſſe voluerunt, & in his curis ſtudijſque aetatem omnem conſumpſerunt: iniquo autem fato diu vſi in tenebris latuere, ac, quemadmodum ipſi varijs caſibus expoſiti fuere, ita fructus nullos cupidis ingenuarum artium, aut paruos admodum, tulere. Nec ſolum hos, qui lucem multis ſeculis non aſpexerunt, in medium proferre decreuit, ſed etiam non paucos, qui mendoſi iam, ac manci excuſi ſunt, ſumma cura perpurgatos, membriſque ſuis auctos, ope eiuſdem ſupellectilis, fideliſſimorumque codicum copia, iterum foras dare. Huic igitur rei nunc incumbitur: operaque datur, vt tam honeſta piaque Principis voluntas, pro dignitate ipſius, ac ſtudioſorum vtilitate, ad exitum perducatur. Interim cupiens ego ſpecimen aliquod huius operis, quod texitur, dare: ac tam laetum nuntium auribus eruditorum primus apportare, non dum tantae rei apparatu confecto, quaſi excucurri, ac paruum hoc volumen edendum curaui. In quo quattuor Porphyrij libri de non caedendis, deuorandiſque animantibus, valdè a noſtris etiam auctoribus celebrati: alterque itidem ipſius libellus, quo quaeſtiones quaedam ſubtiles graueſque de diuinis rebus, ex decretis Platonis, continentur: nec non etiam declarationes Michaelis Epheſij, vnius poſteriorum Ariſtotelis interpretum, in quattuor libros de partibus animantium. Tyrij Philoſophi libri, accurataque de illis rebus diſputatio, remota ſuperſtitione, mirificè vtiles erunt, ob multiplicem ac variam recondita-

rum,elegantiumque rerum expoſitionem: ac crebra etiam antiquorum ſcriptorum, vetuſtate conſumptorum, exempla; quibus vtitur aut in ſententijs ſuis confirmandis, aut in iudicijs ipſorum, inſtitutiſque refellendis: nam exiguus libellus, quo voluit excitare ad res percipiendas, quae animo tantum & ratione cernuntur, totus aureolus eſt: ac non multis verbis, multam obſcuramque doctrinam complectitur. Non ingratam etiam fore putaui Epheſij breuem explicationem, in optimi auctoris libros: quamuis parem illum dignitate doctrinaque Porphyrio minimè fuiſſe, non ignorem; & quia partim Ariſtotelei illi libri obſcuri perdifficileſque ſunt, & quia a nullo alio, quod ſciam, Graeco homine illuſtrantur, excepta Metochitae paraphraſi, quae non dum formis excuſa eſt: nec vllam in partem melior eruditiorque expectari debet. Quod verò ad ſcripturae integritatem, diligentiamque in lectione purganda adhibitam, pertinet, non inficiabor Porphyrij libros peſſime habitos inſcitia ſuperiorum temporum, vitioque librariorum valde corruptos fuiſſe: tantum tamen ſtudij, collatis pluribus exemplaribus, in illis emendandis poſuimus, vt multum auxilij ipſis tuliſſe nobis videamur, quamuis non omnes maculas delere, nec manca imminutaque non nulla loca reſtituere, potuerimus: fides certè illis noſtra diligentiaque non defuit; quod etiam in ſcholijs Epheſij, magna cum eorum vtilitate, praeſtitimus. Valete ingenioſi, & eruditi viri, & propediem plura separaque ab humaniſſimi Principis liberalitate: egregioquè ipſius in vos amore, expectate.

PETRVS VICTORIVS Studioſis. S.

CVM pluribus ſpectatis codicibus, male habito vndique ac neglecto Porphyrio non parum conſuluiſſem, multiſque partibus ipſum meliorem reddidiſſem, tentaui, ſi poſſem, alia via ei opem ferre, quam etiam non inutilem expertus ſum: ſciebam enim hinc ſaepe teſtimonia ſumpſiſſe Euſebium Pamphilum, aequalem ipſius, in libris προπαρασκευῆς εὐαγγελικῆς: quamuis non ſine cauſa illum exagitet, atque omnibus contumelijs vexet: eruditione namque auctoris captus, multos, ex his praecipuè libris, locos adducit, quibus aut probat, quod confirmare vult, aut falsò, praueque ipſum de aliqua re ſenſiſſe docet. Fuit enim Porphyrius noſtrae pietati, latè iam patenti, firmaſque radices agenti, parum aequus, ac Chriſtiano denique nomini valdè infenſus, quamuis in his libris nihil tangat, quod eam laedat: ac potius noſtris inſtitutis, moribuſque mirificè congruat. Vt enim traditam a patribus religionem toto animo probabat, & ab illa fortiter contra aduerſarios ſtabat, ita temperantiſſimum hominem ſe praebuit: tenuique admodum victu contentus fuit: nam ventris, ac gutturis vitiorum ipſum inimicum, acerrimumque reprehenſorem extitiſſe, viuentemque adhuc e corporis carcere, vinculiſque euolauiſſe, verè dicere poſſumus. Hoc autem, praeterquam quod ex optima grauiſſimi viri diſciplina: ſeueriſſimaque Plotini domo profectus eſt, multis etiam ſanctiſſimis praeceptis ab ipſo in hoc opere collectis, liquidò intelligitur; quae cauſa fuit ſaluris (vt arbitror) huic ſubtili, magnaque doctrina refertae ſcriptioni, cum alij ipſius labores improbioris iudicis merito perierint, atque ex omni hominum memoria deleti ſint. Attendi igitur diligenter cunctos locos, qui citati a Pamphilo ſunt: cumque multa, magnaque lectionis diſcrimina in illis offendiſſem, malui excuſo iam Porphyrio, eaque ſcriptura, quae apud ipſum reperitur, retenta, varietates omnes hic adnotare: neque enim ne illic quidem ſincerè cuncta, integreque ſeruata ſunt: quamuis non pauca melius legi videantur. Quod factum arbitror, quia Pamphili ſcripta in magno honore apud Chriſtianos homines fuerunt: cum multam lucem adferant noſtris rebus: inaneſque ritus gentium ſedulò refellant. Porphyrij vero hi libri ob iuſtum odium, quod contra ſe alio nomine concitarat, diu iacuerint, ac ſitu paenè, ſqualoreque confecti ſint. Praeterea non me fallit conſuetudo veterum, qui in exemplis aliorum auctorum ponendis non parua libertate vtebantur: ac ſi ſententiam retinuiſſent, verba ipſa, ordinemque eorum ſaepe non curabant. Hanc igitur tutiorem viam eſſe ratus, quicquid diſcriminis apud eum ſcriptorem in teſtimonijs ab his libris petitis, animaduertere potui, adnotaui: ac breui etiam aliquando in vtram partem magis inclinem, indicaui.

PETRVS VICTORIVS

SEBASTIANVS Conradus officioſus homo, & qui me plurimum diligit, ſignificauit mihi per litteras, te in longo ſermone, quem ſecum habuiſti, dixiſſe, epiſtolam a te mihi miſſam, cui a me reſponſum non eſſe non ſine cauſa mirareris: vt autem valde officio hoc illius delectatus ſum, ac veterem ipſius in me beneuolentiam agnoui, ita non parum conturbatus, quod aliena culpa, ac negligentia tabellariorum in magnum crimen incidiſſem, atque inhumanitatis nomine apud humaniſſimum atque optimum virum iniuſte laboraſſem. Re igitur omni ſtatim illi, vt erat, expoſita, volui nunc accurate me tibi purgare, atque omnem ſuſpicionem huius culpae ex animo tuo delere: fateor enim, deſiderari merito in me potuiſſe humanitatem, ſi huiuſcemodi quicquam vmquam commiſiſſem, vt doctiſſimi & grauiſſimi viri litteris ſuauiſſimis non reſpondiſſem; verum id vitium longe ab indole, moribuſque meis abeſt, qui, cum alia re non magnopere poſſim, conor ſaltem mereri amicitiam honeſtiſſimorum, ampliſſimorumque virorum, quorum amore erga me vehementer mihi placeo: nec aliquid in vita iucundius guſto huiuſcemodi officijs, ac perpetua, fidelique aduerſus illos obſeruantia. Vidi ſane illis ipſis diebus, quibus arbitrari nunc poſſum, te ad me ſcripſiſſe, ac legi libenter litteras tuas, ad Accoltum Cardinalem ſcriptas: erant enim elegantiſſimae, ſingulariſque einſdem eruditionis pleniſſimae; te vero eodem illo amore impulſum, quo ſtudioſos omnes ingenuarum artium cuiuſuis fortunae complecteris, ad me quoque ſcripſiſſe, ne ſuſpicari quidem poteram; nec vero vmquam tam turpem notam mihi inuri paſſus eſſem, ſi ipſas accepiſſem, nec ſuperbum me praebuiſſem aduerſus eum, qui valde humaniter ſe mecum geſſiſſet; atque ea ratione initia ac fundamenta verae amicitiae iacere voluiſſe. Reſtat nunc, vt, ſiquid forte illis litteris continebatur, in quo operam hic meam requireres, rurſus me certiorem eius rei facias: omnia enim, quae grata tibi eſſe ſenſero, ſtudioſe geram, atque honori commodiſque tuis ſemper inſeruiam; oroque, poſtquam tu ſemel probitate tua inductus, nullis officijs meis excitatus, me amare coepiſti, vt in ea voluntate permaneas; ac me in numero tuorum habeas: tuus enim profecto ſum animo, ac voluntate, quod ſi vmquam facultatem aliquam nactus fuero, quod nunc verbis polliceor, ac ſpondeo, re, factiſque cumulate comprobabo. Vale Florent. Kal. Mai. CIↃ IↃ XLIX.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Pontifici Nouiodunenſi. S.

CVM a nobis diſceſſeris non dum planè corpore confirmato, nec plagis omninò ſanatis, meas partes eſſe duxi, qui te propter ſingularem humanitatem tuam, doctrinamque incredibilem & ſuſpicio, & ſaluum vndique cupio, quaerere ex te per litteras, quomodo valeres: quomodoque itineris moleſtiam infirmis viribus, ac difficili anni tempore ſuſtinueris: Ideoque ad te epiſtolam hanc exaraui, quam a ciue meo Iannoctio Nerlio, nobili ac probo homine, eodemque ingenuarum artium valdè ſtudioſo perferri ad te volui, ne tu contra commodum valetudinis, dum deſiderio huic meo ſeruis ſcribere cogereris; atque ego voti compos fierem: is enim me certiorem de ſtatu valetudinis tuae faciet. Vtinam autem ea de re audiam, quae opto ac ſpero. Ipſe labori illi meo, de quo tecum locutus ſum, quum per occupationes licet, incumbo: in quo ſane perficiendo maius ſtudium pono, poſtquam argumentum ipſum a te probari, ſummi iudicij viro, cognoui. Vereor tamen, ne intermittere opus cogar, quod iſtuc mihi breui veniendum ſit. Quod ſi (vt puto) neceſſe fuerit, dolorem interruptorum ſtudiorum, voluptas, quam te viſendo, ceteriſque amicis ſalutandis capiam, compenſabit. Vale & me ama. Florent. XVII. Kal. Ianuar. CIↃ IↃ XLIX.

PETRVS

PETRVS VICTORIVS
Petro Taber. S.

LEGIT mihi heri Franciſcus Taurellius amicus ſummus meus, partem illam epiſtolae tuae, in qua de me multum & amicè loqueris, rogauitq; vt viderem, quid ad te reſcribi a ſe vellem, praeſertim de loco illo Ciceronis, quem, cum ſuſpectum habeas, rogaſti ipſum, vt ex me quaereret, quid de eo ſentirem: Viſum igitur mihi eſt ad te ſcribere, neque hoc onus ipſi, homini vehementer occupato imponere. Primum autem gratias tibi ago immortales pro animo iſto tuo erga me, beneuolentiaq; incredibili, referamq; libenter, ſi vnquam potero: quis enim non amet tam propenſam erga ſe nobiliſſimi, & eruditiſſimi iuuenis voluntatem? Audeatque, ſi praeſtare id poſſit, aliqua honeſta ratione ipſam retinere, vt culpā ſaltem fugiat, nec tam turpem notam ſibi inuri patiatur: quid enim turpius ingenuo viro accidere poteſt, quàm non reſpondere in amore, atque humanitatem alicuius, & quaſi preces, omni profecto laude & honore digni repudiare? metu tamen huius infamiae ac criminis, quod ego ſemper toto pectore vitaui, in aliam fortaſſe reprehenſionem incidam, quae & ipſa non parua eſt, nec minore contentione fugienda, intelligo inquam, vitium temeritatis, qui tam ſubito de re ſane obſcura, difficilique enunciem: verum, & quia alias aliquantum de illo verbo, ita ab optimo Latini ſermonis auctore vſurpato, cogitaram, & vt deſiderio tuo cito ſatisfaciam, hoc periculum potius ſubibo; libereque tibi, vt conſueui, quid exiſtimem, demonſtrabo. Arbitror, igitur, locum illum integrum eſſe, & omni mendo vacare, Ciceronemque, cum inquit, optare hoc quidem eſt, non docere. idem ſignificare voluiſſe, quod ſignificauit verbis iis, paenè ijſdem, in extremo libro de fato; vel potius partis illius eius libri, quae reſtitit, poſitis. Optare hoc quidem eſt, non diſputare: manifeſtò enim accuſat Democritum, qui in confirmando eo, quod vellet, videretur adhibere, quae in mentem ipſi veniebant; cauſaeque illi, quam tunc defendebat, quoquomodo accommodata erant; non quae ex principijs ipſius prodirent; ſatiſque firma ac connexa inter ſe forent. Et vt ſenſum animi mei penitus aperiam, puto hoc acceptum fuiſſe è Graeco ſermone, expreſſumque ex eius linguae ſcriptorum grauiſſimis diſputationibus: illi namque, cum huiuſcemodi aliquid quempiam dicere, quod incredibile foret, ac iure optimo irrideri poſſet, ſignificare volebant, εὐχὰς ὑμῶν λέγειν ipſum aiebant: nam quin, εὐχὰς vocatas a Graecis, Cicero aliquando optata appellarit, dubitari non poteſt. Sed alijs etiam non nullis in locis ille eodem pacto locutus eſt, vt in Academicis quaeſtionibus; qui locus valde ſimilis eſt illi, quem indicaui è libro de fato, quippe cum eundem phyſicum illic quoque inſimulet; ait enim. Somnia cenſet haec eſſe Democriti, non docentis, ſed optantis. Haec ſunt, quae ſubito mihi occurrerunt, feſtinanti ſcrupulum iſtum ex animo tuo euellere. Tu, ſi aliter de hac omni re putabis, atque in eadem opinione permanebis; quia non ſatis certa iudices, quae a me excogitata ſunt, voluntatem ſaltem meam probabis, ſtudiumque tibi placendi, non aſpernabere. Vale & me, quoniam ſponte hoc facere coepiſti, & nullo meo officio impulſus, perge amare, & quaecunque a me proficiſci erga te poſſunt; quoniam & ego, iuſta tamen de cauſa excitatus, ita inſtitui, omni tempore expecta. Florent. III. Non. Febr. CIϽ IϽ LIX.

PETRVS VICTORIVS
Iulio III. Pont. Max. S.

QVANTA laetitia affectus ſim, cum audiui te in altiſſimum iſtum dignitatis gradum aſcendiſſe, Pontificemque Maximum omnibus ſuffragijs creatum eſſe, facile te arbitror ſuſpicari pro vetere meo erga te amore, atque obſeruantia: cum enim ſaepe commodis honoribuſque aliquibus auctus iuſtam cauſam gaudendi, tibique toto animo gratulandi mihi dederis, animaduertere potuiſti animum meum è rebus tuis ſecundis eam voluptatem coepiſſe, qua ſi ipſemet vtilitatibus illis honoribuſque ornatus eſſem. Superat autem tantum praeſens haec reliquas laetitias, quibus tua cauſa

omni

omni tempore perfuſus ſum, quantum locus ipſe, dignitaſque, quam adeptus es, ceteras omnes dignitates, quae non tantum tibi antea contigerunt, ſed in quemlibet mortalem cadere poſſunt: quare vix tanto gaudio ſuſtinendo par fui: & quia deſiderio quodam teneor, amplitudinem tuam in iſta ſublimi ſede videndi, oculoſque iucundiſſimo aſpectu ſatiandi, vix me continere potui, quin ſubito iſtuc, nuntio accepto, aduolarem; quod, niſi imperio Principis noſtri retinerer, qui me publicae iſtic orationi habendae deſtinauit, vnumque eſſe voluit ex ijs legatis, quos ex vetere inſtituto ad gratulandum tibi, omniaque pollicenda, cito mittet, omnia alia vincula fregiſſem, ſummaque celeritate me iſtuc contuliſſem: cupio enim, cum integrum hoc, ſolidumque gaudium, vt iam ſignificaui, percipere, tum tibi, ſi mea opera, induſtriaque in parte aliqua reip. tractanda vti volueris, operam nauare: cum autem vſu iſtarum rerum, prudentiaque a multis facile vincar, fide, ſedulitateque a nemine me patiar ſuperari: tibi autem ſtudium omne meum, curam, diligentiamque dico, atque omni tempore praeſto futurum vſibus iſtius principatus affirmo, poſtquam, quod ſemper optaui, tu ad eum regendum voluntate Dei Opt. Max. euocatus es. Interim de te, admirabilibuſque virtutibus tuis toto animo cogitabo, vt, ſi non omnem illarum vim copiamque numerare potuero, partem tamen aliquam ipſarum tangam, cum Ducis noſtri nomine apud te in conſeſſu iſto ſeniorum ſacerdotum, ampliſſimaque curia, verba faciam. Vtinam Deus ipſe, cuius tu nunc perſonam in terris geris, te firmum valentemque reddat, vt omni corporis moleſtia liberatus, diuinum iſtud munus fortiter obire poſſis, atque omnem curam in ſalute commiſſi tibi gregis, ſanandiſque reip. vulneribus ponere. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Pontifici Nouiodunenſi. S.

PRIMIS illis litteris, quas ad te ſcripſi, cum primum te iſtuc contuliſti, ſollicitus de valetudine tua, attigi non nihil de mea ad vrbem profectione: nunc autem, quod tunc obſcure ſignificaui, aperte tibi indicabo, totamque rem diligenter narrabo. Cum enim moris ſit noſtrae reip. vt aliarum fere ciuitatum ac regum, ſtatim Pont. Max. declarato, legatos ad eum mittere, qui doceant; ſe fore ſemper in eius poteſtate; ratamque habere iudicia ac ſuffragia ſummorum antiſtitum in aliquo ex ipſorum ordine ſacris Chriſtianis praeficiendo; Princeps ciuitatis me in eorum numero eſſe voluit; mihique potiſſimum, vt munere hoc orandi apud nouum Pontificem fungerer, mandauit. iſtic igitur te (vt ſpero) propediem videbo: nam cum mihi hoc iter moleſtum ſit, quia me a ſtudijs litterarum interuallo hoc temporis auocat, compenſabo dolorem hunc voluptate, quam capiam viſendis amicis, in quibus tu primum locum merito obtines, & ob ſingularem humanitatem, & ob ſcientiam artium maximarum: te enim humaniſſimis atque elegantiſſimis litteris tuis primum mihi cognitum: poſtea autem hic viſum, ac ſpatio aliquot dierum cum corpore aegrotantes, diligenter obſeruatum, perpetuo mihi ſtatui colendum atque omni officio proſequendum: ſocius autem huius legationis erit vnà cum alijs quattuor honeſtiſſimis ac nobiliſſimis viris Philippus Nerlius, qui te hic ſalutauit, ac multis iam annis, quod tu memoria fideliter retinebas, leuibus quibuſdam officijs coluit. Hic igitur, cum in ſermone inieciſſem, me velle ad te ſcribere, rogauit, vt ſuo nomine tibi ſalutem dicerem, atque omnia, quae fieri per ipſum, ſuoſque poſſent, pollicerer. Vale, ac ſedatis iam tot turbis, compoſitaque ex ſententia rep. hilaris viue.

PETRVS

PETRVS VICTORIVS Iacobo Laureo. S.

ACCEPI litteras tuas idib. Mai. datas, quae, cum per ſe mihi gratae fuiſſent: cur enim gratae eſſe non debuerint? cum ab eo proficiſcantur, qui me diligere videatur, & non paruam in me ſuarum rerum conſtituendarum ſpem collocatam habere? eo gratiores fuerunt, quod lepidum atque elegans munuſculum ſecum attulerunt, ingenij ſcilicet tui fructum, ac multorum laborum, vigiliarumque monimentum: delector enim mirifice noſtrorum hominum laudibus, amplectorque toto animo illos, qui ſtudio ac labore ſuo laborem aliorum minuere volunt, quod tu profecto, in vertendo in Latinum ſermonem Aeliano, effeciſti. Ago praeterea gratias Franciſco Robertello, qui tibi auctor fuerit, vt hoc opus ad me mitteres, cognoſcoque veterem illius in me beneuolentiam: nam quod de egregio ipſius animo erga me loqueris, affirmaſque ſaepe ſolere illum multa, quae ad laudem meam pertineant & publice, & priuatim praedicare, gauderem magnopere, ſi teſtibus amicitia noſtra egeret, & tamen laetor, ſaepe illius ad meas aures aliquid peruenire, quod in me perhonorificum ſit, ac declaret, amorem noſtrum interuallo locorum imminutum non eſſe. Ego certe dabo operam, ne hoc ille ſine cauſa faciat. Quod vero ad te ornandum, fortunaſque tuas amplificandas facit, ſiqua occaſio dabitur, commodis tuis non deero, vel potius omni ope ſtudioque meo enitar, accurateq; hanc rem procurabo: doleo enim, tam bonum ingenium, & quod ingenuis artibus nitatur, duriore fortuna conflictari: ſed hoc diuturnum fore non ſpero, praeſertim cum habeas iſtic quoque tanta praeſidia amicorum; quorum opibus ac teſtimonio cuncta tibi honeſta proponere, ac fructuoſa potes. Quod ſi non tam celeriter, quam oporteret, fit, temporibus tribuito, & tamen virtus omnia perrumpere conſueuit, dignumque ſe tandem locum, praeſtantiaque ſua, ſuperatis omnibus difficultatibus, tamquam aduerſarijs, obtinere. Tu vale ac; quod ſponte facere coepiſti, me ama. Florent. IIII. Kal. Iun. CIↃ IↃ L.

PETRVS VICTORIVS Honorato Faſciatello, Epiſcopo. S.

CVM Simonem Portium, pedibus laborantem, domum ſalutatum iſſem: degit enim ille nunc apud nos, hoc anni tempore, munere ſuo philoſophiam Piſis profitendi, arctiſſimoſque Ariſtotelis nodos explicandi ſolutus, in multis alijs iucundiſſimis ſermonibus (noſti enim tu in primis, qui magna familiaritate diu cum ipſo coniunctus fuiſti, quae ſit hominis copia, & in omni genere diſputandi elegantia) accepi, te ab Iulio III. Pont. Max. epiſcopum eſſe creatum, cum paucis antea menſibus vel diebus potius te vſus eſſet, atque inſtituendo, ingenuaque omni diſciplina expoliendo Cardinale ſuo deſtinaſſet: eo autem nuntio maxime laetatus ſum, & tui ipſius cauſa, quem ſemper amaui, & propter admirabiles virtutes tuas, merito ſuſpexi, & aliorum etiam, qui idem vitae iter ingreſſi, atque in doctrinae ſtudijs diu verſati, ſperare poſſunt, praemium aliquod aliquando fore ſuis laboribus; cui rei ſi operam darent opulenti viri, & in maximis dignitatibus conſtituti, vehementer inflammarentur animi reliquorum ad optimas artes colendas, & in antiquum gradum honoris reſtituendas, vnde importunitate barbarorum, calamitateque ſuperiorum temporum indigniſſime deiectae fuerant: nam, quin hoc perfici poſſet, dubitare non debemus, cum hac aetate magna illis acceſſio facta ſit, ſponte ad hoc conſpirantibus ingenioſis viris, potiuſquam iuſta vlla mercede tantae ſuae induſtriae inuitatis. Ipſe autem mirifice ſemper de ſummo hoc Pont. ſperaui, & facultatem nactus iudicium meum publice teſtandi, copioſe id magnificeq; praedicaui: quare gaudeo etiam hac de cauſa (vt dixi) commodis tuis, vtorque hoc ſigno quodam voluntatis ipſius, quod praeſtantes in ſtudijs viros liberalitate ſua ſit ſubleuaturus, quae ſi ferebatur antea minore in fortuna conſtituti, quanta ab ipſo expectari debeat tantis opibus aucto, nemo non intelligit: nam, cum antea quoque recte pecunia vſus ſit,

perſona,

perſona, quam nunc ſuſtioet, qua maior nulla, grauiorqoe in terris eſt, admonet, vt in honeſtiſſimis rebus, & quae magoum mortalibus fructum ferre poſſiot, opibus à Deo Opt. Max. datis vtatur. Sed his nunc, quae maioris operis ſunt, relictis, ad illud redeo, quod mihi initio propoſitum fuit; gratulorque tibi ex animo, optoque, vt diu gradu iſto honoris perfruare, ac maiora etiam aliquando obtineas: nihil enim non dignum eſt tua virtute. . . . . tui amantiſſimus libenter & ipſe munere hoc gratulandi tibi functus eſſet, ſed multos iam dies grauiter aegrotat; quare mandauit mihi, vt ſe apud te excuſarem, ne forte tu, rem ignorans, vitio hoc illi tribueres, atque ab negligentia quadam & obliuiooe veteris veſtrae amicitiae profectum falſo putares: cum eoim ille ob plurimas ingenij dotes; politiſſimamque omnem doctrinam amandus & ſinu tenendos ab omnibus videatur, noo vnios ob inſignem probitatem, & eximiam quandam erga amicos beneuolentiam, qua viocit omnes, amplexandos, & carus habeodus eſt. Cum igitur iam & officio meo, & voluntati ipſius ſatisfecerim, finem faciam, tantum te orabo, vt, ſiquando opera mea vlla in re tibi opus eſſe iudicabis, illa fidenter vtare: oihil enim eſt, quod non libenter tua cauſa facturus ſim. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Robertello. S.

LEGI orationem toam, Robertelle cariſſime, quam haboiſti iſtic prid. Kal. Nouemb. quo die iuuentutis iſtius erudiendae fuudameota iecisti, ac libenter quidem legi: eſt enim copioſa & graois & digna, qoae non tantum ſcriberetur, ſed formis excuſa diuulgaretur, ac per omnes terras cito diſſeminaretor. Illa igitur, quod aliquando facere in animo habebam, vt oon vltra differrem, admonuit: cogitaram enim ſaepe mecum, ad te ſcribere, ac rogare, ne veteris noſtrae amicitiae obliuiſcere: cum enim interuallo non paruo locorum diiuncti ſimus, ereptaque oobis omnis ſit facultas ſimul congrediendi, niſi huiuſcemodi quibuſdam officijs mutuam beoeuolentiam conſeruaremus, periculum foret; ne aliquando illa minueretur, vel potius, vt ſunt humanae res, penitus extingueretur; cui tamen malo ex parte mea ſedulo occurram, teque etiam idem facturum ſpero, quem ſemper mirificum mei amatorem cogooui. Eo autem magis hoc fieri oportere iudicaui, quod abeuntem te a nobis, ſubito tuo diſceſſu videre, & alloqui non potui, & ſoperiore aeſtate ambo maximis occupationibus impediti, quamuis in iiſdem locis eſſemus, crebro vnà verſari, ſermooibuſqoe familiaribus frui oon potuimus: ipſe enim ſtatim liberatus moleſtijs illis, quo maxime egebam, ad reficiendum corpus, aoimumque, rus me contuli, manſique illic reliquo omni tempore, quod vacuum nobis è publicis laboribus datum erat. Quamquam, vt verum fatear, cum in diuerſis locis ageremus, excepto primo illo tempore, quo praeclaram ſocietatem amoris hic inter nos coiimus, animo potius, quam oculis ſemper cooiuncti fuimus: cum tamen Piſis humaniora ſtudia profitebare, ob vicinitatem loci, crebroſqoe nuntios, qui hinc iodc permanebant, multaſque hoiuſcemodi alias communitates tecum mihi ſimul viuere, atque in iiſdem ſedibus verſari videbar. Sed ea vis eſt veri amoris, quod me cooſolatur, vt longioquiora loca facile peragrare ſoleat, & quae multo adhuc magis, quàm nos ſimus, diſtantia ſunt, copolet, ac coonectat: id quod nobis omnino puto vſu venturum; &, ne ſpes haec mea me fallat, qoantum valeo, enitar. Peto aotem a te diligeoter, vt eidem rei incombas; deſideriomque hoc meom adioues, quod facies, ſi crebram mihi occaſiooem aliquam beoe de te promerendi dabis: nihil vero ipſe vmquam omittam, quod gratum, acceptumque tibi futurum ſentiam, ac ſi huiuſcemodi ſcribendi geoere delectabere, ego quoque ſummo ſtudio illud colam, & in omni denique re, qua potero, tuae voluntati erga me, ſigniſque non mediocris amoris, ſatisfaciam. Vale, ac me, vt facis, perpetuo ama. Florent.

PETRVS VICTORIVS
Salluſtio Piccolomineo. S.

AMAVI te plurimum, Salluſti cariſſime, cum primum iſtac iter faciens vidi, ſuauiſſimumque ſermonem tuum accepi, atque omnia denique, quae in ingenuo adoleſcente deſiderari poſſunt, in te poſita eſſe plane cognoui: amor tamen ille poſtea auctus eſt, cum mihi Roma redeunti omne itidem officium praeſtitiſti, quod veteri amico, atque omnibus neceſſitudinibus cõiuncto tribui deberet: quare a te ita diſceſſi, vt quemadmodum tibi ſaepe verbis confirmaui; omnia ſemper tua cauſa facturus fuerim. Epiſtola vero tua, quae mihi non multo poſt hic reddita eſt, & humanitatem tuam magis declarauit, & opinionem, quam habebam de tua doctrina, amplificauit: eſt enim illa & amoris & elegantiae plena, & quae grauiorem aetatem ac diuturniorem in ſcribendo exercitationem redoleat: ſed nihil eſt, quod expectari non poſſit a nobili adoleſcente, qui litterarum amore incenſus, in boniſque artibus aliquantum verſatus, deſiderio laudis flagret. Omnia igitur adhuc proſpere fluebant, non mediocremque laetitiam mihi memoria tui adferebat, cum, ecce Iacobus Griffolus, probus ac doctus vir, tuique in primis ſtudioſus, huc accedens, ea mihi rettulit, quae me vehementer conturbarunt: nam & patrem tuum, prudentiſſimum virum, in illa nobili legatione interijſſe, & te graui morbo diu conflictatum, nec dum omnino inde recreatum ſignificauit: adeo res noſtrae imbecillae caducaeque ſunt, vt tu, qui non multo antea benignitate fortunae florebas, ſubito nunc iniquitate ipſius perculſus, ac proſtratus iaceas: nam & ſummum in ſua rep. virum, patrem amiſiſſe, ſcio quem dolorem pio filio adferat; ſed impedimenti quoque non parum ad honeſta ſtudia colenda. Quid enim de morbo, corporiſque vexatione dicendum eſt, cum relictis omnibus rebus valetudini tantum ſeruire cogimur, ac de vita etiam ſaluteque in periculum venimus. Hae igitur res, vt dixi, nuntijque odioſi me magnopere commouerunt, vt in malis tamen gaudeo, te impetum morbi iam euaſiſſe; ſperoque diligentia ac ſtudio tuo breui firmum, valentemque futurum: nam ipſe quoque ſuperioribus diebus in febriculam incidi; quae tamen, vt aduentu ſuo timoris aliquid medicis iniecit, ac longiuſcula fore videbatur, ita facilem euentum habuit. Et profecto omni hoc tempore poſt reditum meum non ita, vt ſolebam, valui; neque animo valde ſedato, in ſtudijſque litterarum occupato vixi, quae cauſa fuit etiam, cur ſerius litteris tuis reſponderim; ſed id tamen bene cecidit: aegrotanti enim moleſtae illae fortaſſe fuiſſent. Hoc tamen incommodum, ceſſationemque meam, & alijs officijs, & hoc genere ſcribendi reſarciam. Tu vero toto animo valetudini incumbe, ac te cito integrum nobis, omnibus relliquijs morbi pulſis, vegetumque redde, vt ad praeclarum iter ſtudiorum, in quo multum progreſſus es, redeas, ac te omni honeſta arte, virtuteq; expolias, quod ſi poſſem vlla ratione alterutrum horum, vel vtrumque potius adiuuare, operam meam libenter pollicerer, nec vlli labori, vt tibi prodeſſem, parcerem.

PETRVS VICTORIVS
Marcello Ceruino Card. S.

SI liber vmquam aliquis, qui antea abditus in lucem proferretur, publiciſq; vtilitatibus exponeretur, merito ad honeſtum aliquem virum miſſus eſt, vt illius nomine commendaretur, gratioſiorq; exiret, hic ipſe profecto doctiſſimus in primis ſcriptor, veraeq; pietatis plenus tibi potiſſimum dicari, Marcelle Ceruine, tuoque patrocinio debuit ornari: diu namque tu; multiſque rationibus curaſti, non ſolum vt ille prodiret; ſed vt integrior etiam, nitidiorq; in manus eruditorum veniret; in quo cũ ipſe quoque non nihil laborarim, & vt grauiſſimo auctori conſulerem, & vt voluntati tuae parerem; cui ſemper omni ope placere ſtudui; mihi viſus ſum meo iure poſſe, quod rectum eſſe ſentio, ac valde comprobatum iri puto, praeſtare; cui tamen propenſioni animi mei erga dignitatem tuam acceſſit quoq;, vt par erat, iudicium optimi Principis; qui, cum a me olim accepiſſet, te magnopere ſuadere, vt primum hunc Graecum ſcriptorẽ excudi mandaret,

ret, & conſilium tuum tunc probauit, & nunc te paenè ſocium, huius laudis eſſe voluit. Quod ſi tardius geſtum eſt, nimiſque lentum negotium hoc fuit, id varijs de cauſis factum eſt: noſti enim tu optime, quot morae in huiuſcemodi rebus interuenire ſoleant; & cum quot, quantiſque difficnltatibus luctandum cotidie ſit. Per ipſum certe oon ſtetit, quin maturius multo res perficeretur: ardet enim ille deſiderio incredibili ſtudia litterarum adiuuandi, egregiamque librorum ſupellectilem a maioribus ſuis, ſommis ſumptibus, laboribuſque comparatam, per orbem terrarum diſſeminandi; quo magno beneficio iotelligit, ſe animos ſtudioſorum ſibi deuincturum. Quare nulli rei, vt hoc ad exitum perducatur, parcit; ſed quod nimis durum ſpiſſumque initium habnit, incoeptum iam pleoiore gradu fortaſſe progredietur, vberioremque, quam adbuc fecit, fructum aliquando pariet. Ioterim tu Cardioalis ampliſſime, vitaque ac moribus gradu iſto hoooris digniſſime, cape Clementem Alexandrinum tuum, quem diu optaſti, atque interpoſita auctoritate tua è tenebris eripuiſti, ſruereque iucundiſſima ſancti io primis, eruditique ſcriptoris lectiooe. Nam quod communis ille tecnm eſt omnibus, Graeci ſermonis peritis, non minore te voluptate affectum iri puto ex fructu, quem audies, vulgo ex optimis praeceptis huius ſcriptoris percipi, qnàm ſi ſolus illum domi poſſideres. Is enim tu es, qui alienis potius vtilitatibus, quàm proprijs commodis ſemper ſeruieris, huiuſcemodique animorum medicinae illis potius ſunt adhibendae, qui adhuc aegrotant, quàm ijs, qui eam ſui partem longo ſtudio, ac cura purgatam iam, ac firmam habent: magni autem admirabileſque fructus inde hauriri poſſunt: nam vt taceam, quòd varia recooditaque doctrina hi libri referti ſunt, vt grati quoque non parom eſſe poſſint his, qui ingenuis artibus, humanioribuſque ſtudijs delectantur: oemo enim Chriſtiaous ſcriptor plures locos antiquorum poëtarum citauit; nemo ſuas ſenteotias clarioribus teſtimonijs confirmauit, vt non ſine cauſa a noſtris etiam auctoribus hoc quoque nomine valde laudatus fuerit. Quot quantaque emolumenta hioc naſci poſſuot ijs, qoi grauioribus litteris dediti, cupiditate verae pietatis noſceodae incenſi ſunt; omnemque labem vitiorum è vita ſua delere cupiunt? vt enim ille obſcuras, difficileſque quaeſtioocs explicat? vt acer eſt accnſator improborum, erroremque animi illorum exagitat? Quanto ſtudio mores ſnnrum temporum uotat? qni ad nimiam iam mollitiam ob copiam omnium rerum fluxeraut, vt nobis quoq; corrigendis, delicijſque huius aetatis excutiendis noo parum tanta ſeueritas apta ſit. Quod vt facit ille ſummo ardore, vt qui noua pietate, veroque Dei cultu totus inflammatus eſſet, ita magna facultare dicendi, copiaque acutiſſimorum argumentorom peragit. Habebont igitur ſacri concionatores, qni vitae noſtrae oratione ſua moderari volunt, omneſque fibras flagitiorum euellere, vnde ſe armeot, ac munus illud ſnum copioſius, elegantiuſque obeant. Et cum hoic rei ipſe incumbat ſemper, praecipue id toto animo in tribus libris, quos Paedagogi nomine ioſcripſit, quia verum Chriſtianum inſtituunt, gerit: huic enim rei tantum illic operam dat, nec vllam vitae partem omittit, quae emendatione egeat, quam non ſummo ſtudio colat, atque omni denique culpa, quantum in ipſo poſitum eſt, liberet. Vtinam reliqua huins ſancti viri opera, eroditiſſimique ingenij monimenta conſeruata forent: nam plura ipſum ſcripſiſſe, & a Graecis memnriae proditum eſt, & ab Hieronymo, qui in receoſeodis ſanctarum litterarum anctoribus; huius quoqne vitam, ac ſcripta ſummis cum hominis laudibus, loco poſuit: non iuutilia namque & illa fuiſſent. Nos certe, quae potuimus, collegimus, & non ſine cura quoque aliqua noſtra, diligentiaque caſtigata, formis imprimenda dedimus. Nam Stromatum (ita eoim V I I I. libri ab ipſo ob varietatem lectionis vocantur) vnicum tantum illud exemplar habuimns; quod in Medicea bibliotheca cuſtoditur: In reliqnis autem emendandis tu quoqne vehementi amore, quo hunc auctorem proſequeris, nos adiuuiſti; ac conferendos a tuis, probis, & eruditis viris, cum antiquiſſimis exemplaribus curaſti. Cui etiam praeclaro ſtudio tuo liberalitate ſua opem tulit omni elegaoti, ac digna nobiliſſimo viro ſupellectile oroatiſſimns Rodulphus Pins antiſtes Carpenſis, qui è bibliotheca, quam a maioribus ſuis, doctiſſimis viris, ac maximis virtutibus, inſignibus accepit, ac ſtudio poſtea ſuo auxit, deprompſit vetuſtiſſimum exemplar Protreptici ac Paedagogi, ac tuis, vt commode ipſum tractarent, commodauit; vt inde quoque non parum opns illud purgatum ac nitidius factum ſit. Eorum antem duorum librorum prior, qui ſpectat ad hortandum, ordioe reliquos praecedit; atqne (niſi fallor) eſt, quem Hieronymus aduerſus Gentes vocat: vt enim illo ad verum Dei cultum, Chriſtianamqne pietatem homines impellit, ita eodem ſtultos ritus priſcorum reprehendit; omniaqne illic erroris ac fraudis plena eſſe contendit. Haec igitur ſunt, quae praeſidio fuerunt optimo auctori pereunti, ac paenè iam è manibus elapſo; in quo certe, vt dolendum eſt, tam vtilem grauemqne ſcriptorem

tamdiu latuiſſe; acriterque accuſandi, qui tam egregios, ac fructuoſos veterum labores ſupprimunt, ita magnopere laetandum, ipſum in vitam rediiſſe, atque omnem impetum fortunae euaſiſſe: amandique, ac toto pectore celebrandi, qui huiuſcemodi monimenta, magna ſuperiorum hominum cura, beneficioque Dei è tot incendijs bellorum, tempeſtatibuſque erepta, peruulgant, & ab omni huiuſcemodi iniuria in perpetuum vendicant. In cuius rei voluntate, ſcientiaque huius ingentis in mortale genus beneficij, nemini Dux reip. noſtrae, Coſmus Medices cedit, quamuis res alacritati animi ipſius non reſponderit; aliorumque culpa vtiliſſimum hoc negotium non valde adhuc progreſſum ſit. Vale. Florent. V. Id. Septemb. CIↃ IↃ L.

PETRVS VICTORIVS
. . . . Card. S.

MITTO ad te Cardinalis ampliſſime, Clementis Alexandrini volumen, nuper hic formis excuſum, quem vnum hoc genere ſcriptorum graui, pioque in primis delectari ſcio, tantopereque in eo ſtudio verſatum, vt culmen iam Chriſtianae diſciplinae teneas: cum autem te diligentem in conquirendis bonis auctoribus nouerim; partemque arbitrer horum librorum iam legiſſe, quorum exemplaria quaedam alibi extabant: non puto autem varium opus, multaque eleganti doctrina refertum, quod Stromatum nomine ea de cauſa Clemens vocauit, vidiſſe: id enim apud nos tantum, vt ab accuratis indagatoribus librorum accepi, inueniebatur; quo gratius acceptiuſque probitati tuae munuſculum hoc meum erit: quid autem iuris in eo habeam, vt non ſine cauſa poſſim alienis laboribus gratiam mihi clatiſſimorum virorum, atque omni genere laudis florentium aucupari, ex epiſtola, quam ad Marcellum Cerninum tui ordinis probatiſſimum virum ſcripſi, intelliges. Accipe igitur laeto animo hoc opus, nec leuitatem rei reſpice, quam nullo negotio nunc aliunde comparare poteras, ſed animum meum ſpecta, qui cum amplitudini tuae ſemper deditiſſimus fuerit, atque incredibiles tuas virtutes, vitaeque ſanctitatem merito adamauerit, in quo facile potuit, in eo tibi gratificari voluit, in maioribus rebus, quod vehementer cuperet, tibi morem gerendi facultate orbatus. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Salluſtio Piccolomineo. S.

CVM Vincentius Martellus heri ad me in Decimanum meum è vicina villa veniſſet, homo vetuſtate amicitiae valde mihi coniunctus, nec alienus a ſtudijs noſtris, in ſermone, quem mecum habuit, oſtendit, velle ſe, priuati negotij cauſa, iſtuc accedere; quo audito, ſtatim tui recordatus ſum, cogitauique, oportere me illi ad te litteras dare; quae certiorem te ſtatus mei facerent, ac teſtarentur, tui memoriam firmiter in animo meo haerere, quae numquam inde delebitur. Viuo igitur in litteris, ſimulque valetudini incumbo; quam paenè amiſeram, moleſta grauedine, omne hoc tempus, quo Roma redij, vexatus; ſed iam me hic paucis diebus clementia huius caeli refeci. Quod ſi audiero de te, valde laetabor: acceperam enim ea tibi fortunae iniquitate contigiſſe, quae vtrumque poterant perturbare, vel perturbarant potius: nam interitu patris te coactum, fortunis tuis aliquantulum contractis non parum curae impertiri, nec ſatis etiam commode valuiſſe. Sed ſpero diligentia tua vtrique malo iampridem occurſum eſſe: cupio certe, vt curſum illum in bonis artibus videam cito te confeciſſe, in quo multum progreſſus fueras; ex ingenioque tuo exiſtant aliquando hi fructus, quos maximos inde prouenturos, cum primum te cognoui, non temere indicaui. Declarationes Griffoli in poeticen Horatij diligenter legi, ac quid ſentirem de hoc ipſius labore, per litteras ei ſignificaui. Teſtimonio etiam,

quod

quod illi de recondita doctrina eius libelli dedi, mihi viſus ſum librarium mouiſſe, & tamquam calcar ad rem mature conficiendam admouiſſe, quamuis adhuc opus non inchoarit. Ego ſane non deſinam vrgere, nec tamen adhuc ſtudio, precibuſque meis hominis ingenium vinco, ita tardum eſt, ac lente omnia adminiſtrat. Tu ſalutem Griſtolo meis verbis dicito, ac me ama. Vale. Ex Decimano fundo propter Diui Caſſiani oppidum. Idib. Septemb. CIↃ IↃ L.

PETRVS VICTORIVS
Petro Angelio. S.

LEGI epiſtolam tuam, qus mihi ſignificas veterem tuum amorem erga me; deſideriumque non paruum inſinuandi te in amicitiam meam; id quod mihi valde gratum fuit: gaudeo enim mirifice, me eum haberi, cuius beneuolentia a doctis viris ſummo ſtudio expetatur; nec tamen non eodem tempore dolui, quod ijſdem cognoui, te multos ab hinc annos ad me eiuſdem rei obtinendae cauſa ſedulo ſcripſiſſe, quas litteras numquam accepi, neque verbum vllum de iſta re antea audiui: metuo enim, ne diu apud te inhumanitatis crimine laborarim, a quo vitio natura inſtitutiſque longe abſum. Recte igitur feciſti, qui mihi occaſionem me purgandi dediſti, atque hunc ſcrupulum, qui illic haerere non ſine cauſa potuiſſet, ex animo tuo euellendi; quod, vt facilius facerem, ſtatim, acceptis poſterioribus his, reſpondendum duxi: cupio enim probis eruditiſq; viris omnibus in rebus ſatisfacere, quae longiorem etiam operam, ſtudiumque requirunt, nedum in tam tenui officio, & quod nullo negotio perſolui poteſt, ipſorum voluntati non reſpondeam. Quod vero mihi gratias agis, oſtendens ad aures tuas perueniſſe, me teſtimonio meo te in obtinendo loco iſto adiuuiſſe, doctrinae ingenioque tuo gratias agas, oportet, quae te iſtuc euexerunt, & ad maiora etiam impetranda idoneum reddiderunt; ego certe quibuſcunq; rebus poſſum, ſtudioſis bonarum artium ſemper faueo. Nam, ſi gratia apud Principem opus fuiſſet; habes Antonium fratrem valde ipſi acceptum iuuenem ob ſingularem animi probitatem, incredibilemque Graecae omnis diſciplinae ac linguae cognitionem; quem ego ſaepe, & apud illum ipſum reip. Ducem, & apud eos, quos prope ſe habet, diligenter laudaui, atque omni genere verborum ornaui, quod meo iure facere me poſſe ſemper exiſtimaui: eſt enim mihi egregie cognita indoles illius, ac multis periculis factis, eruditio explorata, vt taceam nunc, quantopere in eo ad humanitatem informando, & elegantioribus litteris expoliendo laboraui. Delector tamen iſto tuo indicio, laudoque tam pium ingenium, qui omnem vndique gratum te oſtendendi anſam arripis: ita autem me officio iſto cepiſti, vt, cum a te numquam alienus, neque voluntate neque factis fuerim, conſequenti tempore nihil omiſſurus ſim, quod ad te honeſtandum, atque omni commodo augendum pertineat. Tu interim vale, atque iſti iuuentuti inſtituendae, vt facis, omni induſtria, ſedulitateque incumbe. Florent.

PETRVS VICTORIVS
Ciuibus ſuis Graecarum artium ſtudioſis. S.

VETVS illud conſilium meum vrgens, optimi adoleſcentes, iungendi vitae praecepta cum ijs, quae pariunt eloquentiam, adfero vobis Xenophontis Athenienſis ἀπομνημονεύματα, quae mecum diligenter legatis: accurata enim huius praeclari, ac diuini operis tractatione & pectus ſimul edolabitis, & linguam exacuetis: exprimitur enim ipſo imago vitae Socratis, vel potius ſanctiſſimae morum diſciplinae perfectiſſimum exemplar. Quid magis igitur vobis informandis, & ab omni labe vitioque purgandis aptum excogitari poteſt? Nam de ſermone huius elegantiſſimi ſcriptoris: dicendique genere, puro ac dulci, quid attinet dicere, cum Xenophontis voce Muſas locutas memoriae proditum ſit? Excultum autem ipſum fuiſſe omni genere virtutis, nihilq; ingenui viri proprium deſiderari in eo potuiſſe, manifeſtum eſt. Probitas tamen in pri-

mis hominis laudatur & pietas erga Deos, nec non auctorem totius vitae ac magiſtrum; cum ſecutus primus, notis quibuſdam in animo poſitis, excepiſſe voces Socratis; ac poſtea, vt reliquis quoque prodeſſent, diuulgaſſe. Vnde ἀπομνημονεύματα, hos plenos doctrinae atque elegantiae commentarios inſcripſit. Sed non poſſunt imperatoriae virtutes ipſius; ceteraeque praeſtantiſſimae laudes tam exigua pagina explicari; ſatiſque & ex ipſius ſcriptis, & aliorum optimorum auctorum monimentis exploratae ſunt. Vt autem facilius in manibus ſemper hos aureolos libros habere poſſitis, ſeparatim excudendos, non nullis locis emendatos ac meliores redditos, curaui. Si quae autem reſtant maculae, dum accuratè ſingulas ſententias perpendemus, eas delere conabimur. Vos valete, & egregiam hanc animi mei voluntatem, ſtudiumque in vobis inſtituendis, & omni liberali arte expoliendis, labore ac diligentia veſtra adiuuate. Florent. IIII. Non. Nouemb. CIƆ IƆ LI.

PETRVS VICTORIVS
. . . . . . S.

MITTO ad te, vir doctiſſime, quattuor Xenophontis libros, in quibus ea, quae a Socrate dicta ſunt, & ad dignitatem poſtea ipſius defendendam pertinentia, & ad aliorum vitam omni tempore excolendam vehementer apta rettulit: illos vero ſuperioribus diebus curaui excudendos; qua de cauſa ex epiſtola intelliges: digni autem mihi videntur in primis, qui adoleſcentibus commendentur, atque in eorum teneris animis mature imprimantur, & propter ſententiarum grauitatem, integerrimamq; diſciplinam, & propter elegantiam verborum, atque Attici ſermonis puritatem. Cum autem pleni macularum eſſent, partim illarum deleui, reliquas ijs, qui melioribus exemplaribus vti potuerint, abſtergendas reliqui: ſed ipſe quoque in ſingulis ſententijs nunc diligenter examinandis, huic curae non deero, ac nitidiores adhuc, melioreſque ipſos reddere conabor. Quod ad aures tuas peruenit, me opus confeciſſe varium ad exemplar quorundam veterum, atque inferioris etiam aetatis ſcriptorum, id verum eſt: collegi enim multa, quae olim, cum diligenter legerem Graecos Latinoſque oratores, ac poetas, ſedulo animaduerteram: ex ipſiſque iuſtum volumen effeci: id autem, ſi quem fructum ferre poteſt ſtudioſis bonarum artium, propediem edetur. Tu vale, ac tibi perſuade, te mihi carum, acceptumq; eſſe, cupereque me magnopere, quicquid poſſum tibi gratificari.

PETRVS VICTORIVS
Bernardo Maphaeo Card. S.

SAEPE ad te ſcribere aliquid Latine cogitaui, Maphaee ampliſſime, atque in omni litterarum genere politiſſime, vt tuam aliquam epiſtolam elicerem, in quo tu plurimum vales, atque eius quidem rei occaſiones praeclarae aliquando ſe mihi obtulerunt, quas tamen, neſcio quo modo, elabi mihi è manibus paſſus ſum; vel cum tu egregijs tuis meritis a ſapientiſſimo omnium, grauiſſimique iudicij viro, Paulo III. Pont. Max. in altiſſimum iſtum dignitatis gradum cooptatus es: poſtulare enim videbatur tanta dignitatis tuae acceſſio hoc officium a me, qui te ſemper amaui, ac quantum etiam mediocritate ingenij mei, teſtimonioque fieri potuit, creſcentes laudes tuas ornaui: Vt quemadmodum valde tunc gauiſus ſum nuntio illo, ita laetitiam animi mei monimento aliquo litterarum indicarem. Quod tunc igitur non ſine quadam culpa mea commiſi, id nunc facere nullo modo volo, neque in eodem negligentiae crimine rurſus peccare, vt non ſignificem verbis meis, quod tibi, quaſi alumno ipſius, maximam voluptatem allaturum confido, quamuis id multo ante aliorum litteris te arbitrer accepiſſe, Alexandrum Farneſium, & ſacerdotij dignitate maxime venerandum, & multis varijſque virtutibus admirandum, incumbere hic toto animo ſtudijs litterarum: ac tantam diligentiam in principibus Graecorum & Latinorum oratorum accuratè legendis ponere, vt quemadmodum cum res tulit, in rep. Chriſtiana regenda, maximiſque publicis negotijs adminiſtrandis magna cum laude verſatus eſt, ita, ſi hoc otio ei frui licebit, quo vtitur optime, gloriam

hinc non paruam conſecuturus videatur. Quantum ſit ingenium hominis non ignoras, quanta memoria, iudicium verò vſu multarum rerum expolitum faciliorem etiam viam harum artium faciet. Vellem honeſtiſſimam hanc optimi iuuenis voluntatem ſtudiumque ardens magis adiuuare poſſe; quantum certe valeo, enitor, aſſiduoque vna lego. Vnde libentius ad ſcribendum, teſtificandumque, quod praeclarè noui, motus ſum. Nam quod maiore admiratione dignum eſt, de conſtantia ipſius fortitudineque animi in toleranda hac iniquitate fortunae, puto, te multorum litteris admoneri, quamuis & ipſe egregius teſtis harum ipſius virtutum eſſe poſſim: neque enim, qui tranquillum animum ſedatumque non habet, attente poteſt grauioribus ſtudijs vacare, ac multas diei horas cum Muſis conſumere. Adiungerem verae huic narrationi, quam grauiter ſe integreque apud nos gerat, quàm nullum ipſius ſit neque dictum, neque factum, quod reprehendi vllo pacto poſſit; vel potius quod non meritò laudari debeat, ac dignitati grauiſſimae, quam ſuſtinet, perſonae mirifice conueniat: quanta denique erga noſtros humanitas, & in omni ſermone comitas ipſius ſit, commemorarem. Vnde tantum ſibi amorem, gratiamq; vulgo conciliauit, vt feratur in oculis ab omni ciuitate, atque vno omnium ore celebretur. Sed mihi hoc nunc propoſitum non fuit, maiores ipſius laudes attingere, tantum tibi exponere alacritatem ipſius volui in recolendis optimis artibus, quibus cum a prima aetate, voluntate, ſtudioque optimi ac Max. Pont. imbutus eſſet, poſtea inde abreptus aeſtu maximarum curarum, ad eas nunc, concedentibus temporibus, reuertitur: ac cum maiores aliquando, iucundioreſque ex ipſis fructus ſe capturum putet, iam nunc ſentit, illas non mediocre perfugium eſſe ac ſolacium praeſentium malorum. Vale, ac me, vt ſemper feciſti, ama. Florent. III. Id. Decembr. CIↃ IↃ LI.

PETRVS VICTORIVS
Ciuibus ſuis, Graecarum artium ſtudioſis. S.

QVIA toto animo ſemper culturae ingeniorum veſtrorum incubui, omnibuſque modis tentaui animum veſtrum expolire, confectis iam explicatiſque Ariſtotelis libris de vita & moribus ad Nicomachum filium, Platonis aliquid epularum vobis apponere volui, vt elegantiam verborum, numeroſque doctiſſimi ac politiſſimi ſcriptoris deguſtetis; ac longè alium res obſcuras tradendi modum, ingenuoque, ac graui viro magnopere dignum, videatis. Sumpſi autem è multis ſermonem habitum a Socrate de amicitia: nam res ipſa praeclara eſt, & ad vitam honeſtè iucundeque degendam, omnibus accommodata: vobis autem in primis, vnius patriae ciuibus, amanda atque auidè amplexanda. Praeterea copioſe ſubtiliterque hic locus duobus libris ab altero illo doctore tractatus eſt, vt materiem iam planè cognitam habeatis. Reſtat nunc ſententias eruditiſſimorum auctorum inter ſe conferre, ac diligenter ſingula perpendere, ſi qua fortè diſſenſio inter ſummos viros ſit. In quo ego dux veſter ero: cunctaque, quae perſpicere potero, magno adhibito ſtudio, iudicabo. Libellum autem hunc, commodi veſtri cauſa, non nullis locis purgatum, ſeparatim a reliquo opere, excudendum curaui. Valete. V. Kal. Feb. CIↃ IↃ LI.

PETRVS VICTORIVS
. . . . S.

ACCEPI tandem, vir optime, litteras tuas amantiſſime ſcriptas, cum illae diu antea multorum manibus iactatae fuiſſent; quod mihi non mediocrem dolorem attulit. Vereri enim primo coepi, ne tu, quod non ſtatim reſpondiſſem, aut negligentiae meae, aut ſuperbiae tribueres: quorum, non facilè dixerim, vtrum magis reformidem; ab vtroque certè mihi vitio videor, & natura, & moribus abhorrere. Non multo poſt tamen me conſolatus ſum, nec eſſe timendum putaui, ne de cuius ingenio & indole tu paulo antea tam praeclarum iudicium feciſſes, ſubito ijs criminibus, ine-

ptijſque eſſe affinem cenſeres, cum hoc ipſum, quod accidit, & alia etiam non nulla huiuſcemodi, quae me culpa liberarent, vſu veniſſe potuerint. Verum de hoc, fretus conſcientia mea, ac prudentia tua, amplius me non purgabo. Gratiſſimae autem illae mihi, quoquo tempore redditae ſunt, fuerunt: ac plurimum laetitiae merito attulerunt; cur enim non gaudeam, audiens labores meos fruſtra ſuſceptos non fuiſſe; nec me operam & oleum in tam magno opere moliendo, penitus perdidiſſe? Atque ab eo quidem audiens; qui de ijs rebus egregie iudicare poteſt, cum eas praeclarè intelligat, & nuper etiam in ipſis toto animo volutatus ſit. Habeo igitur tibi gratias immortales, quod me magna delectatione affeciſti: voluptatem enim hanc, ſtatuo, verum eſſe, ac ſolidum fructum tantarum vigiliarum. Epiſtola verò tua, vel potius claro quodam praeconio laudum mearum tamquam firmo teſtimonio ſemper vtar in honore meo conſtituendo: cum enim inanis laudis cupidus ac popularis exiſtimationis nullo tempore fuerim, voces honeſtorum virorum auctoritatemque numquam dnxi eſſe negligendas, ſed magis ſedulo vndique colligendas. Perge autem quaeſo in via iſta, quam ſponte iniſti, ſcripta iſta commendandi, ac dignitati meae ſummo ſtudio ſuffragandi: alacriorem enim me multo ad huiuſcemodi aliquid aggrediendum reddes; atque eo magis eodem amore ac beneuolentia ductus illa complectere, quo magis voculis maleuolorum ipſa laedi animaduerteris: nec tamen recuſo, ſi qua in re lapſus ſum, quod in tam arduo ac difficili opere paenè neceſſarium fuit; quin graues & eruditi viri me corrigant, ac libere errata mea reprehendant; quin potius beneficij loco, ac ne mediocris quidem hoc accepturus ſum: propoſitum enim meum fuit politae doctrinae, quae traditur illis libris ac diuiniſſimo huic eruditiſſimi viri monimento lucis aliquid induſtria mea adferre. Quomodo igitur iraſci poſſum ijs, quibus idem σκοπὸς eſt: quique ſedulitate ſua ſtudioſis artis dicendi opem ferre conantur? Nam quod tu omnes hos parum progredi poſſe arbitraris, aut ne in hanc quidem palaeſtram ingredi auſuros, tribuo id admirabili cuidam animi tui bonitati, ac beneuolentiae, qua me ſemel, quamuis abſentem, complexus, omni ratione, qua potes, ornas. Sed cum ſperem, me alias ad te litteras ſaepe miſſurum, in his longior non ero: cogito enim de communibus ſtudijs aliquid aliquando tecum conferre viro, quem multo antea doctiſſimum eſſe multorum commemoratione audiueram: modo autem amantiſſimum mei certis indicijs animi tui expertus ſum. Vale. Florent. VII. Kal. Ian. CIƆ IƆ LI.

PETRI VICTORII EPISTOLARVM

Liber Tertius.

PETRVS VICTORIVS Alexandro Farneſio Card. S.

CVM primum Chriſtianae reip. ſtatu magna cum animi tui moleſtia, perturbato, te ad nos contuliſti, Farneſi ampliſſime, cogitare coepiſti, quemadmodum otium illud, quo tunc abundabas, honeſte traduceres: ac ſine multa controuerſia cognouiſti, veniſſe tempus, quo diuturnam ſitim expleres; totoque animo ſtudijs bonarum artium incumberes: cum enim cupidus ſemper earum fueris, ac ſuauiſſimos muſarum fontes puer deguſtaris, abreptus tamen inde aeſtu maximorum negotiorum, grauiſſimiſque occupationibus impeditus; non ſine morſu aliquo doloris ingenua hac propriaque liberorum hominum voluptate multos annos caruiſti. Quare nunc, permittentibus non ſolum temporibus, verum etiam poſtulantibus, totum te litteris inuoluendum eſſe cenſuiſti: ex quibus etiam praeſens hoc commodum caperes, quod auxilio illae tibi ſint ad minuendum maerorem, quo conficeris, tanto incendio belli excitato, ac tot tamque grauibus malis impendentibus. Quamuis autem habeas tecum, & eruditos plures, & eloquentes viros, cuius hominum generis ſemper domus tua referta fuit; me tamen quoque in partem huius laboris vocaſti; ac tecum optimos & Latinae & Graecae linguae oratores diligenter legendos ſtatuiſti. Tam honeſtae igitur voluntati tuae omni ratione ſeruire cupiens, lectionemque grauiſſimorum ſcriptorum adiuuare, ſuaſi tibi, vt legeres commentarium Demetrij Phalerei, quo accurate ille tradidit omnes elocutionis virtutes; ſimulque vitia eiuſdem, vt facile caueri poſſint, oſtendit: cum enim Demetrius diſertus in primis orator fuerit, ac dicendi laude Athenis floruerit, artificij illius, quod tractabat, naturam vimque ſcriptis ſuis declarauit. Nihil autem elegantius eruditiuſque hoc libello legi poſſe, ſemper exiſtimaui. Partem verò huius artis exponit; quae, cum ceterae, mutatis moribus ciuitatum, pulſaque è foro eloquentia, iaceant, ſemper vigeat, neceſſe eſt: donec enim oratio manebit, nec taciti congreſſus hominum erunt, magna ex parte praecepta haec expoliendi ſermonis, perſuaſioniſque adiuuandae valebunt. Iuuit autem me ſemper, principes cuiuſque ſtudij, diſciplinaeque auctores tractare: minutos vero plebeioſque earundem rerum magiſtros relinquere: Quamuis adiutum hunc ab optimo omnium doctore non negarim, cum eadem ferè perſequatur, quae prima parte tertij rhetorices libri Ariſtoteles docet: Quin eo magis nobis gratus eſſe acceptuſque do-

ctiſſimus

ctiſſimus ille auctor nobis praecepit, apertius mnlto, copioſiuſque Demetrius explicarit. Nam grauiorum etiam artium cognitione inſtructum fuiſſe hunc polititſimum ſcriptorem; multoſque philoſophiae locos obſcuros graueſque litteris ſuis illuſtraſſe, memoriae proditum eſt: fuit enim Theophraſti auditor; vnde facile & ſnauitatem illam orationis, & ſcientiam rerum optimarum hanrire potuit. In rep. quoque Athenis, quam optime digeſſit, cuiuſq; clauum ſpatio decem annorum tennit, magna cum lande ipſum verſatum, memoriae proditum eſt: Quamuis non deſint rerum Graecarum auctores, qni eum vexent contumelijs; regnaſſeque in libera ciuitate obijciant. Vnde, conuerſis poſtea rebus, patria pulſus eſt iniuria; acerbitatemque animi ſui, ac virus, cum in auctorem ſaeuire non poſſet, multitudo Athenienſis in ſtatuas imagineſque eius euomuit, trecentas, quas ei breui ſpatio temporis erexerat, tanto ſtudio prius illum ornandi, atqne ingentia merita compenſandi, exarſerat, minore multo interuallo euertens; tanta eſt concitatae concionis inſania; ac tam ingrati ſaepe animi aduerſus anctores maximorum beneficiorum. Nam prudentia ſua Demetrius, gratiaque, qua apud Caſſandrum florebat, eripuerat ciuitatem è maximis malis; licentiaeque populari moderatus fuerat, ac placidos ipſi frenos vtileſque adhibnerat. Hoc quoque me impulit, vt ad doctrina & rebus geſtis clarum ac nobilem clariſſimum, nobiliſſimumqne virum inuitarem: hortarerque & ad praecepta haec orationis ſeruanda, & ad omnem ipſius vitam imitandam. Illi autem, vt multis nominibus ſimilis es, ita Deus Opt. Max. faxit, vt exitum diſparem moleſtiarum tuarum conſequate; ſaluuſque ac florens, vt probitate tua innocentiaque dignum eſt, domum reuertare. Demetrius namque, cum ad Ptolemaeum, qui σωτὴρ vocatus eſt, Alexandriam confugiſſet, in illa ipſa terra, importunitate impotentiſſimi hominis, qui ipſi in regnum ſucceſſit, vita priuatus eſt: tu verò hnmanitatem fidemque maximi pij Principis, firmam ſemper ac ſtabilem, cui ſalutem tuam crederes, delegiſti: & in eius ſinum, tamquam in tutum aliquem portum, & ab omni impetu ventorum remotum, te conieciſti. Non ſolum autem ego pro tua incolumitate vota facio, ſed vniuerſa ciuitas ſummis precibus obteſtatur Deos immortales, vt cito haec tempeſtas tranſeat; ſenſuſque animi tui, ſtudioſi pacis, ſeiunctique ab omni cupiditate rerum nouarum, omnibus pateſcanr. Dolet autem illa rebus tuis aduerſis, capta admirabilibus tuis virtutibus: ita enim te geſſiſti apud nos, vt merito te illa diligere ac ſuſpicere debeat, tamquam exemplum quoddam continentiae, ac priſcae grauitatis. Quis enim vmquam in ſenectute temperantior, quàm tu in aetatis flore conſtitutus omne hoc tempus vixeris? cum a culpa non tantum vitioqne afueris, ſed omnem omnibus male ſuſpicandi occaſionem eripueris. Quis in toleranda iniuria, fortunaeque iniquitate patientior? cum ne querela quidem vmquam vlla ex te audita ſit. Quis denique in omni ſermone comior? vt non ſine cauſa illa, tamquam de caelo lapſum intueatur, atque omnia tibi ſecunda optet. Sed ego, vt vnus è multis, magnopere delectatus ſanctitate vitae tuae, ſtudiiſque honeſtiſsimis, quae mihi magis, cotidie domum tuam frequentanti, nota ſnnt, voluptate huins commemorationis aſportatus, paenè propoſiti mei oblitus ſum; nec cogitaui laudes tuas anguſtam hanc paginam capere non poſſe; nec opportunum tempus earum explicandarum hoc eſſe. Quare, his nunc relictis, ad Demetrium redibo; qui cum politiſsimus ſcriptor ab eo, qui iudicare poterat, in omni oratione ſua vocatus ſit: iniquitate autem temporum, atqne inſcitia hominum ſuperiorum contaminatus foret, ac turpiſsimis maculis inquinatus, a me ſummo ſtudio purgatus eſt; ac ſi non omnino reſtitutus, multis tamen partibus nitidior redditus. Vſus autem ſum in mendis tollendis ratione illa, quam ſemper probaui: ſcripta enim ipſius, antiquaque exemplaria ſedulo conquiſiui; pluribuſque, gratia ac ſtudio amicorum collectis, me totum ad auctoritatem eorum contuli, vt paucis admodum in locis, cum id tuto fieri poſſe viſum eſt, opinione coniecturaquo vſus fuerim. Non decuit autem illnm tot tantiſque vulneribus deformatum ad te mittere, cum paenè nulla corporis ipſius pars integra reſtaret: nam foeditas ipſius te auertiſſet ab amore: ego autem cupio, illnm tibi in delicijs eſſe. Accipe igitur Demetrium opera mea paenè a morte reuocatum: &, vt facile in manibus haberi poſsit, in enchiridion tranſlatum. Vt autem, quid de obſcurioribus ipſius locis ſentiam, cotidie ex me accipis, ita plenos in illum commentarios, quos habeo inſtitutos, propediem expecta: ſtudeo enim quacunq; ratione poſſum, vt elegans doctrina huius libelli, qui adhuc iacuit, ab omnibns intelligatur; atque inde fructus, quos vberrimos ferre excultus poteſt, vulgo capiantur. Vale, ac me amplitudini tuae deditiſsimo, quibuſcunque in rebus tibi commodum eſt, vtere. Florent. Idib. April. CIↃ IↃ LII.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Caſae Archiepiſcopo Beneuentano. S.

CVm & ipſe praeclarè intelligas, quantopere te diligam; ſingulareſque animi tui dotes, atq; ingenij magnitudinem admirer; & non pauci praeterea alij communes amici, politi ac diſerti viri; qui ſaepe me & probitatem tuam & doctrinam celebrantem, ac veris laudibus in caelum ferentem audiuerunt, iampridem deſiderio quodam incredibili exarſi, animum meum erga te cupidis litterarum indicandi; ac, quod iudicium fecerim de pluribus ac maximis virtutibus tuis, declarandi: quamquam teſtimonio meo illae non egent, ſed ſuis viribus nixae, per ſe ſatis clarae ſunt, atque magnificè per omnium ora vagantur. Cum autem non viderem, quo modo conſequi poſſem, quod vellem: nam genus ſcriptorum meorum huiuſcemodi non eſt, vt longinquas terras peragrare poſſit; citoque ad aures eruditorum hominum ſua commendatione peruenire, tenui me vſque ad hoc tempus; expectauique, dum cum aliquo eximio praeſtantique auctore epiſtolam hanc meam coniungerem, cuius fauore gratiaque illa adiuuaretur, & tamquam alas ad volandum caperet. Cum igitur laboribus meis, qui vt tenues atque humiles ſunt, ita fideles vtileſque non ſine cauſa fortaſſe dici poſſunt, libros Ariſtotelis de optimo ſtatu ciuitatis integriores, vt puto, reddiderim, ac multis labibus expurgarim; eoſque poſtea, magna adhibita diligentia, imprimendos curarim, ad te illos mittere decreui: teque ipſum tamquam arbitrum atque exiſtimatorem facere iudicij, ſedulitatiſque meae; vnoque tempore cupiditati illi veteri ſeruire. Huiuſcemodi namque eſt opus hoc, vt quicquid ſibi adnexum fuerit, ſine vlla dubitatione ſit in illuſtri loco poſiturum. Iuſtam autem hoc faciendi illam quoque cauſam habui, quod a ſtudio diligentiaque tua in hoc conſilio meo adiutus ſum: miſiſti enim ad me peramanter ſuperiore anno, quae in his libris accuratè legendis, & cum antiquis exemplaribus conferendis, adnotaras: vt enim totius philoſophiae ſtudio teneris, ita partis huius, quae ad mores pertinet; viamque bene ac beate viuendi monſtrat, cupiditate flagras: id namque perſonae, quam ſuſtines, praecipue conuenire videtur, cum in eo dignitatis gradu locatus ſis, vt te ipſum ſpecimen continentiae, grauitatiſque (vt facis) praebere omnibus debeas; & aliorum vitam factaque tamquam è ſpecula aliqua intueri. Huic verò etiam muneri fungendo, ac noſtris hominibus corrigendis, ab omnique vitio ac culpa retrahendis & Platonis & Ariſtotelis monimenta proſunt; quae diligenter tractaſti, vt ſcripta tua, eruditionis atque elegantiae plena teſtantur: non enim facere poſſum, quin laudem hanc tuam tangam: ac de mirifica vi ingenij tui loquar, cum Latinè ſoluta oratione Ciceronem exprimas; & in lyrico carmine pangendo cum Horatio certes; vel potius, ſecutus veſtigia Thebani poëtae, granditatemque ipſius ac ſpiritus adeptus, magnopere illum laudatum ſuperes: quam etiam gloriam in patrio ſermone colendo conſecutus es; ac geminam hic quoque palmam accepiſti: qui noſter ſermo poſt Graecum Latinumque, primum elegantiae copiaeque verborum nunc locum tenet; ac diuinorum ingeniorum monimentis auctus atque illuſtratus eſt. Vnde meritò homines tantam naturae tuae vim, ſeu artem admirantur, nec cogitare ſecum poſſunt, quomodo tam diuerſis inter ſe rebus, ac paenè repugnantibus efficiendis par eſſe potueris. Sed vtinam, vt ingenio vales, animique robore plurimum polles, ita corpore firmior eſſes: maiores namque fructus ex doctrina ingenioque tuo caperentur; qui nunc imbecillitate valetudinis, articulorumque doloribus, ſaepius quàm vellem, te opprimentibus, impediuntur. Verum humanae res huiuſcemodi ſunt, nihilque integrum vndique ac vegetum apud nos inuenitur: cum enim animi dotibus in primis floreas, externaque etiam bona fortuna tibi copioſe diligita ſit; hoc vnum moleſtum eſt, ac vitam vndique beatam violat. ſed vt animi bona longe praeſtant bonis corporis, ita tu, expletus cumulatuſque illis, aequiore animo tentari te aliquando parte hac ferre debes; praeſertim cum diligentia, curaque tua modereris huic incommodo, & continentia impetum morbi coerceas ac frangas. Virtutes autem illae tuae ſolidae ac firmae, quae vno omnium ore celebrantur, ac mirificos ſui amatores cotidie inueniunt, cum honore non paruo dignitateque decoratae ſint, videbantur adhuc altiore gradu dignae, vt probi viri non ſine cauſa ſaepe queſti ſint, tibi eum honorem delatum non eſſe, ad quem alij, minoribus

fortaſſe

fortaſſe laudibus commendati, facile peruenerunt. Nec tamen non Alexander Farneſius, optimus ac clariſſimus iuuenis, tuique amantiſſimus, qui plurimum olim in hoc potuit, ac de probitate doctrinaque tua egregie ſemper ſenſit, non magnopere pro te laborauit, vt mihi ipſe crebrò, cum apud nos maneret, commemorauit: & tibi enim ipſi honorique tuo toto animo fauebat, & hanc rem auo ſuo Pont. Max. laudi datum iri intelligebat. ſed vincit ſaepe omnia omnium ſtudia fortunae iniquitas ac fatum ipſum, quod tibi tunc, non ſine damno ſummi ordinis, contigit: cui, quamuis ampliſſimo, ac ſanctiſſimis pluribus honeſtiſſimiſq; viris fulgenti, ſplendoris aliquid decoriſque virtutibus tuis attuliſſes. Vera tamen laus eſt, dignum ſe praebere maximis honoribus, non altiſſimum dignitatis locum adipiſci. Ignoſces autem mihi, ſi hoc vulnus nunc refricui: vt enim te reliquis bonis inſtructum libenter video, ita hac quoque ſpecie auctum incredibiliter cupio. Libri vero hi, qui meritò tibi ſemper cari fuerunt, erunt, vt opinor, nunc gratiores, opera ac ſtudio meo expoliti: & quia omnia mea tibi grata iucundaque eſſe conſuerunt, & quia multae inde maculae deletae ſunt, quae ſententiarum luminibus officiebant. Eos autem, quamuis olim manibus contriueris, crebrò tamen releges: quae enim lectio iucundior eſſe fructuoſiorque poteſt ei, qui & honeſto loco in nobiliſſima ciuitate natus ſit, & cum pectus cognitione bonarum artium munierit, in rep. quoque Chriſtiana tuenda verſatus ſit, pulcherrimamque ipſius partem ſuſceperit: miſſus enim nuntius ad Venetorum eximiam, praeſtantiſſimamque remp. a ſapientiſſimo Pontifice, acerrimoque humanorum ingeniorum exiſtimatore, Paulo III. munus illud integre ſapienterque obiſti, ac teſtimonio grauiſſimorum ciuium, iudicioque prudentiſſimi ſenis laudatus inde diſceſſiſti. Non parua autem laus eſt, vniuerſae ciuitati, honeſtae praeſertim ac graui, vitam factaq; ſua probari, ſummoque viro, atque omni aetate in maximis curia negotijſque verſato, placere. Nam amores illorum ciuium in te: ac quantum ipſi doctrinae, probitati, morum elegantiae, comitati tuae tribuerint, cui notum non eſt? Quae cauſa in alijs non nullis etiam fuit, vt his miſeris calamitoſiſque temporibus te eodem contuleris, caelique iſtius benignitate atque hominum charitate laetus perfruare: Ipſe autem, qui commoda fortunaſq; tuas aliter adiuuare non poſſum, precor Deum Opt. Max. vt res tuas ſecundas ornet, atq; aduerſis auxilium ferat: in primiſque odioſo morbo leuet, vt diu amicis praeſidio eſſe poſſis, atque vti virtute tua ſine moleſtia vlla, ſiue in ſtudijs litterarum, ingenuiſque artibus colendis, ſiue in procuratione reip. maximiſque rebus gerendis: vtrique enim perſonae ſuſtinendae maxime idoneus es: & potes ambas hás vitas, quae rarò admodum coniunguntur, ſumma cum laude gloriaque colere, ac principem etiam in ipſa locum non magno negotio obtinere. Vale, & me, vt facis, ama. Florent. Idib. Quint. CIↃ IↃ LII.

PETRVS VICTORIVS Roberto Nobili. S.

ACCEPI litteras tuas, adoleſcens optime, ſed accepi ſero, atque ita ſero, vt neceſſe ſit, fuerim a te ſaepe omni hoc tempore negligentiae inſimulatus, quod illis humaniſſime ſcriptis, ac plenis amoris erga me, tanto interuallo non reſponderim: neque enim arbitror tibi vnquam in mentem veniſſe a me id ſuperbe factum: praeter enim quam quod hoc valde abhorret a moribus meis, non tam ſtultus ſum, vt adoleſcentis, gratia atque opibus florentis, tam propenſam in me voluntatem aſpernaturus fuerim. Doleo igitur mirifice me hoc nomine diu tibi ſuſpectum fuiſſe, cum culpam tamen alij ſuſtineant: illo enim tempore, quo ipſas Ancone datas video, vrbe aberam: conſueui namque omnem paenè autumnum ruri conficere: cum autem plures iam antea dies redijſſem, mihi illae redditae ſunt: Quare nunc me tibi purgare volui, ac ſimul gratias agere: neque enim aliter tantam humanitatem tuam compenſare poſſum: nam quod oſtendis a teneris vnguiculis tibi impreſſum, vt praeſtanti doctrina viros diligas, ac venereris, ſatis hoc quidem indicium certum eſt magnae indolis; planeque declarat ingenuarum artium deſiderio te correptum; cum eos, qui dignitatem aliquam in ipſis conſecuti ſunt, ſuſpiciaa, atque admirere; in quibus quem locum ipſe teneam, neſcio; Quicunque certe ſum, ac quantum ingenio valeo, ſtudeo vigilijs meis prodeſſe iuuentuti. Quamuis autem liquido intelligam, opus non eſſe, te ad ſtudia litterarum hortari; audebo tamen, officij gratia id facere, ac quaſi currentem incitabo: cum enim litterae magno praeſidio ſint omni hominum generi, ac co nditioni, in primis multum decoris ac dignitatis adfe-

runt

runt ijs, qui ſua ſponte honeſti ſunt, atque a fortuna ipſa, benignitateq; Deorum immortalium in altum tolluntur, quod tibi profecto contigit. Adiungitur huic rei, quòd hoc tam egregio inſtrumento praeclarorum facinorum, maioribus in rebus illi vti poſſunt, quam qui inferiore loco nati ſunt, nec tam amplum campum earum explicandarum habent. Perge igitur alacris in iſta ratione, incumbeque toto animo, dum licet, ſtudijs litterarum: veniet enim tempus, ſperatum ſane illud & optatum, cum tu auctus dignitate, creſcente aetate, partem aliquam feras, & eam quidem non paruam maximi oneris, quod maioris auunculi tui humeris, conſilio Dei Opt. Max. impoſitum eſt, atque ita tamquam aeſtu quodam negotiorum ex vmbraculis muſarum abripiare, ac quae domi didiceris, in apertum ſolemque proferre cogare. Intelligens vero ipſe quanti referat, multò antea ſe ad aliquam curam praeparare, & quam viam ſtudiorum mature ingredi debeas, cupiens oſtendere (quamquam non deſunt domeſtici praeceptores & magiſtri) miſi ad te libros Ariſtotelis de rep. quos nuper imprimendos curaui multis locis (niſi fallor) diligentia mea emendatos, ac meliores redditos: ſimulque vt leue hoc munuſculum, ſi tibi ſupra peoitus purgatus non forem, reliquam curam ſuſcipiat tuendi mei, & in animum tuum inſinuandi; quod non magno negotio ipſum confido facturum, cum ſponte tua viam amicitiae noſtrae muniendi, & ampliſſimam ianuam ipſi patefeceris. Vale & opera mea, ſiqua in re tibi vtilis eſſe poteſt, arbitrio tuo vtere; Dionyſiumque tuum, probum & eruditum, vt video, virum, ac ſemper cognoui, ſaluta: quomodo enim non praeclare ſentire de doctrina ipſius & officio meo debeo, cum, praeter alia documenta, quae huius rei habeo, tam egregie diſcipulum inſtruxerit, & hac, quae in tuis litteris perſpicitur, facultate latine ſcribendi exornarit: quod vero eundem mei cupidum eſſe narras, non miror; facit enim ille, vt ſolet, gaudeo tamen immortaliter: nulla enim rès me tantopere obleƈtat, quantopere audire rationem ſtudiorum meorum doctis, ac prudentibus hominibus probari, gratoq; animo ab illis accipi incommoda, quae ſuſtineo in eorum laboribus minuendis, & elegantioribus litteris excolendis. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Bartholomaeo Marantae. S.

THEOPINVS Rhodomontius, natione Germanus, qui, cum Neapolim veniſſet, viſendae iſtius pulcherrimae vrbis cauſa, comiter a te acceptus eſt, cum ad nos redijt; ſecum portauit cythiſi ſemen, quod dicebat a te accepiſſe, valdè perito homine harum rerum: eiuſque partem mihi dedit, vt ſererem, quod feci, magna adhibita cura, ac diligentia; nec tamen illud exortum eſt, neſcio qua de cauſa, quod ſanè miratus ſum: nam integrum videbatur, & ego terram antea ſubigendam diligenter curaueram, tempuſque etiam idoneum delegeram, ac nihil denique diligentiae omiſeram: cupiebam enim vehementer videre fruticem tantopere a veteribus ſcriptoribus celebratum, ac ſummis laudibus in caelum ſublatum. Rogo igitur te, atque omnibus precibus obſecro, des operam, vt ego rurſus experiri poſſim, faſciculumque eius ſeminis ad me mittas, cum tempus ipſius legendi tibi aptum videbitur: vereor enim, ne illud abſolutum perfectumque fuerit, cum ne granum quidem vnum ipſius è terra exierit. Sed quid opus eſt, me nunc haec accuratè exponere, cum tibi praeclarè omnia cognita ſint, plurimumq; ſtudij poſueris in ſtirpium omni genere, naturaque inquirenda, ac tantum in hoc ſtudio profeceris, vt alijs etiam, labore tuo plurimum prodeſſe potueris. Hunc verò fruticem, ignotum hac aetate omnibus è tenebris erueris; ac manu paenè ipſum monſtraueris. Litteras meas, quibus epiſtolae tuae ſubtiliter ſcriptae reſpondi, arbitror, te accepiſſe, nec non etiam volumen Demetrij, quod Rhodomontins ipſe, vt liberalis homo, gratuſque erga te, omnino ad te ſuo nomine mittere voluit: nam nihil poſtea de illis rebus audiuimus. Tu, ſiquid vmquam tua cauſa potero, gratum mihi facies, ſi me admonueris. Cupio enim mirum in modum ſeruire commodis amicorum: in primiſque doctorum hominum, & totius antiquitatis ſtudioſorum, qualis tu in primis es, nec vllum vmquam laborem eius rei cauſa, recuſabo. Vale, ac me mutuò ama. Florent.

PETRVS VICTORIVS
. . . . . . S.

LITTERAS tuae Kal. Febr. datae gratiſſimae mihi fuerunt: perſpexi enim in illis ſuperiorem tuum animum erga me egregium illum quidem, ac plane fraternum, nec non ingenij elegantiam haud mediocrem: ad eas autem quod ſero reſpondi, ſpero te mihi ignoturum: ſum enim in ſtudijs litterarum multis modis plurimum occupatus: praeterea non ſunt epiſtolae noſtrae huiuſcemodi, vt in illis aliquid aliquando negligentiae admiſſum incommodi quippiam parere poſſit: nam, ſi periculum vllum huius rei fuiſſet, omnem cunctationem abieciſſem, atque huic rei toto animo incubuiſſem. Interitus gentilis tui doctiſſimi viri fuit mihi permoleſtus: acceperam enim a multis, eum eſſe probum virum, ac valde officioſum, ſed cum ille ſenex iam eſſet, ac graui morbo conflictaretur, aequo animo ferendum eſt, eum è ſummis doloribus ereptum eſſe, praeſertim cum monimentis ingenij ſui ſemper viuus futurus ſit. Mitto ad te Demetrium περὶ ἑρμηνείας, quem modo excudendum curaui; qua de cauſa ex epiſtola, quae ante librum ipſum poſita eſt, intelliges. Spero, munuſculum hoc tibi ſtudioſo artis dicendi, atque eius abditas ac penetrales ſedes perſcrutanti, acceptum futurum. Aliud autem & ipſum non paruarum vigiliarum opus in manibus habeo, quod cito, niſi per impreſſores ſteterit, peruulgabitur: confeci enim volumen ſimile Noctibus Atticis in XXV. libros diſtinctum, quibus varij loci veterum ſcriptorum declarantur, & non pauci etiam emendantur. Studeo igitur, vt vides quantum tenuitate ingenij mei fieri poteſt, ac quantum mihi moleſtiſſimae occupationes concedunt, prodeſſe omni iuuentuti, deſiderio bonarum artium captae: nam huic noſtrae praeſto ſemper ſum, ac publice priuateque ſumma diligentia deſeruio. Alteras poſtea tuas breues accepi a Hieronymo Sementio Principis veſtri legato, qui cum diuerſaretur hic apud affinem meum, eoque forte acceſſiſſem, lectis illis, omnia mea officia ipſi obtuli, quod me, vt facerem, diligenter rogaras, ac re ipſa cum opera mea illi opus erit, praeſtabo. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Alexandro Farneſio Card. S.

SPERABAM epiſtolae argumentum, Alexander ampliſſime, qua tibi vigiliarum hoc mearum munus dicare ſtatueram, laetius futurum, ac quale maximè conueniret ſtatui illi rerum, quem tibi ſemper ipſe, atq; omnes boni optarunt; capiebamque animo iam voluptatem non paruam, cum cogitabam, me facultatem citò habiturum de tuis laudibus, ac pulcherrimis actionibus dicēdi: cum enim vetus mos fuerit, Regibus ac fortunatis hominibus labores ſuos mittere, dignitateque alicuius perſonae, quae in laude vixerit, gratioſaque apud ſtudioſos ſit, gratiae aliquid ac fauoris ſcriptis ſuis acquirere, te vnum è multis elegi, ſtatim vt ingenij haec mei monimenta diuulgare, atque edere ſtatui, cuius nomine illa, auctoritateque tectiora prodirent, & in manus eruditorum gratiora venirent. Haec igitur mecum ipſe meditabar, totuſque in cogitatione maximarum tuarum virtutum, praeclarorumq; factorum verſabar, cum ſubito ad exitum iam perducta opera impreſſorum, neq; calamum ſumere volente, grauis nuntius venit, atq; omnium quidē ille triſtiſſimus, res tuas è bonis malas factas eſſe, atq; ex omnium ſecundiſſimis, ſi non omnino miſeras: neq; enim hoc caſus vllus efficere poteſt, nec tantum roboris ac virium temeritas habet, quae tamen ſplendoris multum ac floris repentè amiſerint: neq; hoc culpa vlla tua, ſed iniquitate fortunae, quae rebus tuis florentib. nunc vndiq; inuidens, maculae aliquid illis aſpergere voluit: in quo tamen ipſa; vt eſt omnibus in rebus temeraria ac praeceps, modum nullum tenuit, ſed ea parte, qua plurimum obeſſe potuit, nō tacta, neq; polluta dignitate tua, illas violauit, atq; acerbiſſimam plagā animo tuo inflixit. Eſt autē hoc tantum vulnus, vt, cum iam illud obſcurè ſignificē, vix audeam nomine appellare; quod tamen apertè narrandum, &, vt poſtulat virtus nobiliſſimi iuuenis, grauiter deflendum eſt: quamquā refugit animus à cōmemoratione huius rei, ac prae lacrimis vix ipſe locum hunc poſſum attingere. Horatius.n. frater tuus, aetate reliquis minor, virtute nemini illorum ſecundus,

cundus, in medio curſu laudum ſuarum: nam militiae puer admodum ſe dedit, vi Martis ademptus tibi eſt, dum operam opulentiſſimo & clariſſimo regi, affini ſuo, nauaret, ac nullum periculum pro dignitate, officioque boni ducis recuſaret. Honeſta quidem mors haec eſt, ac plena dignitatis; in tam tenera tamen aetate, immatura, magnopereque dolenda, praeſertim cum, quamuis multum decoris iam gloriaeque illic adeptus eſſet, ampliora tamen adhuc reſtarent, quae nullo negotio, ſi diutius in vita manſiſſet, fuerat conſecuturus. vt plurimum dignitatis non familiae tantum veſtrae, honeſtiſſimae, atque omni gradu honoris cumulatiſſimae, ſed & patriae, & vniuerſae Italiae eſſet acquiſiturus. Qui autem diligenter attenderit, quibus ille initijs profectus ſit, & quae praeſidia ſecum attulerit rerum gerendarum, ſtudiumque optimi adoleſcentis in honore conſequendo, & induſtriam in agendo, ſibi ante oculos poſuerit, intelliget me, in tam praeclaro iudicio de illo faciendo, non falli; nec plura deſiderio ipſum ornandi concedere, quàm veritas, ac fides patiatur: magnum enim eſt, vt taceam animi magnitudinem, corporis firmitatem, ſpeciemque ſingularem, tolerantiam laborum, contemptum omnium corporis voluptatum, cupiditatemque tantum honoris, conſilium in illa aetate rariſſimum; magnum, inquam, eſt, ſummo loco natum eſſe, ac Pontificis Maximi, ſapientiſſimi viri, & praeſtantiſſimo illo gradu dignitatis omnium iudicio digniſſimi exiſtimati, nepotem eſſe: tres fratres habere gratia, atque laude florentes, & in alto cunctos dignitatis loco conſtitutos; cum ipſe etiam proprijs opibus valeret, ac vetere domus veſtrae principatu ornatus eſſet; quodque omnia haec longo interuallo eximia bona, commodaque vincit, cum maximo Rege ſanguine coniunctum eſſe, ab eodemque vnicè, & vt generum denique decet, diligi & carum haberi. Haec tamen omnia, quae viam ad maximam fortunam muniebant, vel neceſſariò potius in excelſo gradu honoris fortiſſimum iuuenem collocatura erant, repente fracta diſſipataque ſunt, ac firmam ſpem de ipſo in animis hominum conceptam praeciderunt, proque illa aegritudinem maeſtitiamque ingentem illuc inſeruerunt. Nam te fratrem ipſius, Cardinalis optime, quantus dolor ſubitò inuaſerit, tanto fortunae vulnere accepto, qui tuos omnes maximè caros habes: huius autem in primis virtute ac fortibus factis delectabare, quamuis abſens, & magno ſpatio terrarum remotus, video, ac prope oculis cerno: confido tamen te, cum amori, & naturae noſtrae imbecillitati; cui reſiſti a fortibus etiam viris non poteſt, aliquantulum ſatisfeceris, collegiſſe, ac condicionem humanam reſpicere coepiſſe; armaque illa expediſſe, quae tibi magno rerum vſu, ſcientiaque artium optimarum comparaſti: eſt enim ſapientis officium, ante oculos ſemper poſitos humanos caſus habere, & illo potiſſimum tempore, quo res noſtrae valde ſecundae florenteſque ſunt, eximiam illam fortunam ſuſpectam habere, ac ſemper aliquid mali expectare. Huius animi fuiſſe fertur Philippus ille Macedo, Alexandri pater, prudentiſſimus rex; quique, cum multa impetu belli atque armis viciſſet, non pauciora conſilio ſapientiaque confecit: cum enim exiguo temporis interuallo tres res, maximè optatae, nuntiatae illi forent, gnarus rerum humanarum, animaduerſaque ſaepe fortunae inſtabilitate, quae conſueuit ſummis felicitatibus inuidere, ſublatis manibus in caelum, deam hanc ipſam orauit, vt mediocri aliquo detrimento res illas proſperas compenſaret. Cum autem hoc munus ſapientis viri eſſe videatur non confidere magnopere rebus humanis, cogitareque ſe mortalem natum, & varijs multiplicibuſque caſibus expoſitum, in primis proprium eſt eius, qui Chriſtiana pietate non ſolum inſtructus ſit, ſed ſummum etiam locum in ea teneat, & ſacerdotio ſit ampliſſimo ornatus: vt ceteris omnibus, quemadmodum reliquarum virtutum, atque honeſtorum factorum, ſic fortitudinis ac tolerantiae caſuum humanorum ſpecimen atque exemplar eſſe debeat. Hac ego re fretus, cum magnitudinem animi tui, conſtantiamque duris alijs temporibus perſpectam habeam, quod tempus hoc poſtulare videbatur; & perſona eius, quem tu me tecum eſſe voluiſti, conſolari te, ac tantum dolorem leuare non conabor. Nam potuiſſem fortaſſe, ſi neceſſarium id eſſe duxiſſem, officio hoc lubente, ſummoque amore me impellente, ex intimo artificio, monimentiſq; ſapientum, non vulgare quoddam genus conſolationis depromere. Verum id, cum alijs, in luctu maeroreque poſitis, fructus aliquos ferre potuiſſet; inferius multo virtute ſapientiaq; tua fuiſſet: volo igitur omnia in te, fortitudineque tua poſita eſſe: nemo enim melius quàm tu tibi ipſi ingentis huius mali medicinam facere poteſt, nec quicquam eſt, quod tantam vim habeat ad animum tuum ſanandum, quantam diuina ipſius animi tui vis in conſilium adhibita, dignaque a te, vt eſt, cui pareas, habita. Nec tamen, cum potiſſimum nunc ad te ſcribere contigiſſet, vulnus hoc non refricare potui. Munuſculum autem hoc, tibi multò antea deſtinatum, ſepone, ac temporibus ijs, quibus & oblectare animum voles, & è grauioribus curis, cogitatio-

nibuſque reficere, reſetua: varietas namque ipſius taedij aliquid aliquando ex animo tuo abſterget, & è multis, quae hic notata ſunt, non nulla fortaſſe non iodigna cognitione a te iudicabuntur: neque enim tam ſtultus ſum, vt putem lectionem harum rerum aptam nunc eſſe ad dolorem iſtum minuendum; neque eo ad te miſi, ſed caſus hoc fecit, & iniqua quaedam fortuna, quae diu me preſſit, vt hoc, quod alijs temporibus non inſulſum (vt arbitror) viſum fuiſſet, nunc ineptum fortaſſe & importunum nonnullis eſſe videatur. Sed hoc (vt ſpero) verè a te exiſtimabitur, ac ſumma aequitate animi tui perpendetur; me certè diligenter cogitaſſe, an hoc tempore id fieri oporteret, multi ſunt teſtes: nihil enim minus vellem, quàm auribus tuis in tanto maerore obſtrepere, ac nullius iudicij homo a ceteris exiſtimari. Sed ijs iam omiſſis, quod confido omnino te facturum, moderare dolori tuo, atque vtere domeſticis exemplis fortitudinis. Recordor enim, te mihi aliquando narraſſe, quanta animi magnitudine, quanta conſtantia, auus tuus, aetate confectus, acerbiſſimum dolorem tulerit, cuius ad eam diem in ſumma poteſtate venti fuerant maximè ſecundi. Ipſum igitur in aduerſis rebus, grauique hoc incommodo magno animo tolerando, imitare, quem in reliqua vita reddere, atque exprimere ſedulò conaris. Nam Regem iſtum potentiſſimum, eundemque humaniſſimum, pro cuius imperio, dignitateque Horatius ſanguinem profudit, nullum arbitror officij genus praeterijſſe, omnibuſque viribus atque opibus te a luctu maeroreque reuocare conatum eſſe. Quo magis, quod ratio ipſa ſuadet, ac communis neceſſitas cogit, tanta auctoritate adiuncta, mature te facere oportet, nec afflictum longius, & ſtratum iacere. Quod enim magni ponderis a ſapientibus non nullis exiſtimatum eſt, eſſe ad res aduerſas leniendas, a malis ad bona animum traducere, copioſè tibi facere licet. Vtere igitur hoc quoque firmo ſolatio huius aegritudinis; conuerteque oculos ad ea, quae in te poſita ſunt, multa & praeſtantia, & animi & fortunae bona: praecipue autem eximias animi tui dotes intuere; conſeruaque te, ſpretis ac conculcatis caſibus humanis, illi ſpei, quam maximam de virtutibus ac moribus tuis meritò cuncti mortales animo conceperunt.

Vale. Florent. VII. Kal. Sept. CIↃ IↃ LIII.

PETRVS VICTORIVS Lectori. S.

VOLO tibi, lector optime, quae fuerit origo ſcriptionis huius aperire; atque omnem denique conſilij mei rationem, ſi quid hoc quoque ad rem pertineat, exponere. Cum diligenter olim legiſſem principes quoſque Latinae linguae auctores, & in legendo plura notaſſem, quae aut expreſſa de Graecis ſcriptoribus videbantur, aut eorum doctrina poterant adiuuari, & non mediocriter (niſi fallor) illuſtrari: ſemper enim putaui, ſingulas res veteres Graecos auctores, & inueniſſe ſubtilius, & explicaſſe accuratius: vt alia etiam quae non ſatis eruditè ab interpretibus fuerant declarata, non pauca itidem negligentia librariorum contaminata, ſiue a peruerſis quibuſdam correctoribus, dum emendare voluerint, deprauata: hortatu poſtea amicorum, bonam magnamque partem horum collegi, & ne aliquando perirent non omnino inutiles (vt ipſi aiebant) labores illi mei, in volumen redegi; eundem ordinem, quem olim in notando ſecutus fueram, conſeruans, ſi ordo hic vocari poteſt, cum quicquid animaduerſione dignum offendis apud diuerſos auctores, variaque etiam in materia, ſeligis, & in commentarijs confusè ſcribis. Studui autem ea potiſſimum è reconditis Graecorum litteris tamquam è fonte omnium ſcientiarum, haurire, quae ſententiam aliquam Latini ſcriptoris ornarent: nam ſi voluiſſem, quaecunque illic abſtruſa, & inaudita ferè auribus Latinorum hominum inueniſſem, excerpere, paruo negotio magnum aceruum librorū conſtruxiſſem. ſed mihi ſemper labor hic magna ex parte irritus viſus eſt: excidunt enim citò illa omnia, quae cum Latina doctrina coniuncta non ſunt, nec noſtro alicui, aut poëtae, aut oratori haerent. praeterquam quod, cum Graecus ſermo hodie tantopere notus ac diuulgatus ſit, cuncti, qui poſſunt, apud auctores ipſos ea legere malunt, vt non multi ita reſtent, quorum vtilitatibus leuiter conſulitur. Sed cum ſaepe cōtingat in hoc genere ſcriptorum, ſi prodeſſe ſtudioſis velis, quae prima eſt, veraque cauſa ſcribendi, vt ſententijs aliquorum aduerſeris, doctorum virorum, ac benè de litteris meritorum: quod tamen modicè feci, & quanta

maximè

maximè potui dignitatis illorum habita ratione, nolim mihi iraſci, ſiqui forte adhuc viuunt eorum, contra quorum opiniones diſputaui, nec voluntati meae, nulla ſuffuſae maleuolentia, ſuccenſere: neque enim mihi propoſitum vnquam fuit ex aliorum erratis laudem mihi comparare; quod ſcripta etiam mea, me tacente, declarant, meque hac culpa, ſiquis aequus iudex eſſe velit, facilè liberant, nec tamen, cum periculoſa ſit, & huic malo expoſita, haec ratio ſcribendi, deprecari hoc nunc inutile eſſe, alienumque ab officio meo putaui. Praeterea cum, quamuis ſatis magnum volumen effecerim, & quod non nullis fortaſſe prolixum ac nimis longum videatur, loci tamen adhuc non pauci mihi reſtent, qui non inſulsè animaduerſi (vt opinor) ſunt: videamque etiam, me plures alios inuenturum, ſi per valetudinem licebit, quae vt firma olim vegetaque fuit, ita nunc aliqua ſui parte laborare coepit; ſiue hoc aetas iam ingraueſcens facit; ſiue potius aſſiduus labor, ac vigiliae, quae quoduis corporis robur frangere debilitareque poſſunt, polliceor, me rurſus huiuſcemodi aliquod volumen confecturum: praeſertim ſi eruditi viri, ac ſtudioſi bonarum artium, aequi bonique labores hos meos fecerint; nec inanes eos eſſe, fruſtraque ſuſceptos, exiſtimauerint.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Philippo Pedimontio. S.

ACCEPI litteras tuas Kal. Febr. datas, quae mihi valde gratae ac iucundae fuerunt: perſpexi enim in illis admirabilem quendam amorem erga me, quem, vt oſtendis, in animo tuo excitauit opinio quaedam, vtinam non falſa, virtutis & eruditionis meae. multum igitur debeo ſcriptis atque operibus meis, poſtquam mihi beneuolentiam vndique conciliant doctorum & eruditorum virorum, in longinquis etiam terris poſitorum; in quibus cum laboris plurimum ſtudijque poſuerim, omnes illas moleſtias leues mihi fuiſſe putabo, tanto inde ac tam ſuaui fructu percepto: neque enim alium mihi vnquam finem ſtudiorum meorum propoſui, niſi prodeſſe ſtudioſis bonarum artium, atque eorum iudicijs commendari: ſed cum hoc increbuerit, a diſertis atque ingenioſis hominibus non inutiles labores illos meos exiſtimari, in reliquum etiam tempus alacrior ad ſcribendum reddar. Quod autem ſcribis, te multo ante cupientem tuam erga me voluntatem mihi per epiſtolam ſignificare, pudore quodam retentum fuiſſe, nihil erat, quod vereteris tam humanum atq; honeſtum munus obire, ſed tamen, poſtquam hoc factum eſt, gaudeo, tibi neceſſitatem obueniſſe, vincula huius pudoris, non ruſtici ſanè, ſed ingenui fortaſſe, frangendi: In quo autem operam meam requiris, vt diligentiam, quam adhibuiſti in colligendis veteribus inſcriptionibus, quae in lapidibus inciſae iſtic viſuntur, perpendam, libenter tibi morem geram, ſeduloque, atque accuratè omnia perlegam, ac magna quidem, vt ſpero cum voluptate: ſemper enim huiuſcemodi monimentis reliquijſque vetuſtatis delectatus ſum, in oppidiſque iſtis ac municipijs, quae valde a Romanis hominibus frequentata erant, vel potius tota è Romanis ciuibus conſtabant, plurima huius generis reperiri arbitror, quae integram illam antiquitatem redoleant, ac temporis venuſtatiſque multum in ſe contineant. Nam quod addis, te in eas inſcriptiones annotationes confeciſſe, quae ſiquid in illis obſcurum eſſet, huiuſcemodique, vt negotium faceſſere poſſet minus verſatis in hoc genere ſtudiorum, id illuſtrarent, hoc etiam opus tuum vtile ac neceſſarium puto: multa enim in illis ſint, veriſimile eſt, quae nunc vix intelligantur, immutata paene ratione omni illius ſcripturae, ac non parua parte veteris conſuetudinis extincta. Haec igitur quoque a me diligenter legentur, & quamquam ſcio, me omnia probaturum, ac iuſtis laudibus illa celebraturum, ſpondeo tamen, me tibi verè fideliterque, quid de illis ſentiam, indicaturum. Vtinam ita tibi poſſem de altero illo, quod in mea manu poſitum non eſt, polliceri: vereor enim, ne in hoc tibi ſatisfacere poſſim, neque tamen hoc fit, quia mihi aut gratia, aut auctoritas apud typographum deſit: nam & mihi ipſi aliàs, & alijs etiam opera atque interceſſione mea ille libenter ſtrenueque inſeruiuit: ſed eius officina nunc omnis, valde antea inſtructa & ornata, exinanita, & diſſipata eſt, operaeque abiere: id autem factum eſt difficultate horum temporum, ac proprijs ipſius anguſtijs: nam tempora hic valde dura, atque adeo calamitoſa ſunt, vicino, ac prope cotidie nobis imminente, acerrimo bello. Volui autem tibi omnia nota eſſe, vt de negotio iſto tecum deliberare poſſes: quicquid autem conſilij ce-

periſ, id ego quoque vehementer probabo, ac quacunque in re potero, ſemper opus iſtud tuum, enixeque iuuabo. Vale, ac me, vt facere coepiſti, ama. ego certè enitar, ne fruſtra tantum deſiderium mihi placendi in animum tuum inuaſerit.

PETRVS VICTORIVS Thomae Aldobrandino. S.

FACILE patior, patrem tuum, optimum virum; interpretemque legum prudentiſſimum, litteris meis non reſpondiſſe, poſtquam te munus hoc obire voluit, ac tamquam vicarium ſuum mihi dedit: ita enim mihi politiſſima ſuauiſſimaque epiſtola tua frui contigit; quamuis elegantia tuarum litterarum mihi prius incognita non eſſet, vel ex ipſa illa epiſtola longiſſima, qua interitum Ioannis Saluiati Cardinalis ampliſſimi ornatè copioſèque deploraſti, quam ſi laudaui, vt ſanè laudaui, meritò id, atque ex animo feci: ita enim argumentum illud tractatum puto, vt perſonam ipſam, quae maximam dignitatem in vita conſecuta fuerat, dignaque adhuc maiore fortuna ab omnibus iudicabatur, valde ornaris: ſed alijs etiam certis indicijs acumen ingenij tui, ſcientiamque Latini ſermonis, noueram; quas animi tui dotes quamlibet occaſionem nactus libenter praedicabo; cum natura etiam propenſus ſim in laudes meorum ciuium celebrandas, quibus opera ſtudioque meo adiuuandis omni ratione, qua poſſum, praeſto ſemper ſum: patrem autem tuum, multi ſunt anni, cum vehementer dilexi propter incredibilia ipſius naturae bona, probitatemque ſingularem: quamuis conſuetudine eius, cuius virtutes admirabar, frui diutius non licuerit: quare tanto magis cogor, te veram illius imaginem beneuolentia complecti; cui etiam additur inclinatio animi tui erga me, qui videris, amicitiam meam non negligere, vel potius vehementer expetere. Sed nolo diutius in commemoratione mutui huius animi commorari, cum magis probem amicitiam rebus factiſque ſtabilitam, quàm inanibus verbis adumbratam. Putabam ſanè non valde neceſſariam eſſe renouationem illius officij, quo multo antea patri tuo Lucam Antellium, probum ingenioſumq; adoleſcentem commendaueram: ſtatim enim videram, quanto ſtudio diligentiaque commodis eius conſuluerit. Sed cum caſus ille acerbus, interituſque clariſſimi viri, apud quem eum conſtituerat, & ſapientiſſimum conſilium patris tui diſturbarit, & ſpem omnem huius iuuenis abruperit, non exiſtimaui in tanta rerum immutatione ineptam prorſus, importunamque fore, non ſanè iteratam, ſed breui tantum ſignificatam commendationem meam. Audiui autem libenter, te de moribus Lucae atque doctrina bene exiſtimare, & quia gaudeo, iudicium, quod de illo iam pridem feci, confirmari, & quia video, ipſum in iiſdem artibus ſtudijſque, quibus hic deditus erat, etiam nunc verſari, nec iniqua fortuna deterritum, maliſque, quae ſubito ipſum oppreſſerunt, iter illud, quod ad virtutem gloriamque ducit, reliquiſſe. Quod autem nunc tibi ſubuenit, vt donec maior aliqua ſpes affulſerit, apud Laurentium Lentium maneat, in comitatuque eius ſit, valde probo conſilium tuum: id enim honeſtum adoleſcenti ipſi erit, atque in tanto otio litteris incumbere toto animo poterit; praeſertim cum valeat multum praeſul ille in eo ſtudio, ad quod Lucam impulit pater tuus, vt exemplo etiam ſuo grauis & doctus vir valde ipſum excitaturus ſit. Quod verò oſtenderas, te cupere, vt teſtimonio meo laudum tuarum ornarem te apud Ceruinum ſummum Cardinalem, omnique virtutum genere abundantem, id ſubitò feci, ac mehercule quidem magna cum voluptate feci, ſperoque vno & eodem facto me ambobus gratificatum fuiſſe; tibi cum facilè impetraueris, quod optabas; ipſi vero, quia ſemper animaduerti, eum eruditorum iuuenum, tuique ſimilium laudibus delectari: in eo verò officio rationem eam ſecutus ſum, quam mihi praeſcripſiſti: vt nunc autem non defui deſiderio tuo praeclaro, ita omni tempore, quo voluntatem tuam adiuuare potero, in illam rem totis viribus incumbam. Tu vale, ac patri tuo me diligenter commenda, cui ea bona opto, quibus digna eſt ipſius vita, ſemper integrè & cum magna honeſtate acta. Florent.

PETRVS VICTORIVS
Roberto Nobili Card. S.

DILEXI te, adoleſcens optime, multo ante quàm te vidiſſem, atque id quidem meritò, nec ſine iuſta cauſa feci: quis enim non amaret puerum eum, qui à teneris vnguiculis ita optimis ſtudijs deditus fuiſſet, vt magnos in illis progreſſus feciſſet, ac viciſſet in eo curſu ceteros, qui robuſtiore etiam aetate multum & ipſi in eiſdem artibus laboraſſent. omitto naturae probitatem, quae, vt ego fama & auditione acceperam, ſingularis erat, ſignaque multa alia maximarum virtutum; quae virtutes, vt iam tum in illa aetate apparebant, ita, ſi maturitas acceſſiſſet, vberius erupturae intelligebantur. Haec igitur me tunc, vt te diligerem, impulerunt: acceſſit non multo poſtea dignitas, qua auctus es; ſummique ſacerdotij amplitudo, qui tantus honos; fortunarumq; tuarum amplificatio, non, vt conſueuit in multis, animum tuum retardauit: ſed acrius potius te ad eadem honeſta ſtudia incitauit: ſtuduiſti enim, vt iudicium auunculi tui confirmares, atque id, quod ille beneficij loco tibi dediſſe videri poſſet, in te meritò, ſummoque conſilio collatum, cognoſceretur. Venit deinde tempus, quo in campum deſcenderes, & ex vmbraculis ſapientiae in aciem eximias ingenij tui dotes perduceres; quod tempus, quemadmodum tibi luctuoſum fuit, interitu eius, qui te ornauit, ac familiam omnem veſtram illuſtrauit, ita tibi ingentem laudem gratiamque peperit: in comitijs enim illis praeclaris, quae laetitia omnes extulerunt, quibuſque creatus eſt Pont. Max. is, quem omnium preces votaq; exoptabant, egregiè te geſſiſti, vt manifeſtò ab omnibus intelligeretur, quamuis anni adhuc abeſſent, maturitatem tamen aetatis in te magnopere deſiderari non oportere. Eo autem ipſo tempore iſtuc ego aduenteram, excitus domo, ſpe quadam non dubia videndi eius, quod ſanè breui factum eſt. vtinam diuturnior eius gaudij fructus fuiſſet: neſcio enim quomodo, diuinitus certè, mihi promiſeram fore, vt cito in altiſſimo gradu honoris collocatum Marcellum Ceruinum viderem; quem multum obſeruaram; quem ſemper, ob praeſtantes animi ipſius dotes, atque illuſtria facta, tamquam Deum colueram. Vidi autem tunc primum te, talemq; inueni, qualem mihi ſermo multorum, & tacitus quidam animi ſenſus ſaepe praedicauerat, ideſt egregium adoleſcentem, & ſcientia optimarum artium valde expolitum: tecum enim ſaepe collocutus ſum, & ab omni domo tua humaniter comiterque exceptus; quibus in colloquijs de grauibus rebus, praecipuè autem de ſtudijs litterarum, nihil a te non ſubtiliter eruditeque prolatum notaui: nam quàm eleganter epiſtolam latinè ſcriberes, huiuſcemodiquè alia ingenij tui monimenta multò prius hic perſpexeram. Videbam igitur me, ſi diutius iſtic manſiſſem, ex humanitate tua, tantaque morum ſuauitate, non mediocres voluptates eſſe capturum; conatuſque fuiſſem, ſi opera ſedulitateque mea opis aliquid tuis ſtudijs adferre potuiſſem, libenter id ſtudioſeque facere. Sed inuidit his meis cogitationibus iniquiſſimum fatum, acerbaque mors Marcelli Pontificis, qui me, vt ſcis, complexus iam erat, participemq; aliquarum ſuarum curarum eſſe voluerat: illa autem grauis plaga, vt me confecit, ita animos bonorum omnium valde perturbauit: ego enim ſubitò, deſperatis rebus, intelligenſq; mihi ereptum eſſe praeſidium illud, quo maximè confidebam, Roma diſceſſi, domumque redire, rurſuſque hic me in otium litterarum abdere, deliberaui; qua in vita, omnique alia in re, ſiquid vmquam opera, ſtudio, diligentia mea efficere potero, quod tibi iucundum, acceptumque futurum putem, in id toto pectore incumbam: nihil enim magis, quam tibi commodare, tuaeque amplitudini morem gerere, cupio: in itinere autem; nam plures dies conſumpſi in agro Piceno peragrando, magna mea cum voluptate audiui, laudem tuam renouatam: vt enim ex ſuperioribus illis comitijs iudicio omnium probatus exiſti, ita ex ijs, quae conſecuta ſunt, plurimum commendationis, gloriaeque domum retuliſti; quae res effecit, vt ſapientiſſimus Pont. Paulus IIII. & ipſe magna in te cognita virtute tua, delectatuſque modeſtia iſta incredibili, te in oculis ferat, atque vndique faueat dignitati tuae. Perge igitur via iſta, quae contra ſtultas opiniones multitudinis, corruptoſque ſenſus delicatae iuuentutis, referta eſt magnis ſolidiſque voluptatibus: ita enim cumulum tuarum laudum cotidie augebis, & magnam laetitiam adferes ijs omnibus, qui te vere & ex animo diligunt: in primis autem, optimo & clariſſimo viro, patri tuo, qui cum plurimum factis ſuis floreat, non parum tamen decoris atque ornamenti conſecutus eſt, quod te genuerit, ac tantum virtutis lumen accenderit. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Caſae Archiepiſcopo Beneuentano, S.

QVANTAM voluptatem ceperim ex aſpectu tuo, valde a me, diuque exoptato, quamquam arbitror, te certis indicijs in te ipſa perſpexiſſe, apertius tamen id, planiuſque nunc his litteris tibi ſignificabo: ex ijs enim, quae mihi in omni vita iucunda acciderunt, nihil tam iucundum, nec tam plenum verae ſuauitatis mihi vnquam contigit. Nam amicum videre, quo plures annos carueram; cuiuſque deſiderio vehementer flagraueram, attulit mihi laetitiam incredibilem: eum autem ſpectare ad ampla honeſtaque negotia vocatum; ſponteq; ad bonam, magnamque partem Reip. Chriſtianae conſilio ſuo regendam, a ſummo Pontifice accerſitum, auxit mirum in modum hanc voluptatem: bonore enim gloriaque amicorum ſolitus ſum ſemper, vt propria mea laude, commodoque delectari: neminem autem vnquam cognoui, qui magis propter ingenij magnitudinem, liberaliumq; artium cognitionem, ac naturae in primis bonitatem, ſummo quoque honore dignus videatur; qui ſummus honos, ampliſſimuſque gradus dignitatis iampridem merito tibi delatus eſſet, niſi tempora interceſſiſſent inimica virtutis, & quibus bonae artes, ſtudiaque honeſta fructum nullum tulerunt, contraque potius neglecta inuiſaque iacuerunt; quod tu cum intelligeres: nullum enim negotium fuit hoc cognoſcere, tempori cedendum ratus, ſapienter, optimoque conſilio vſus, in otium litterarum te contuliſti: inuentoque loco ſtudijs tuis idoneo, totum te in litteris illic abdidiſti, & non ſolum eo in receſſu alteram ingenij tui partem, quae contemplatione rerum, acutiſque cogitationibus alitur, ornaſti, ſed illis ipſis ſtudijs opera, ſedulitateque tua ornamenti plurimum, ſplendoriſque attuliſti. Cuius rei certa veſtigia, teſtimoniaq; extant pulcherrimi ingenij tui partus, qui vno omnium ſtudioſorum, elegantiumque virorum ore celebrantur; magnoque in pretio ab ijs omnibus, qui non omnino auerſi a muſis ſunt, habentur. Properabam ipſe ſanè ad honeſtum iſtud otium tecum ſimul perfruendum; quod ego magnopere multo antea animo meo probaueram & ad quod inuitatus a te amantiſſimis tuis litteris non ſemel fueram: cupiebamque te in litteris inuolutum videre; cum ſubito medio in itinere audiui, te Romam euocatum: atque in illa ipſa loca, in quibus tunc eram, cito naui acceſſurum: quare conſilio omni profectionis abiecto, donec quo expectabare, peruenires, illic manſi. contigitque non multo poſt, quod ſupra narraui, vt optatiſſimo tuo aſpectu oculos, animumque ſatiarem; ſuauiſſimoque tuo ſermone mihi ſpatio vnius ferè diei frui licuit. ſedes ſane ipſa, quam tibi olim delegeras, & quam nunc, vt aliorum voluntati morem geras; in primiſque, vt ſummo Pontifici dicto audiens ſis, reliquiſti; conſiliumque illud tuum veras ſuas quaſdam, certaſque voluptates habebat: eas autem ipſe, qui hanc vitam ſemper colui, valde admiror, magnamq; partem beatae vitae in ſe continere exiſtimo: quid enim ſecurius, quid pura omni liquidaq; voluptate refertius, quam remoto ab vrbe loco, longeque ab oculis hominum inani omni laude contempta viuere? cum tam incerti ſint exitus rerum humanarum fruſtraque ſaepe honeſti viri totam aetatem in vera laude quaerenda conſumant: medioque in curſu cogitationes ſuas vel iniquitate fortunae, vel aliorum improbitate frangi ſentiant; quae vitia qui intelligat, & aliquando etiam expertus ſit, quomodo non ſapienter facit, ſi tam fallacem rationem, plenamque maximorum periculorum fugit, & in tuto res ſuas ponit, in otij portum tranquillitatiſque ſe conferens, fortunae fluctibus euitatis. Cum autem omnibus hominibus, qui vulgi temeritatem reformidant, impetuſque fortunae ſuſpectos habent, commoda non parua illic capere liceat: ceteros enim vident maximis turbinibus vulgo iactari, ipſique animum ſemper habent omni ſolicitudine vacuum: hi in primis veros, ſolidoſque fructus inde ferunt, qui alia ratione animum oblectare poſſunt, primaque aetate ab honeſtis artibus non abhorruerunt; quod non multis ſanè vſu venit, in quorum numero tu es, qui non tantum a teneris annis animum liberalibus ſtudijs aſperſiſti: leuiterq; illa, quod multi faciunt, deguſtaſti, ſed auide ipſa deuoraſti, atque omni ſpatio vitae aliquas horas diei ſemper in litteris interioribus recolendis collocaſti; nec tamen non a ſinceris his, ingenuiſque voluptatibus abſtrahi te, quamuis inuitum, aequo animo paſſus es: magis enim ſemper aliorum commoda, quam proprias vllas vtilitates amaſti; nullumq;

laborem

laborem vnquam pro commodis aliorum fugiſti. Quod ſi priſci illi, Graeci, Romanique homines, in falſa vitae ratione; refertaque omni inanitate religione, non oportere putabant, cum Deus vocaret, iuſſa mandataque eius detrectare, voluntatemque ipſius omnibus in rebus ſpectandam eſſe cenſebant, vt tunc etiam exiſtimarent poſſe hominem ſponte è vita diſcedere, corporiſq; vincula rumpere, cum huius rei opportune faciendae ſignum Deus dediſſet; quanto magis tu in vera pietate, Chriſtianoque cultu educatus, & ſacris interioribus initiatus, voluntatem eius, imperiaque ſpernere non debuiſti, qui viuus praeſenſque Dei Optimi Maximi inſtat eſt; vimque, ac numen ipſius in terris tenet: qui tempus eſſe admonuit vitae illius tranquillae relinquẽdae, curaeque alicuius pro communi Reip. Chriſtianae dignitate ſuſcipiendae: vt enim nauis haec fluctibus multis procelliſque agitata, ſalua in portum deferatur, maximarumque tempeſtatum vim ſubterfugiat, omnes, qui opis aliquid praeſtare poſſunt, omnia facere decet: praecipue autem officium illorum requiritur, qui eam conſilio, ſtudioque ſuo plurimum adiuuare queunt; quique ſe illi tuendae totos dediderunt, atque huius ſanctiſſimae Reipub. ciues ſunt, magni etiam momenti eſſe debuit; ſtimuluſque non paruus, qui te illis ſedibus exciret, quod a ſapientiſſimo Principe: vnoque omnium ad regendam Remp. maxime apto, ad partem illarum curarum ſuſcipiendam vocatus es: cur enim ſocius huius laboris eſſe recuſares, & in tam honeſto munere induſtriam tuam ponere negares? quis enim dubitare poteſt, quin optimus ſenex, ſummo genere natus, & qui omni ſua vita virtutem coluit, honeſtaque ſtudia toto animo ſemper amplexatus eſt, alijs artibus, quam quibus peperit, principatum adminiſtraturus ſit? neque enim ille altiſſimum hunc dignitatis gradum aſtutis conſilijs; ſtudione partium conſecutus eſt, ſed integritate vitae, commendationeque prudentiae, magno conſenſu bonorum eſt in hac ſede collocatus. Animi autem ille ſui; rationiſque, quam in gubernanda Rep. tenere vellet, breui multa, magnaque ſigna dedit; erexitque ſubito mentes omnium, ac bene ſperare iuſſit, qui rectis vijs ad honores tenderent; vt contra ſe durum improbis, & qui malis artibus, fallacibuſque rationibus nituntur, planè oſtendit. Recte igitur feciſti, qui te facilem tam prompto in te animo, optimi ſapientiſſimique Pontificis praebuiſti: rationemque vitae repente mutaſti, relicta illa ad tempus, quam tantopere diligebas, & in qua ſumma cum tua laude tantos progreſſus feceras, receptaque altera, quam non ſine cauſa olim damnaras, & in qua incerta omnia, plenaq; magnarum moleſtiarum ſenſeras. Cum ſanè, ſi diligenter quaeratur, incertum valde ſit, vtri ſtudio magis natura aptus ſis, & ad vnam eam vitam colendam, cui tunc incumbebas, factus videare: vtraque certe in re ſuperas eos, qui nihil aliud tota vita egerunt, & qui iudicio hominum multum valere in illo ſtudio exiſtimantur; quod quam paucis, vel nulli alij potius contingat, vt ſummum attingere; in tam diuerſis, vel contrarijs potius ſtudijs potuerit, ſatis notum eſt, & conſtanti omnium opinione confirmatum. Vale. Florent. III. Kal. Quinct. CIↃ IↃ. LV.

PETRVS VICTORIVS
Philippo Rodulpho. S.

MAGNAM pater tuus, puer optime, ex tuo ingenio laetitiam caperet; ſi praeſens adeſſet; videretque te ſtudijs litterarum tantopere deditum: cum enim hoc commune gaudium ſit omnium parentum; nihilque gratius ipſis accidere poſſit, quam videre filios incumbere bonis artibus; in primis ille incredibilem animo voluptatem ſentiret, intelligens, te cotidie magis delectari ſtudijs honeſtis, atque in illis miros progreſſus facere: cum enim te toto animo diligat, ac non ſine cauſa magna ſibi, cum aetas acceſſerit, de induſtria, virtuteque tua pollicitus ſit; cupiatque demum, te reſpondere laudi maiorum tuorum, quomodo non vehementer gaudeat, ſpectans, te ire eorum itineribus, ac prope iam premere ipſorum veſtigia? Quo igitur ille frui nunc gaudio non poteſt, impeditus horum temporum calamitate, & ſi minores fructus, voluptateſque capiuntur ex ijs, quae audimus, quam ex ijs, quae oculis cernimus, fac, vt ille abſens gaudium percipiat, cotidieque ad eum vndique perferatur, te cupere illi ſatisfacere, ac flagrare deſiderio ingenuorum ſtudiorum. Maiore diligentia te ad hoc impellerem, quem toto pectore complexus ſum, cuiuſque laudi immortaliter faueo, ſi putarem, te hortatore egere; nunc autem, cum videam tua ſponte incitatum, ſatis eſſe duxi te admonere: quae vero a me proficiſci poſſunt ad te adiuuandum, praeclarumque hoc opus efficiendum,

non

non arbitror te expectare, vt amplius tibi pollicear: nam & hoc ſaepe feci, & numquam defui commodis adoleſcentium, qui opera mea in ſtudijs humanarum artium vti vellent; nedum autem fungi hoc munere vmquam recuſarim, omnes potius labores, quos in illis inſtituendis ſuſcepi, leues mihi ſemper & ſuauitatis plenos exiſtimaui. Vale. Florent.

PETRVS VICTORIVS
Philippo Rodulpho. S.

EPISTOLA tua valde me delectauit, & quia ea ſignificat, quae volebam, de valetudine tua, tuorumque; & quia te non immemorem eſſe mei, cupereque huc redire, declarat, vt fructum aliquem capias ex ingenio, ſedulitateque mea, quod quidem ingenium meum, qualecunque eſt, ac mediocris induſtria, in omni re, qua tibi prodeſſe poſſim, atque honori tuo fauere, praeſto ſemper erit: cum enim plurimum ſtuduerim iuuentuti; & multorum indolem ſummis laboribus meis excoluerim, te vnum ex omnibus multis de cauſis, atque illis quidem magnis & honeſtis, elegi, quem potiſſimum ornarem, & in cuius laudem omnem operam meam, ſtudiumque conferrem; quod, & ſi te arbitror aliqua ex parte iam perſpexiſſe, clarioribus indicijs, ſi in ijſdem locis viuemus, aliquando demonſtrabo: ſed, quae ipſe te cupio comprobare, verbis nunc, non conabor oſtentare. Tu interim, nobiliſſime puer, quantum in iſto loco licet, vetera ſtudia recole, ac verſa animo, qui ſis; cuique ſpei alare, quod ſi facies; cogitabiſque, quam perſonam ſuſtineas, ne latum quidem vnguem vmquam a virtute diſcedes, ac creſcenti vndique laudi tuae ſeruies. Sed ſtultè feci, qui, cum hoc tempore vnà tu cum patre tuo, optimo ac prudentiſſimo viro ſis, cuius praecipuè partes hae ſunt, & qui hoc egregiè praeſtare poteſt, hanc viam praecipiendi ingreſſus ſim; quare deſinam, tantumque te rogabo, vt parentes tuos, quos toto animo diligo atque obſeruo, meo nomine ſalutes. Vale. Florent. VI. Non. Mai. CIϽ IϽ LVI.

PETRVS VICTORIVS
Philippo Rodulpho. S.

QVAM ſedulò tibi ſemper ſuaſerim, vt in ſtudia bonarum artium toto pectore incumberes, non opus eſt, nunc me tibi, aliunde petitis teſtibus, comprobare: te namque hoc firmiter memoria retinere arbitror; praeterquam quod extant etiam huius conſilij mei monimenta quaedam: neque enim verbis tantum, verùm etiam litteris, accuratè ſcriptis, hoc praeſtiti; vt te ad laudem gloriamque capeſſendam cohortarer: praetereò ſiquid ipſe operae atque induſtriae in hac re poſui; laboreque meo ingenium tuum expoliui, non faciebam hoc temerè: neque enim mediocres fructus laturam indolem tuam, litteris excultam, intelligebam, ſi tibi ipſi non defuiſſes, & monitis amicorum, qui tua cauſa volunt, ac laudi tuae ſeruiunt, parere non recuſaſſes: magnum enim eſt, ortum eſſe in tàm honeſta familia, non paruum, abundare ceteris quoque fortunae bonis: maximum verò omnium, & ad hunc curſum conficiendum mirificè aptum, habuiſſe patruum, qui cum in collegio ſummorum Cardinalium multos annos magna cum laude vixerit, dignus in primis habitus ſit altiſſimo illo omnium, in quem mortales aſcendunt, gradu honoris; quemq; omnes fateantur ſummam illam dignitatem morte amiſiſſe, quae, fato neſcio quo acerbo in eo tempore ipſum, non ſine maximo dolore bonorum, oppreſſit. Non commemorabo dignitatem maternae ſtirpis; quae & ipſa non mediocri tibi auxilio ad honores adipiſcendos eſſe ſemper potuit: nunc vero in collegium grauiſſimorum patrum vno ex auunculis tuis cooptato, quaſi manum porrigere, & ad eoſdem honores, ſi vera via pergere volueris, & cogitationes omnes tuas ad virtutem direxeris, facilè rapere poteſt. Occaſio igitur haec, quae mihi magna ad te ſcribendi data eſt: neque enim omittere debui, quin tibi tantum tuorum honorem gratularer, vt ſanè gratulor, & verè atque ex animo gratulor, ſperans non paruam partem eorum commodorum in te redundaturam, me impulit, vt te rurſus admonerem, & nouos quaſi ſtimulos admonerem: noli autem putare, me hoc alia vlla de cauſa, quàm laudis tuae deſiderio facere;

cere; cui ſemper mirabiliter faui, & quam auctam videre, ac firmis fundamentis nixam, magnopere expetiui: in te vero diligentiaque tua omnia ſita ſunt. Nam, ſi laborem fugere nolueris, omnia per te nullo negotio conſequere; quem timere, adoleſcentem, & ad laudem gloriamque natum, minimè decet: ſine labore autem, & ſumma animi contentione, vix quicquam magnum, & praeclarum in vita a quopiam geri poteſt; quod cecinit etiam verè vetus quidam ſapiens poëta. qui ait, τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμὶν πάντα τ᾽ἀγαθὰ οἱ θεοὶ. Dum autem cupio, te omni laude florere, & dum in curſu honeſtorum iuuenum, virtutiſq; amore flagrantium, ceteris omnibus praeeuntem ſtudeo videre, cepi fortaſſe laborem non neceſſarium; qui te, tamquam iners, ceſſatorque fores, incitare conatus ſum: quare, ſiquid in hac re peccaui, peto a te, vt mihi ignoſcas; amor certè meus incredibilis erga te, tibi (vt arbitror) planè cognitus, ac perſpectus, me induxit; &, vt in hanc fraudem inciderem, ſi ita appellari debet, quod ab egregio quodam animo in aliquem proficiſcitur, fecit. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Caſae Archiepiſcopo Beneuentano. S.

QVI alias quaſdam ad te ſcribendi occaſiones omiſi, ne te in magnis Reipublicae rebus vehementer occupatum, magis impedirem, diuque mihi ab hoc officij genere temperaui; nunc, cum caſus tulerit, vt tecum communicare aliquid debeam de ijs, quae ad ſtudia litterarum pertinent, quibus te ſcio valde, atque ex animo delectari; facere non potui, quin ſtatim ad te epiſtolam hanc exararim. Hoc autem, ſi aliquis fortaſſe hoc tempore factum reprehendet, atque ineptum putabit, te non omnino (quae tua eſt humanitas) contempturum confido. Quin contra ſolet potius varietas rerum oblectare, & animum feſſum grauioribus curis, aſſiduiſque cogitationibus huiuſcemodi aliquis ſermo è ſinu muſarum promptus, reficere, atque recreare. Cum igitur hic adoleſcentibus noſtris, qui Graecae linguae perdiſcendae ſtudioſi ſunt, Oreſtem fabulam Euripidis interpretarer, veni ad eum locum, vbi Helena, perſuaſa ab Electra, filiae Hermionae partes illas imponit portandi comam ſuam, ea de cauſa caeſam, ceteraque, quibus moris erat ea aetate mortuos munerari, ad ſepulchrum Clytemneſtrae, vt honorem eum ſorori haberet, ſeque magno dolore affectam eſſe ex acerbo illius interitu ſignificaret. Poſt quae verba, cum Electra, plena admirationis, exclamet; naturaeque vim incredibilem eſſe in vtramque partem affirmet, ſiue boni aliquid, ſiue mali ab initio vitae illa hominibus dilargitur, ac ſtatim, quod in vniuerſum protulerat, illi ipſi rei, de qua agebatur, accommodet; dixi, me putare, loqui ipſam de pulchritudine Helenae; quam tantam fuiſſe oſtendere vult, quemadmodum ſane omnium ſermone illa ferebatur, vt facto hoc, quod vnum maxime corrumpere ipſam ac labefactare potuit, violata nulla ex parte ſit; adiunxique, in eam mentem veniſſe poëtam, eruditum valde atque ingenioſum virum, magnopere veriſimile eſſe, vt, cum in manibus Helenae perſonam haberet, induceretque illam feciſſe, quod rationibus ipſius magnopere contrarium erat, deprauareque poterat id bonum, quo illa ceteris mulieribus antecellebat, cogitarit, an ipſi contigiſſet, quod alijs, minore pulchritudine praeditis, neceſſario eueniſſet; idque nullo modo factum eſſe oſtendere voluerit, quod multum valet ad famam peruulgatam de illa, confirmandam, conſtantique omnium opinioni da eximia ſpecie corporis ipſius reſpondet; ſimulque commemoraui, non me fallere, Graecas declaratiunculas aliter locum capere, & ab hac ſententia diſcrepare; quarum tamen auctoritas apud me nulla foret, cum multis ſignis intelligi poſſit, ipſas alicuius eſſe, vel plurium potius, qui ſuperiore aetate vixerint, cum extinctae iam ita in Graecia bonae artes eſſent, vt vix ſcintillae aliquae veteris eruditionis in ipſa reſtarent. Nam quod ille putauit, hoc Electram protuliſſe, quia priſtinam & innatam malitiam in animo Helenae manere adhuc ex facto illo cognouit, leue admodum ac nugatorium me illud exiſtimare oſtendi, ad indicandam naturae ipſius prauitatem, quae multis atque inſignibus facinoribus notata erat. Si namque, quod interpres arguit ipſam feciſſe, eo animo ac conſilio Helena feciſſet, in tenui re illa peccaſſet, nec ſatis iuſtam cauſam exclamandi Electra habuiſſet. Neque enim decet eam valde mirari, cum vſitatum aliquid quotidianumque ſit, nec vocem eo tempore tollere oportet. Affinis enim tunc Helena illi culpae fuiſſet; cui omnes mulieres vulgo obnoxiae ſunt: cunctae namque formae ſuae con-

ſeruandae

ſeruandae vehementer ſtudioſae ſunt; cauentque quicquam facere, quod gloriam illam ſuam imminuat. Vt autem hoc infirmum admodum argumentum eius rei demonſtrandae fuiſſet, ita quod ipſe cogitaui, magni momenti eſſe ad id ſignificandum affirmaui; quod etiam inde perſpici poſſet, quia Terentius in Phormione, cum induceret ſeruum admirabilem quandam ac nouam pulchritudinem Virginis cuiuſdam commemorantem, facit illum his ſignis ipſam declarare: exponit enim eam inuentam fuiſſe huiuſcemodi quodam habitu corporis, veſtituque, qui tamen ipſam maculare nullo pacto potuit: comicus enim hic quoque eadem ratione inſitam a natura, & ingentem fuiſſe pulchritudinem illam ſignificare voluit: inquit igitur apud eum Geta. Virgo pulchra, &, quo magis diceres, nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem; capillus paſſus, nudus pes, ipſa horrida, lacrumae, veſtitus turpis; vt ni vis boni in ipſa ineſſet forma, haec formam extinguerent. Sed quid dico Terentium, ſtudeoque hoc, teſtimonio etiam illius comprobare? qui ſane non omnino eodem argumento vtitur, cum vetus ipſius interpres Donatus tradat, Apollodorum, vnde fabulam hanc vertit Terentius, feciſſe tonſorem ipſum nuntium, non adoleſcentem, qui forte in tonſtrinam veniſſet; qui tonſor apud eum diceret, ſe nuper puellae comam ob luctum abſtuliſſe, totumque ſe effunderet, veriſimile eſt, in eam pulchritudinem celebrandam, quam facto illo, maxime inimico pulchritudini, non vidit immutatam. Addit autem idem eruditus Grammaticus, varietatis huius rationem reddens, ſe ſcire; hoc Terentium mutaſſe, ne externis moribus ſpectatorem Romanum offenderet. Nam, quod videtur huic meae ſententiae aduerſari in Graecis verbis, docui aliter capiendum eſſe, atque interpres ille Graecus accepiſſet: intelligo, inquam, quod apud poëtam eſt παρ' ἄκρας ἀπέθριſε τρίχας: valet enim παρ' ἄκρας, prope partem illam capillorum, quae capiti haeret, tamquam Electra dixerit, ad cutem Helenam comam totondiſſe; quem magnum ornatum muliebris corporis cum penitus, pietati ſeruiens, ſibi dempſiſſet, non tamen ipſam inde turpem redditam. Nec exiſtimari debere hoc inſolens eſſe, quod poëta vocarit ſummos capillos, partem illam, quae quaſi radix ipſorum eſt: qui enim tondere caeſariem incipiunt, ad eam partem poſtremo perueniunt, praecipueque in muliebri coma, quae prolixa eſt valde, atque pendet è vertice, videtur ipſa recte ſumma appellari potuiſſe. Addidi etiam, me arbitrari, ſi poëta diuerſa ratione vltimam partem capillorum intelligere voluiſſet, ipſam praepoſitionem παρ additurum non fuiſſe; quae fortaſſe cauſa fuerit auctori eius ſcholij, vt erraret, qui hoc non animaduertiſſet, & magis communem, vſitatamque notionem eius nominis ſecutus eſſet. Cumque moleſtum praeterea ſit, quod ſequitur, ἐστ' ἡ πάλαι γυνή: qui enim quempiam eundem eſſe ait, qui olim fuerit, & naturam ipſius moreſque, & formam, effigiemque corporis in eo conſeruatam eſſe intelligere poteſt; grauiſſimuſque ſcriptor ac magnae inter Graecos auctoritatis, contrariam in partem vſurpet hanc vocem, confeſſus ſum, hoc me magis perturbare: Plutarchus enim, ſolitus ſaepe locis illuſtribus poëtarum ſenſus ſuos explicare, in Alcibiadis vita, inſtitutiſque connumerandis, vbi narrat, quomodo ille Lacedaemone vixerit, ac quemadmodum ingenium ſuum ad tempus verſarit, quum oſtendiſſet, quid pronuntiari de ipſo potuerit, ſi quis tantum, quae extra poſita in eo forent, quaeque ille ſimularet, ſpectaſſet; addidit, ſiquis contra mentem adhibuiſſet ad veros ipſius animi motus; factaque, exclamari recte potuiſſe, ἔστιν ἡ πάλαι γυνή. Quamuis enim ſumma arte celaſſet ſua vitia, erupèrant tamen illa nonnullis in rebus, & idem, qui Athenis fuerat, improbiſſimus ſcilicet ac flagitioſiſſimus iuuenis, illic quoque eſſe Alcibiades intelligebatur. Huiuſcemodi tamen voces antiquorum poëtarum, quae ſermone omnium poſtea celebrabantur, ac vim prouerbiorum obtinebant, diſtorqueri ſaepe, ac longe alio ſenſu, quam quo primum editae forent, pronuntiari ſolitas eſſe affirmaui; quod multis huius ipſius auctoris exemplis nullo negotio poſſet comprobari. Id autem huic ipſi loco me arbitrari eueniſſe, nec ſane durum videri debere, a corporis aſpectu ad animi vim indicandam, hoc Plutarchum tranſtuliſſe; vt quod ab auctore de muliere prolatum fuerat, ipſe, iiſdem verbis retentis, manifeſto viro accommodauit: quare me putare poſſe, hanc quoque tanti viri auctoritatem ſuſtineri. Quod vero ſtatim Electra Helenam execratur, & in odium Deorum immortalium venire optat, vt principium maximorum malorum & ſibi ipſi, & fratri, & vniuerſae Graeciae, videri quoque ſententiam meam adiuuare: ſpecie enim corporis, non prauitate animi Helena tanta exitia parauerat; ſimilemque locum hunc eſſe Homerico illi, quum grauiſſimi ſenes, qui Priamo aſſidebant, laudata pulchritudine eiuſdem mulieris, atque in caelum teſtimonio ſuo ſublata, intelligentes tamen, quanta incommoda ipſa Troianis hominibus intuliſſet, vtile rebus ſuis eſſe dixerunt, vt illa eo, vnde venerat, rediret, nec apud ſe diutius, futura ſemper ipſis, filiiſque detrimento, maneret. Haec mihi tunc, vt alia nonnulla huiuſcemodi occurrerunt, quibus ſententiam meam comprobarem, vt fit, quum ſemel

aliquis

aliquis opinionem aliquam ſuam de aliqua re amare coepit: tuetur enim eam ſtudioſe, atque omnia vndique ad eam confirmandam rapit. Expoſui tamen me nulla alia re tantopere fretum ita aſſeuerare, quantum elegantis illius, ac neceſſarij ſenſus opportunitate; quam [illegible] ſi poëta reliquiſſet, putarem non ſine cauſa in hoc loco acumen ingenij ipſius deſiderari potuiſſe. Ecce autem poſtridie quidam ex ijs, qui me audiunt, ad me veniunt, & cum tabellis quidem, vt Cicero ait, obſignatis, qui docent, tibi longe aliter de hac re videri; adferuntque epiſtolam quandam tuam verſibus ſcriptam, in qua manifeſto contra me ſtas. Cohorrui igitur ſubito atque animo concidi, poſtquam vidi mihi tecum rem futuram, quem nulla in re aduerſarium me habiturum vnquam putaui, & a cuius iudicio, ſi id ſciſſem, numquam diſcrepaſſem. Magna eſt autem auctotitas tua merito apud hos, atque id & ſua ſponte ipſi faciunt, vt probent, atque admirentur doctrinam, & elegantiam ingenij tui, & meis etiam aſſiduis vocibus ad hoc incitantur. Quare quomodo me geram in hac re, non facile mecum ſtatuere poſſum; atque id. quia veritatem huius rei non perſpicio: neque enim metuerem opinionem meam condemnare, & palam me in errore verſatum confiteri. Decreui igitur, te huius quaeſtionis iudicem ſumere, atque ita tibi omnem rem examinandam tradere, vt eum tu rurſus, ipſa diligenter ponderata, oſtendas, te in illa tua vetere ſententia perdurare: pollicear prorſus me ita quoque firmiter crediturum: & omnia, quae contra facere videntur, argumenta nullius ponderis exiſtimaturum. Vale, & me, quod iampridem feciſti, ama. Florent. Idib. Decemb. CIↃ IↃ LVI.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Caſae Archiepiſcopo Beneuentano. S.

QVAESIVISTI olim ex me per litteras, vir optime, & honeſtarum artium ſcientia inſtructiſſime; quid ſentirem de initio illo librorum T. Lucretij: qui cum philoſophus Epicureus ſit, atque illi diſciplinae totus addictus, quam tunc verſibus explicare aggrediebatur; videtur tamen ilico contra decreta ſua feciſſe, cum oret Venerem, vt pacem ab amatore ſuo Romanis impetret: liberetq; remp. illis malis, quae tunc ipſam vehementer perturbabant, quo aequiore animo Memmius, ad quem opus mittebat, incumbere huic ſtudio poſſit, ſolutus, liberque omnibus illis curis. Quis enim neſcit, Epicurum Deos immortales omni procuratione rerum humanarum liberaſſe, quietamque ac tranquillam vitam ſemper ducere exiſtimaſſe? Cum igitur hoc tibi negutium merito faceſſeret in fronte illius eruditi, ſummoque artificio confecti poëmatis (neque enim facile credendum erat, politum, diligentemque in primis poëtam, illic prooemium, quod non conueniret ſuae doctrinae, affixiſſe) voluiſti etiam ex me ſcire, quomodo nodum hunc diſſolui poſſe putarem: non quia, vt opinor, quod tibi incognitum, moleſtumque foret, mihi perceptum planumque eſſe exiſtimares: neque enim tantopere te arbitror vires ingenij tui, aut mei ignorare. Sed habet hoc animus noſter, vt cognitione rerum alatur, ac ſiquis vnquam ſcrupulus eum male habere coeperit, omni ratione ipſum euellere conetur, nec vllam viam non tentet illius moleſtiae depellendae. Eſt autem quaeſtio haec perobſcura, ac difficilis in primis, & quae non indigna ſit, in qua ſe docti viri, & humanioribus litteris dediti, exerceant. Non multo autem ipſe, poſtquam tuas litteras acceperam, cum accurate prius animo verſaſſem, quomodo dignitas poëtae defendi poſſet, & tam foeda macula è pulcherrimo eius corpore deleri, quid mihi in mentem veniſſet, pro tempore expoſui. Quod ſanè cum mihi non valde ſatisfaceret, intelligeremque praeclare tibi quoque non nimis probari, numquam curam iſtam penitus dimiſi, nec ceſſaui, cum legerem aliquid, quod ad diſciplinam illam faceret, videre diligenter, an aliquid reperirem, quo planum fieret, id, quod magnopere videretur diſſentire inter ſe, mirifice conuenire. Praeter enim quàm quòd tibi omni in re inſeruire cupio, ardenque cupiditate incredibili gerendi ea, quae grata & accepta animo tuo eſſe intelligo, paſcor & ipſe huiuſcemodi cogitationibus, nec aliam vllam non modo voluptatem his temporibus capio, ſed ne inuenio quidem, vbi leuiter acquieſcam, animumque a multis, magniſque aegritudi-

nibus reficiam, niſi in ſtudijs litterarum. Quibus rebus acceſſit, quod vnà cum erudito, & ingenioſo iuuene, his proximis menſibus, diligenter Lucretium relegi. Quare coactus ſum opiniones illas, ſententiaſque ipſius omnes in animo meo renouare, libroſque eos euoluere, in quibus aliquid, quod δόγματα ipſius illuſtret, contineretur. Hanc enim vnam rationem eſſe certam puto, vere explorateque ſenſus illius poëtae percipiendi; inueſtigare inquam, decreta illius familiae, quae ſparſa nunc multis locis, ac diſſeminata ſunt, ſummoque ſtudio adhibito, ipſa è tenebris eruere. Cum igitur valde huic curae intentus, accurate legerem Plutarchi Chaeronenſis librum, quem ſcripſit aduerſus Colotem Epicureum (valde enim hic grauiſſimus, eruditiſſimuſque ſcriptor, quod tu minime ignoras, infenſus fuit huic familiae, opinioneſque ipſius omnes, ac facta ſedulo ſemper labefactauit) repperi illic quiddam, breui prolatum, quod omnem hanc difficultatem tollit, docetq; Epicurum, cum voluiſſet, Deos nihil habere nec ſui, nec alieni negotij, ſuſtuliſſetque demum πρόνοιαν: eundem tamen reliquiſſe εὐχάς, putaſſeque preces, ac vota hominum de ſuis rebus a Dijs immortalibus exaudiri: necnon ceteras itidem rationes conceſſiſſe, quibus reliqui mortales Deos venerantur, & quae demum εὐσεβείας nomine continentur. Quod cum alij, ſtante illo, fieri non poſſe putarent, repugnareque magnopere haec inter ſe crederent; ille tamen non diſſentanea eſſe arbitrabatur. Hoc autem Plutarchus in multis alijs ponit, quae eodem vitio laborare credebantur, & ficta falsò, abſurdaque penitus ab Epicuro contenta exiſtimabantur, ad oſtendendam ipſius ſententiarum contrarietatem. Nec tamen, quomodo hoc Epicurus defenderet, probaretque ſuperiori ſententiae congruere, aut Plutarchus indicauit, aut alibi me legiſſe memini; Quod mirum videri non debet in tanta decretorum ipſius obſcuritate, & ceterorum ſcriptorum, in recitandis ipſius ſententijs, iniquitate. Neſcio enim quomodo hic praeter ceteros, cum probus & innocens homo, teſtimonio etiam aduerſariorum fuerit, ſemper improbe exagitatus ſit, & maledictis multis, quae nullo modo in vitam eius cadunt, vexatus. Quamuis autem diſſolutio haec non omnino animum impleat; quod tamen ſatis eſt ad dignitatem Lucretij tuendam, tam turpique negligentiae crimine ipſum liberandum, cumulate facit. Neque enim nunc de veritate huius rei diſputatur, in controuerſiamque venit, an potuerit Epicurus, cum Deos ſecuram agere vitam voluerit, nec ſua intereſſe putare, quid ab hominibus in vtraq; partem fiat, recte, huicque ſententiae congruenter, preces, votaque relinquere; ſed an poëta non decreto hoc ſuo prodito, Venerem, vt auxilium ſibi ferret, orarit, preceſque humanas, ad aures Deorum immortalium peruenire poſſe putarit. Quod liquido perſpicitur, indicio huius loci, ipſum ſecutum doctoris ſui auctoritatem, ſumma ratione geſſiſſe. Nam Ciceronem etiam inconſtantiam in ſententijs Epicuri ſaepe reprehendiſſe, notum eſt, protuliſſeque de illo aliquando, ipſum, cum multa praeclare ſaepe dicat, quam conſtanter ſibi, conuenienterque dicat, numquam laboraſſe. Exempla vero multorum Epicuri locorum, qui vt huic culpae affines, ab obtrectatoribus ipſius arguerentur, & in naturae ratione euoluenda, & in ijs, quae ad vitam moreſque pertinent, explicandis; & apud Ciceronem ipſum leguntur, & in illo ipſo Plutarchi opere inueniuntur; quae nunc commemorare, patefacto eo, quod quaerebamus, neceſſe eſſe non puto. Magno igitur tu conſilio vſus, ſemper bene de iudicio poëtae exiſtimaſti, nec quicquam ab eo commiſſum eſſe, quod non ſuae rationi conſonum foret, eo loco credidiſti. Volui vero ipſe, quicquid ſedulitate mea indagaſſem, tibi ſubito ſignificare, vt me mandatorum tuorum memorem eſſe intelligeres; quamuis ſciam, te nunc multo grauioribus curis diſtineri, quàm, quum animi cauſa huiuſcemodi lectiunculis poëtarum aliquas horas diei magno in otio conſumebas: nec vmquam ita Lucretium amaſſe compertum habeam, vt ſententijs ipſius delectarere: es enim omni eleganti doctrina expolitus, & acutiorem multò Peripateticorum diſciplinam Platoniſque reconditos fontes hauſiſti. Sed lepos Latini ſermonis, facundiaque admirabilis illius poëtae, in eo te quandoque tenuit aliquantum. Qui ſi felicior fuiſſet in argumento deligendo, & magis dignus poëtae nomine extitiſſet, & longo interuallo reliquos, qui maxime laudati poëtae ſunt, plurimorum iudicio viciſſet. Nam, quin hoc pacto poëmata ipſius multis luminibus ingenij referta futura fuerint (quod aliquando non ſine cauſa, ob materiam, quam ſumpſit, minime poëticis ornamentis recipiendis aptam, in ipſo deſideratum eſt) dubitare non poſſumus. Vale & me, vt ſemper feciſti, ama, ignoſceque huic meae loquacitati.

PETRVS

PETRVS VICTORIVS Philippo Rodulpho. S.

QVAE de voluntate mea erga te, vel ſtudio potius, accepiſti, vera prorſus ſunt: ardeo enim deſiderio incredibili tuae laudis; teque ſummum locum honoris inter aequales, & magnae ſpei adoleſcentes, obtinere cupio. Eum verò curſum, in quo nunc es, & quem, vt conficias, omnes ingenij neruos contendere debes, non nihil ſanè opera mea adiuuiſſem, ſi domi manſiſſes: nam & mecum ſemper aliqua ſcripta grauiſſimorum auctorum diligenter legiſſes, & ſtimulos tibi ego non nullos admouiſſem, qui te benè erga virtutem animatum magis adhuc ad eam inflammarent. Sed quoniam condicio temporum hoc paſſa non eſt, omnia in te poſita ſunt, oportet, quae ad laudem pertinent; habes aetatem; habes ingenium, habes memoriam; verſatus aliquandiu es in coetu eruditorum iuuenum; guſtaſti primoribus labris ſtudia ſcientiarum; adiſti quoque reconditos fontes Ariſtotelis, me certè, manu te paenè ducentem ad haec omnia, ac verum iter gloriae tibi monſtrantem, in poteſtate tua non exiguo ſpatio temporis habuiſti, nec aliorum praeterea cura defuit, tibi ſtudentium, laboremque tuum ſua ſedulitate ſubleuantium: quare neceſſe eſt, non parum profeceris in ſtudijs bonarum artium. Noli igitur nunc tibi deeſſe, vtereque praeclara hac ſupellectili, auxilioque eorum, quae perceperis, conare vlterius progredi; quod ſi facere in animum induxeris, intelliges, nihil magis ad cognitionem rerum optimarum prodeſſe, quàm ſtudium ac voluntatem. Sed tempus, vt arbitror propè eſt, quo ad nos redibis; quod ſi contigerit, (vt ſpero, & opto) tunc me ducem & auctorem omnibus in ſtudijs, in quibus aliquid valeo, ſi non recuſabis, habebis: vt autem alios fortaſſe doctiores, & qui te ſubtilioribus ſcientijs facilius imbuere poſſint inuenies; ita neminem tui amantiorem, & qui magis ex animo gloriae tuae faueat, reperies. Vincentius Bonannius valde te diligit, ſaluteque, quam ipſi per me miſiſti, mirificè delectatus eſt, ceteriq; item tui ſodales, qui apud nos reſtiterunt, te in oculis ferunt. Vale, & partem aliquam iſtius otij ſcribendo conſume.

PETRVS VICTORIVS Coſmo Medici Duci Florentinorum ac Senenſium. S.

PVTABAM eſſe officij mei, Dux clariſſime, cum in ſtudijs philoſophiae multum temporis conſumpſerim; debeamque temporibus omnibus tuis praeſto ſemper eſſe, videre ſi poſſem vlla ratione dolori tuo mederi, partemque aliquam aegritudinis, quae animum tuum exederet ob acerbiſſimum interitum optimae ac ſuauiſſimae filiae, inde delere; parabamque me ad aliquod egregium conſolationis genus è ſinu eius artis promendum, quae poteſt animum purgare, & haec ſaeua atrociaque fortunae vulnera ſanare. Cum igitur tota mente in hac cogitatione verſarer, accepi ab honeſto & graui in primis viro mirificam tuam eſſe in hoc caſu ſuſtinendo conſtantiam, teque forti ac magno animo excepiſſe iniquiſſimum hoc telum fortunae, nec paſſum vllo pacto eſſe illud altius penetrare. Eſt ſane hoc virtutis tuae, facileque inducor, vt credam, te reſtitiſſe dolori, quem duriſſimis temporibus omnes nouerunt, nullis inimicorum minis, nullis inſidijs aduerſariorum, nullo nouo, & inexpectato genere periculi, potuiſſe perterreri: ſed contra ſemper praeſenti animo grauia illa mala expectaſſe; virumq; te demum ac dignum eo loco, quem tenes, praebuiſſe: quamquam fuere plures eruditi, & graues homines, qui putarent aegrius poſſe inteſtino maerori reſiſti, & huiuſcemodi domeſticis plagis repugnari, quam incommoda & externa mala ſuſtineri: quia quanto magis aliquis humano & exculto animo eſt, tanto maiore ſuorum charitate tenetur, & eripi ſibi illos iniquius fert. Et ſane quis, niſi praeditus eo robore animi, quo tu es, quique praeclare cognitam haberet infirmitatem rerum humanarum, obitu talis filiae non vehementer commoueretur, totumque ſe maerori ac luctui traderet; quae cum ſummo loco nata eſſet; in ipſoque aetatis flore conſtituta foret, abundaretque omnibus & animi, &

corporis dotibus, ſubito in media ſpe rerum ſuarum, & cum honeſtiſſimo fortunatiſſimoque matrimonio iam iamque copulari deberet, veraque laetitia, & gaudio ſe, ac ſuos implere, extincta eſt, & ex oculis omnium miſerabiliter ſublata; quo maior tua virtus eſt, qui non communi ſenſu vteris, nec ſequeris in hoc opiniones imperitorum, ſed quemadmodum gradu honoris ceteris antecellis, ita nihil vulgare in animo tuo geris, totumque te remouiſti a iudicijs multitudinis: qui enim ſemel ſecum cogitauit, quanta ſit imbecillitas noſtrae condicionis, quique diligenter contemplatus eſt, quam ſint leuia, & caduca, quae ſtulti ſuſpiciunt atque admirantur, nulla huiuſcemodi re magnopere perturbari poterit: quare fructum capiet è rebus ſecundis, & cum huiuſcemodi quippiam contigerit, vt neceſſe eſt homini euenire, non ſtatu mentis conuelletur, neque omnem memoriam eijciet ex animo bonorum, quae reſtant ipſi in vita. Ignarus certe eſt noſtrae naturae, turpique admodum errore tenetur, & qui vnus vitam beatam maxime labefactare poteſt, qui ſperat omnia ſibi in vita propitia euentura, nec vllum vnquam incommodum interpellaturum eſſe curſum rerum ſecundarum. Huius certe animi non fuit Philippus Macedo Alexandri illius pater, qui Magnus ob res multas feliciter geſtas appellatus fuit, quod cognomen fortaſſe magis patri ipſi, quam filio conueniſſet: cum enim eodem tempore multa ei ex ſententia contigiſſent, intelligeretque, ſe illę potitum eſſe tribus, diuerſo in genere vehementer animo ſuo expetitis rebus, ſuſpectam habuit tam eximiam in ſe fortunae liberalitatem, nec poſſe diuturniorem illam eſſe putans, quia morem ipſius cognitum haberet, ac ſolere eam praeſtantibus mortalium bonis inuidere ſciret, porrectis in caelum manibus, inquit: Modico aliquo malo ò, dea, compenſa tam proſperum euentum rerum harum ſecundarum. Idem igitur tibi quandoq; in mentem venerit neceſſe eſt, qua ſapientia praeditus es, & plurimo rerum vſu inſtructus. nam quin omnium fortunatiſſimus ad eam diem extiteris, eodemque diu tenore in te ornando inconſtans haec dea via fuerit, dubitari non poteſt. Verita igitur ipſa, ne tanta ſua benignitas tibi obeſſet, & tam continenti curſu rerum nimis efferrere, te hominem eſſe admonere voluit; putabat enim eodem errore, quo multi opulenti homines, ac maximi reges implicati ſunt, teneri; quod ſi eo animo fecit, quod fecit, non a vetere ſuo ſtudio te exornandi diſceſſit; nullum enim maius beneficium in aliquem conferri poteſt, quam animum ipſius curare, & omnes ſtultitiae fibras inde euellere: nam quantam vim habeat ad perdendum, & labefactandum conſilium hominis, atque mentem, proſperitas & magnus ſucceſſus rerum bonarum, & quam facile illabatur in animos fortunatorum hominum haec peſtis, faciatque, vt illi obliuiſcantur ſuae naturae, inde etiam intelligi poteſt. Quod Epaminondas Thebanorum imperator, altera die, poſtquam inſigni illa pugna, & quae neruos eius gentis incidit, Lacedaemonios deuicit, è tabernaculo exijt ſqualloris plenus, humiliſque; qui tamen antea conſueuerat, & nitido corpore, & alacri vultu in publicum prodire. Quaerentibus autem ex eo amicis, an aliquid triſte repente interueniſſet, nihil inquit: verum heri animaduerti, me ipſum magis, quam oporteat mihi placuiſſe: quare hodie caſtigo immoderatam illam laetitiam. Non potuit igitur, qui temperatam ſemper vitam, tenuemque coluerat; quique animum optimis artibus diligenter expoliuerat, facere, quin ille in tanta immutatione rerum nimis exultaret, & è finibus ſuis aliquantulum egrederetur; cognouit tamen ſtatim ſapientiſſimus vir impetum huius irrepentis tacite mali, & paena ab ipſo palam ſumpta, animum acriter coërcere non dubitauit. Quare mirum non fuiſſet exemplo multorum clarorum alioqui virorum, qui ea ratione corrupti ſunt, ſi tibi quoque eadem res fraudi fuiſſet, & aliquid labis animo tuo attuliſſet. Nunc autem aut nulli, aut leui admodum huiuſcemodi malo tam acre medicamentum adhibitum eſſe, dolendum eſt, ſed nobis magis quam tibi, qui non tam forti animo praediti ſumus, nec tam egregie munitum pectus contra humanos caſus habemus, nec minus tamen, quam tu ipſe, incommodis moleſtijſque tuis angi & maerere debemus. Nam ipſe, vt partes meas implerem, niſi audiuiſſem incredibilem tuam exiſtere in ſuſtinendo iſto malo fortitudinem, cogitaueram, te admonere, vt ſpectares praeſentes fortunas aliorum iſtius loci hominum, & qui ſuperent etiam, ſi non prudentia, opibus tamen, & amplitudine poteſtatis dignitatem tuam; hortatuſque eſſem, vt ante oculos tibi poneres res eorum aduerſas, & quemadmodum ipſi contrarium valde exitum conſilijs ſuis nacti ſunt, attenderes; non quia putaſſem, niſi animum aegritudine impeditum haberes, te non multo melius quam me, haec perſpicere poſſe, atque intueri. Sed poſtquam ſemel aliquis ob aliquod acceptum incommodum valde angi, ac ſollicitari coepit, habenaſque tandem dedit maerori, paenè ſenſu omni orbatur: nec videt, aut cogitat, niſi quae moleſtiam illam tuentur, & augent. Haec quidem, quae proximis his menſibus euenere, documento ſatis certo eſſe poſſunt, quam ſint fragiles, & infirmae res humanae, &

inanes penitus, fallaceſque noſtrae cogitationes, tibique prorſus ſignificare, non male omnino tecum actum eſſe, quamuis repente hoc graui vulnere perculſus ſis; neque enim ſperare debuiſti, te penitus extra condicionem aliorum eſſe, & in quem nulla aliquando calamitas cadere poſſet: non enim eſt hoc ſapientiae tuae, neque ita inſolenter de te ipſo, praeclariſque tuis bonis ſentire conſueuiſti. Non parum etiam ad dolorem iſtum mitigandum valere arbitratus eſſem, eoque magna cum ſpe remedio vſus forem, quod illa praecipue in re fortunae immutationem in te cognouiſti, qua praeclare ornatus es, & abundas; cum enim ipſa ſuperioribus temporibus copioſe tibi plurima dilargita ſit, hoc in primis eximio, & praeſtanti bono ditauit, & contra omnes huiuſcemodi caſus armauit: & numerus enim liberorum is eſt, & ea in ſingulis indoles, ac feſtiuitas, vt vnius iacturam, ſuauitate reliquorum facile conſolari poſſis; aequiore certe animo quiuis ferre debet, cum è magno aceruo aliquid ſibi ſurreptum videt, quam ſi parte aliqua inde dempta, exiguae eius rei, aut nullae prorſus copiae reſtarent; quod tamen illuſtribus multis, & honeſtis viris in poſſeſſione etiam huius ingentis boni aliquando contigiſſe, memoriae proditum eſt. Non omiſiſſem etiam rogare, ſi te molli, ac tenero nimis animo hoc detrimentum ferre audiſſem, totumque in luctu, ac ſquallore verſari, vt, quod longinquitas, ac dies neceſſario factura eſſet, rationi mature concederes: nullus enim vmquam tantus, nec tam iuſtus animi dolor, ac maeror fuit, quem non tempus aliquando leniret; atque omnes denique ipſius radices extirparet; conuenireque id magnopere prudentiae tuae docuiſſem, prouidere hoc, citoque huic medicinae occurrere, nec tardum illud, lentumque nimis remedium temporis expectare. Nam, quin debeamus ſedulo hoc procurare; moleſtoque valde, & qui meliorem noſtri partem vehementer laedit, tamquam morbo aliquo, animi dolore nos liberare, dubitandum non eſt: aliter enim non poſſumus hoc, quod datum eſt vitae tranquille beateque degere. Exemplis denique aliorum, magnopere in omni ſua vita, probatorum virorum, declaraſſem, aequo animo has ipſas iniurias tolerari oportere: nec philoſophorum ſolum, qui cum omni ſua vita huiuſcemodi caſus meditati ſint; omneque ſtudium ſuum in communis naturae fragilitate conſideranda poſuerint, mirandum non eſt, ſi forticulos poſtea ſe praebent in dolore ſuſtinendo, ſed eorum etiam, qui in honoribus populi, atque in rep. toto animo verſati ſunt, & opulentorum demum hominum, ac ſummorum regum; quorum etiam magnitudo animi, praeſentiaq; in hoc malo contemnendo, morteque liberorum conſtanter ferenda, mirifice celebrata eſt: magna autem nunc eorum copia relicta, quae mihi ſe offert, vnius tantum meminero, Antigoni Regis: intelligo enim ad quem ſcribam, qui ſane accepto triſti illo nuntio de Halcyonij filij obitu, qui in praelio obtruncatus fuerat, fertur, excelſo animo reſpexiſſe in illos, qui tantam cladem ipſi renuntiarant, &, cum parum tacuiſſet, humique defixos oculos tenuiſſet, dixiſſe. ò, Halcyoneu ſerius quam putabam è vita migraſti, cum adeo temere in hoſtes irrueres, nec vllam aut tuae ſalutis, aut meorum praeceptorum memoriam conſeruares. Hac igitur ille, tanto rege digna voce ſignificauit, & ſe charitate ſuorum magna teneri, & tamen paratum eſſe, ſiquid aduerſi accidiſſet, & quod optimis ſuis conſilijs repugnaret, grandi animo, & conſtanter ferre. Sed neque dum tibi, ſecuritatique animi tui conſulerem, oblitus etiam eſſem noſtrorum commodorum: nobis enim nullo modo prodeſt, te vlla re impediri, nec oculos vmquam deijcere a gubernaculis ciuitatis. Poſtulaſſem igitur, ſi nullo alio argumento te a triſtitia reuocare potuiſſem, nec traducere animum tuum ad cogitationem reliquorum, quibus abundas, maximorum bonorum, vt dares hoc patriae; dares ſummo iſti loco, quem in ea tenes; dares denique precibus tuorum ciuium, qui multis incommodis conflictati, nuperque ſiquid mali, quod adhuc experti non eſſent, reſtabat, atroci hac eluuione vexati, nulla alia in re, niſi in ſtudio, & benignitate tua, ſuorum damnorum reſarciendorum ſpem habent. Reſp. autem, & patria, vt operam, & conſilium tuum paratum ſibi ſemper eſſe vult, vt eo ſingulis horis in bonis ſuis tuendis, maliſque declinandis vti poſſit, ita etiam veterem ſuam ſpeciem, tam elegantem & venuſtam, & omnia denique ornamenta, quae proſtrata nunc, & deformata iacent, auxilio tuo ſperat ſe recuperaturam. Haec igitur & huius generis alia, accurate collegiſſem, quae a doctis & ingenioſis viris excogitata ſunt, ac monimentis litterarum tradita, ſi opus eſſe his medicamentis intellexiſſem; quibus ſane opus non eſſe, vehementer gaudeo. Cum vero illa a me breui nunc nulla neceſſitate expoſita ſint, volui in hoc animo meo ſatisfacere, ac tibi ſedulitatem meam probare; qui cum omni in re te fortunatum eſſe cupiam, curſumque tuarum rerum ſecundarum perpetuum eſſe optem, vt, quemadmodum ſemper feci, eximias fortunas tuas, cumulumque praeſtantiſſimorum bonorum libenter praedicare poſſim; non deeſſe tamen decreui triſtioribus etiam temporibus, ac ſpecimen aliquod huius meae in te voluntatis a me dari, non alienum putaui; quae ſane

officia, vt mihi iucunda nullo pacto eſſe poſſent, ita tibi, vt in malis, non ingrata futura conſiderem. Quamquam opera haec mea non inutilis omnino importunaque fuiſſe, alio etiam nomine exiſtimanda eſt: & ſi enim confici penitus te atroci hac plaga paſſus non es; pulchreq; aegritudini illi ac maerori reſtitiſti; natura tamen huius rei fert, vt morſus quidam doloris aliquando exoriantur; niſi diligenter antea prouiſum eſt. Ijs igitur recordationibus ſtimuliſque, qui grauiter pungerent, atque animum contrahere niterentur, medicina facienda fuit, ne ad te vmquam penetrare poſſint, aut, ſi forte ſubito aliqui apparuerint: non enim ſilice nati ſumus, neque ea vis eſt animi noſtri, vt nullo vmquam impetu doloris vllo modo quati poſſit, intelligant, te munitum eſſe contra ipſorum incurſiones omnes, & acerrimas etiam tempeſtates. Quicquid profecto a me factum eſt labore hoc, quem cepi, inflammatus ſtudio te adiuuandi, & omnem maculam ex animo tuo abſtergendi, ab optimo animo, ac tibi deditiſſimo profectum eſt; de quo te dubitare nullo pacto puto. Quare in bonam partem omnino, ſiqua forte in re lapſus ſum, te accepturum confido, &, ne tibi amplius moleſtus ſim longitudine huius epiſtolae, finem faciam ſcribendi. Vale. Kal. Decemb. CIↃ IↃ LVII.

PETRVS VICTORIVS Lectori. S.

PLVRES, vt apparet, eidem operi, eodem tempore, diuerſis tamen in locis, toto animo incubuere, communis vtilitatis ſtudioſi, ac Graecas litteras hac etiam parte adiuuare volentes: cum enim Aeſchylus Athenienſis, magni nominis in tragicis, ſummaque cum laude in eo ſtudio verſatus, ad noſtra tempora, quibus & doctrina omnis liberalis, & in primis Graeca lingua reuixit, mancus vndique ac debilis perueniſſet: (nam & plurimae ipſius tragoediae funditus periere, & nō nullae, quae reſtabant, mendoſè excuſae fuerant; turpibuſque maculis affectae in manibus habebantur) huic illi malo remedium adhibere conati ſunt; eaſque rurſus diligentius multo, integriuſque imprimendas curarunt, ac non pauca ipſius vulnera facile ſanarunt. Nos igitur quoque, qui olim eidem rei operam diligenter dederamus, ac non ſine fructu aliquo, cum antiquis libris hunc poëtam contuliſſe nobis videbamur, perire lucubrationes noſtras noluimus, ſed eas erudito ac diligenti iuueni Henrico Stephano diuulgandas dedimus, cum hic apud nos facultatem edendi nullam haberemus; cuius rei expectatio diu conſilium noſtrum remorata eſt. Atque hoc non fecimus, vt laudem aliorum minueremus, ſed vt, quicquid ſtudio noſtro in hoc efficere potuimus, in medium proferremus: neque nunc labores noſtros cum eorum vigilijs conferemus, vllamve in partem viciſſe nos illos gloriabimur; docti poſtea viri videbunt, quae potiſſimum è multis editio anteponenda ſit. Vna certe in re illis feliciores fuimus, quod integram Agamemnonem nacti ſumus; cuius fabulae prima tantum pars, atque ea quidem puſilla, typis antea excuſa fuerat. Nam quòd prius errore quodam non paruo, confuſa haec fabula erat cum Choëphoris, originem huius incommodi (niſi fallor) indicabo. Erant in vetuſtiſſimo, nobiliſſimoq; volumine, quo continentur omnes Sophoclis atque Aeſchyli tragoediae, quae ſuperiorum temporum acerbitatem ſubterfugere; nec non Apollonij etiam Argonautica: (id autem apud nos eſt) ambae hae fabulae, eodem ordine ſcriptae, quo res ipſae geſtae fuere; vt Agamemnon praecederet, conſequerentur Choëphorae: lapſae autem illinc ſunt paginae non nullae, ſiue ab improbo quopiam exciſae, in quibus reliqua ac magna quidem illa pars Agamemnonis continebatur, & initium Choëphorarum manebat: neque enim multa è principio huius fabulae videntur deſiderari. Alium autem librum inueneramus, in quo Agamemnon integra eſſet: cum tamen nec in illo, nec in altero vllo Choëphoras totam reperire potuerimus: quare affirmare auſim, eam partem huius tragoediae ex hoc noſtro exemplari manaſſe; vnde ſane deſcripta fuerit, poſtquam id incommodum, quod narraui, acceptum eſt: quare mutilata capite, atq; initio ſuo in manus venit. Quod vero ad Agamemnonem pertinet; ne quicquam omitteremus, quod ad eius reſtitutionem faceret, cum audiſſemus, Romae in bibliotheca Alexandri Farneſij, ſummi Cardinalis, atq; omni re, nobili ac ſplendido homine digna, inſtructiſſimi, Aeſchyli volumen inueniri, in quo haec fabula legeretur, conferendam eam, a nobis deſcriptam, curauimus cum eo exemplari; in quo nobis operam ſuam fidelem atque eruditam praebuit Gulielmus Sirletus, vt cuncta diligenter notaret, quae illic aliter legerentur. Nos autem poſtea varietatibus illis diligenter ponderatis, in eam opinionem

venimus,

venimus, vt noſtrum librum non deteriorem illo putaremus, ac magnam partem eorum, quae variata in eo offenduntur, immutatam ab aliquo crederemus, qui in ſuos quondam verſus reſtituere chori cantus voluerit: ſaepe enim addita, aut dempta illic quaedam cognouimus, quae conſilium ipſius adiuuarent. Vt autem comitem huius laboris, magni quidem atque ardui, eruditum ac ſtrenuum iuuenem habui Bartholomaeum Barbadorum (quem ſemper, propter ingenij excellentiam, & optimarum artium ſtudium, plurimum amaui) ita laudis ipſum ſocium habere cupio, ſiqua ex tam tenui ſtudio gloria acquiri poteſt. Quamquam nobiliſſimos viros, & pulcherrimarum rerum ſcientia politiſſimos, honeſte olim in eo verſatos accepimus; & ſane, ſi ſpectetur vtilitas, quae profecto ingens capitur è diligentia poſita in emendandis, auctoritate veterum librorum, antiquorum monimentis, res praemio hoc virtutis atque honeſtorum factorum carere non debet. Nam, quàm moleſtum in primis atque operoſum hoc negotium ſit, nemo dubitare poteſt; ſed magis hoc cognitum ac perſpectum habent, qui id experti ſunt, & aliquando in eo occupati fuere. Non paenitebit autem nos tantos labores in alieno opere ſuſcepiſſe, ſi gratos illos & acceptos ſtudioſis ingenuarum artium eſſe intelligemus. Dignus certè ſemper nobis hic poëta viſus eſt, & propter ſententiarum grauitatem, & propter elegantiam ſermonis, in quo purgando cuncti, qui id facere poſſent, omnes ingenij sui vires contenderent; & ſane conſenſus duorum doctiſſimorum, atque eruditiſſimorum virorum; qui in hoc elaborarunt, eiuſdem iudicij fuiſſe illos declarauit. Multa vero, quae valerent ad eum ornandum, & ad vtilitatem, quae ex accurata eius lectione capi poteſt, oſtendendam, commemorare non libet: magnis enim ille crebriſque teſtimonijs grauiſſimorum & Graecorum, & Latinorum ſcriptorum celebratus eſt; & non vt poëta ſolum, ſed etiam vt philoſophus, ac ſcientia reconditarum artium ornatus. Nam, quantopere etiam ſtudium ſuum adiuuerit, ac quantum dignitatis ei adportarit, quod prius rude admodum atque inchoatum ferebatur (quamuis ſummum eius attingere non potuerit) ab vtriuſque linguae magnis auctoribus memoriae mandatum eſt. Volui etiam, humaniſſime lector, tibi quid de ſcholijs, quae inueniuntur in antiquis libris ſentirem, oſtendere; ſimulque quantum numerum bonitatemque eorum auxerim, quae in Aeſchylum antea excuſa fuerant, libellumque hunc multis partibus meliorem reddiderim, indicare. Declarationes igitur has non contemnendas plerumque arbitror, quippe cum videam, Euſtathium Homeri interpretem, qui vltimis Graeciae temporibus floruit, magnaeque auctoritatis grammaticus habitus eſt, earum teſtimonio ſaepe niti, atque ipſas diligenter citare. Arbitrorque non paucas ipſarum particulas eſſe iuſtorum commentariorum, quae inde ſumptae, commoditatis cauſa, vt parata aliquis haberet, quae notionem externae aut priſcae vocis traderent, aut conſuetudinem aliquam referrent; translatae poſtea ſint in libros ipſos poetarum. Cognoui enim hoc contigiſſe in multis antiquiſſimis Ariſtotelis exemplaribus, vt declaratiunculae multae, quae illic leguntur (ſiue illi libri rationem diſſerendi, ſiue res naturales tradant, ſiue partem aliam philoſophiae explicent) hauſtae ſint è magnis pleniſque doctiſſimorum virorum, Alexandri, Simplicij, Philoponi voluminibus: illae autem quum ſemel ſtudio alicuius in opus ipſum auctoris tranſierant, fiebat, vt ſemper, qui illum auctorem deſcriberet, notaret etiam quae in margine eius exemplaris appoſita forent. Neque tamen eiuſdem auctoritatis, fideique omnes eſſe iudico; vt nec omnia etiam commentaria, quae in antiquos ſcriptores confecta ſunt, eandem diligentiam, eruditionemque prae ſe ferunt. Vt autem libere loquar, quod ſentio de ſcholijs ijs, quae in tres nobiliſſimos tragicos circumferuntur, puto haec, quae in Aeſchylum leguntur, in vetuſtiſſimo praeſertim noſtro exemplari, meliora ceteris, & eruditiora eſſe; primaſque ipſis libenter detulerim: ſecundas vero Sophocleis, & illis maxime, quae Romae primum ſeparatim excuſae fuerunt: nam ipſa poſtea creuere opera cuiuſdam, qui magis numerum eorum augere voluerit, quam intelligentiam eius poëtae adiuuare ſtuduerit: immiſcuit enim cum ipſis non nulla, doctrina & acumine priorum illorum indigniſſima. Quae in ſeptem Euripidis tragoedias declarationes editae ſunt, minores multo, inferioreſque doctrina eſſe exiſtimo. Nam hoc etiam affirmare non dubitarim, quod ſcio, Graecum hominem, qui Sophoclea primum ſcholia, formis excuſa, diuulgauit, deſcripſiſſe ipſa è noſtro hoc exemplari; ac praeterea illa, quae apud nos abhinc annis ſexaginta in Apollonium Rhodium excuſa ſunt vnà cum opere ipſo poëtae, ab eodem libro fluxiſſe; quod valet etiam ad nobilitatem huius voluminis oſtendendam, auctoritatemque ei vndique ac gratiam conciliandam, cum inde tot commoda in ſtudioſos bonarum artium profecta ſint. Neque tamen, ijs ſolum retentis, quorum veſtigia in noſtro antiquiſſimo exemplari impreſſa ſunt, cetera reieci, quae prius excuſa, illinc abſunt: illa enim quoque vtilia puto, ac poſſe aliquando ſua luce caliginem alicuius obſcuri apud poëtam loci diſcutere cenſeo: hoc tamen teſtificari volo, plurima,

quae

quae in excuſo antea volumine leguntur, explanata ita, vt ſingulis poëticis vocibus ſtatim redditae ſint earum declarationes, in noſtro calamo antiquitus exarato libro inueniri ſine tam accurata, minutaque omnium verborum expoſitione: quòd contentus auctor eorum fuerit, aut ordinem verborum monſtraſſe, aut veterem aliquem morem tradidiſſe, aut aliquid, quod ad artem pertineret, admonuiſſe: neque tantopere diffiſus ingenio fuerit, eruditionique lectoris, vt egere illum ſemper ſingularum vocum, non reconditarum etiam propinqua, coniunctaque explanatione iudicarit. Nam hoc etiam aſſeuerare auſim, in nullis alijs tragicorum ſcholijs plura inueniri, quae ad artificium huius poëmatis oſtendendum pertineant, ac ſtudioſos eius percipiendi magis adiuuare queant. Quòd ſi genere aliquo declarationis alicuius tragici poëtae ſcripta egebant, hae ipſae in primis Aeſchyli fabulae id requirebant: cum infinitis locis obſcurae admodum ſint, inueniantur que in ipſis multa nomina valde a conſuetudine remota. Ille enim, vt vndique amplum grandeque id poëma efficeret, & plura quàm alij eiuſdem loci verba nouauit, & vetuſta etiam, peregrinaque liberius vſurpauit; quae omnia, niſi explicata forent, moleſtiam ſaepe lectori non paruam exhiberent, impetumque eius vehementer retardarent. Neque tamen ille vmquam, dum ſeruit amplitudini eius poëmatis, nitorem atque elegantiam ſermonis neglexit: aſperſa enim eſt oratio ipſius ſuauiſſimis quibuſdam quaſi floribus, qui exornant eam magnopere, & vndique concinnam ac politam reddunt. Iuuit autem me praecipue, quum breui in margine noſtri illius libri ſignificatum inueni, hoc aut illud ad imitationem Homeri prolatum fuiſſe; omneſque illas animaduerſiones diligenter collegi; ſiue illae eodem pacto vſurpatum verbum aliquod fuiſſe ab Aeſchylo, quo a principe poëtarum, oſtenderent; ſiue ſententiam quampiam hauſtam eſſe è fonte eodem pulcherrimarum, grauiſſimarumque ſententiarum demonſtrarent: nam omnibus in rebus Aeſchylum ſummum Homeri imitatorem extitiſſe, admiratumque ſemper eſſe ingenium, & eruditionem ipſius ab optimis auctoribus proditum eſt: cum idem etiam (vt erat probus vir, ac ſimplicia naturae) feratur ſolitus dicere, tragoedias ſuas, exiguas eſſe partes amplarum Homeri cenarum: quod cum, vt multa alia, Graecè melius dicatur, ita tamen quoque expoſitum declarat, quantum honorem ipſe habuerit eximio poëtae, & quantopere ſe adiutum ingenio ipſius, inuentioneque fateretur. Labores autem, quos ſuſtinui in ſcholijs ijs, quae adiunxi, eruendis ex antiquo exemplari, & ordine ſuo collocandis (cum ob vetuſtatem illud multis locis paenè deletum ſit) ac faſtidia, quae in tam humili, minutoque opere deuoraui, commemorare non libet: neque enim quicquam vmquam, quod prodeſſe poſſit ſtudioſis, aut nimis arduum, aut me indignum putabo. Vale.

PETRVS VICTORIVS Chriſtophoro Rufo, S.

MVNVS tuum valde mihi carum, acceptumque fuit, Rufe cariſſime, atque id non immerito: quid enim magis gratum, iucundumque dari poteſt homini ſtudioſo litterarum, quam huiuſcemodi aliquid, quod pertineat ad ingeniorum expolitionem, valeatq; multum ad tenebras è bonis auctoribus pellendas, lapſuſque aliquos in illis interpretandis doctorum alioqui, clarorumque virorum demonſtrandos; qua in re tractanda, quemadmodum multum vidiſti, praeclareque prorſus te geſſiſti, ita cum è multis, ad quos rectè tuus hic labor mitti potuiſſet, loquor de litteratis viris, & qui hoc genere ſcribendi delectantur (nam fortunatos homines, quibus plerumque omni tempore monimenta ingenij dicari ſolita ſunt, videris conſulto fugiſſe) me potiſſimum delegeris; ad quem, eruditionis plenum, variaeque doctrinae hunc ipſum libellum mitteres, non ſine cauſa id feciſti: ipſe namque ſemper ſcriptionis genus hoc probaui, & quantum potui, colui, vt mirifice vtile, ac quod ſine fuco, pompaque egregios fructus ſaepe ferat, neque tamen non cum huiuſcemodi dona plurimum ornent perſonam eorum, ad quos miſſa ſunt; indicentque beneuolentiam magnam illorum, qui miſére. Fateor, me his quoque nominibus non parum tibi obligatum eſſe: praeſertim cum nulla tecum neceſſitudine coniunctus antea forem; vixque me de facie notum haberes. Puta igitur ijs de rebus, valde me tibi amicum eſſe; ardereque deſiderio, praeclarum iſtum animum tuum compenſandi, & aliquo genere beneuolentiae in iſta voluntate retinendi; quamquam confido, te, quod ſponte ſuſcepiſti, nulliſque meis meritis & officijs impulſus, diu id ad finemque cu-

ſtoditurum,

ſtoditurum, in quo mihi vehementer gratum facies; ipſe quoque, ſiqua ratione vmquam potero, vt maiorem cauſam in reliquum me ornandi habeas, operam dabo: nulla enim in re me vinci, ac ſuperari, quam in huiuſcemodi muneribus grauius fero, praeſertim ſi culpa, negligentiaque mea commiſſum eſſet, ne gratus memorque beneficij exiſtimarer. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Lectori. S.

QVANTVM ſtudium, fidemq; olim in hoc epiſtolarum volumine emendando adhibuerim: quotque & quantas maculas hinc deleuerim auxilio veteris exemplaris, facile arbitror cognouiſſe omnes, qui de his rebus iudicare poſſunt, & nullo liuore impediuntur. Commodum autem mihi fuit rurſus, poſt tot annorum ſpatium, eidem operi incumbere: cum enim paratus ſemper ſim omni re, qua poſſum, ſtudioſos bonarum artium adiuuare, nunc potiſſimum ex ſententia me hoc effecturum exiſtimaui, poſtquam eius rei, quam maxime optaueram, facultatem me adeptum vidi, vt apud nos ſcilicet liber excuderetur, quod mihi tunc non contigit. Sed vt rationem, quam ſecutus in hoc ſum, aperiam, probemque me nihil temere feciſſe, contraque potius tanta cura, animaduerſioneque in tenui quauis ſcripturae mutatione vſum fuiſſe, vt ſi de magna aliqua re ageretur: magnum enim eſſe arbitror integritatem veterum ſcriptorum cuſtodire; eoſque quantum fieri poteſt, puros, incorruptoſque poſteris tradere. Vt igitur factum meum conſtituam. extat in Medicea, nobiliſſima omnium bibliotheca, antiquiſſimus harum epiſtolarum liber, cuius etiam auctoritate in hoc munere obeundo iam pridem vſus fui. ad eum igitur in primis redij, ipſumque diligenter euolui. Eſt autem ille vetuſtatis illius, quae vere ita vocari poteſt, omnique veneratione digna eſt. cuiuſmodi ſane pauca reperiuntur priſcorum hominum monumenta, non tantum è charta, fragiliq; hac materia, verum etiam è lapidibus caementiſque conſtructa: quid enim tanta temporis longinquitas non conficit atque conſumit? eſt inquam paene vetuſtatis illius, cuius & Florentinae Pandectae, & Virgilianus Palatinus codex: nec non Terentij liber valde praedicatus, exiſtit. Hoc enim non alienum eſſe duxi teſtari, quia non pauci ſunt, qui cunctos calamo exaratos antiquos appellant: illi vero vt ex optimis exemplaribus exſcripti eſſe poſſunt; atque ita aliquando non mali, infideleſque merito haberi, ita qui illo modo vocentur, & in numero horum, quos ſignificaui, habeantur, digni nullo modo ſunt. Ne autem diutius in eius fidelitate oſtendenda, & argumentis aliquibus comprobanda, tempus teram, citabo locupletem grauemque teſtem huius rei, vel potius clariſſimum praeconem, Angelum Politianum: is enim, qui ipſum & vidit, & diligenter legit, mirifice eum laudat; arbitraturque, quod ſignis ſatis certis confirmat, ex ipſo tamquam è fonte aliquo, capiteque, ceteros omnes manaſſe, quotquot tunc extarent, harum epiſtolarum libros: non eſt autem auditum alium vllum repertum, è tenebriſque erutum, poſt Angelum mortuum; cuius integritas magnopere celebretur, quod ſane in alijs non nullis, & Ciceronis ipſius, & aliorum etiam bonorum auctorum monumentis, non ſine aliqua huius ſeculi felicitate, effectum eſt. Facit autem hoc ille in XXV. capite ſuarum Miſcellanearum vbi docet, cum multa praepoſtera in his ipſis epiſtolis vulgo & excuſa & ſcripta eo tempore forent, in quam ſeriem eſſent reſtituenda. Cum igitur ita ſe res habeat, vt inde profecta ſint cetera ipſarum exemplaria, quod ipſe quoque nouis quibuſdam, nec ijs contemnendis argumentis confirmare poſſem, ſi opus eſſe iudicarem, reprehendi non debet, qui in primis illud ſpectat, & quicquid in eo ſcriptum eſt, diligenter ponderat: ipſum enim inſtar eſt omnium, vel potius ceteri omnes prae illo contemnendi: notus enim mos eſt eorum, qui aliquid exſcribunt ex antiquis libris: potius enim multa ſaepe corrumpunt, deprauantque, quam aliquid vmquam corrigant, aut emendent, quod in exemplari maculoſum ſit, vel potius tunc maxime corrumpunt, deteriuſque reddunt, cum emendare aggrediuntur. Nec tamen non ego plurimos calamo exaratos, ſedulo collegi, & è publicis bibliothecis, priuatiſque domibus, deprompſi. cuius rei mihi teſtes eſſe poſſunt multi honeſti & eruditi viri, qui ad me ſalutandi cauſa hoc tempore venerunt: viderunt enim circumfuſum vndique multis harum epiſtolarum voluminibus; eaque paſſim explicata iacere, vt ſtatim omnia, quae vſus ferret, inuenirentur. Vtinam diligentia hac, conquiſitioneque acri talium librorum aliquid proficeretur. vtinam ita poſſent notae, quae in illis

reſtant deleri, aut manca & decurtata loca ſuppleri: nulli enim labori parcerem, nec mihi (vt opinor) deeſſent amici, qui ſtudio huic meo ſeruirent; cuius rei argumentum eſſe poteſt: quod paene inuito mihi non nulli, beneuolentia ducti, auxilio mihi fore putantes, huiuſcemodi libros obtruſerunt, & ex longinquis etiam terris miſerunt. Cum igitur hoc modo ſe res habeat, quod accuratiſſimi quoque doctiſſimique viri teſtimonio confirmatum eſt, vt ex hoc vno ceteri deriuati ſint, patet, quae in eo corrupta, lacerave ſunt, non poſſe niſi coniectura ſanari, quicquid igitur integrum appatet in ceteris, aut ſcriptis, aut excuſis, quod illic vitio alicui affine ſit, id fucatom eſſe, intelligitur. quae ratio emendandi quam lubrica fallaxque ſit, exploratum iam eſt, cum magno optimorum ſcriptorum detrimento: non pauciora enim vulnera ipſis impoſuerunt hi ſiniſtri correctores, quam tempus ipſum, & inſcitia priſcorum ſeculorum; nec tamen mederi aliquibus plagis poſſe negarim eruditione & acumine ſuo ingenioſos viros: & non paucos locos grauium ſcriptorum ita feliciter reſtitutos fateor. idem tamen modice hoc fieri debere arbitror, & cum maior aliqua tantum neceſſitas vrget, ad hocque efficiendum magna adminicula praebentur ab antiquis exemplaribus: ſi nulla namq; veſtigia reſtent verae lectionis, aut ſi penitus illa confuſa, contaminataque ſint, quis putet ſe tantum ingenio valere, vt in tantis tenebris lucem aſpicere queat? multo facilius idem exiſtimare licet, vbi membrum aliquod defecit: totaque ſententia incuria librarij omiſſa eſt, quod in his ipſis epiſtolarum libris pluribus locis factum eſt. eos igitur locos, quos ita affectos eſſe cognoui, ſatius eſſe duxi, ita vt inueni, ſtudioſis tradere, quam ingenio alicuius reſtitutos, vt veros & proprios auctoris proferre: neq; enim mihi vnquam curae fuit, aut propoſitum hoc habui, omnia moliri ac facere, vt integri prorſus hi libri viderentur, & ſiqua in ipſis macula foret, ea tegeretur, ne pueri, emptoreſque hinc reijcerentur: tam enim amicus veritatis ſum, quam qui maxime: ſtudiumque meum, grauibus viris, & iudicio praeditis, gratum in primis acceptumq; eſſe cupio. Vtinam huius animi plures, qui vtilitatibus ſtudioſorum ſeruirent, & huic rei operam nauarent, extitiſſent: nam fuiſſe non nullos fateor, & adhuc etiam exiſtere, qui cum fide, & quaſi religioſe verſentur in hoc munere certum eſt; è quorum numero primae meo iudicio Laelio Taurellio deferendae ſunt, qui vtiliſſimum opus; & in quo puſillae etiam mendae valde moleſtae forent, plurimumque obeſſe poſſent, ſummo ſtudio ac diligentia purgauit, cuncta exquiſite minuteque conferens cum antiquiſſimo celeberrimoque Pandectarum exemplari: hic enim tanta cum fide ſe geſſit, adeoque caute negotium illud adminiſtrauit, vt nihil vnquam iudicio ſuo, quo plurimum valet, tribuere voluerit: ac non nulla etiam, quae ſane vitioſa ſuſpicaretur, vt in exemplari inuenit, reliquerit: neque enim tantum prodeſſe poteſt vnus, alterue locus ita feliciter reſtitutus, quantum obeſſe licentia in aliena ſcripta inuadendi, ſuaque ex libidine aliqua illic fingendi: animus enim noſter, poſtquam ſibi ſemel indulgere coepit, vlterius ſemper progreditur: & cum inuentis ſuis delectetur; nihil eſt, quod non audeat. Hunc igitur & doctiſſimum, & omni in re prudentiſſimum virum, in hac re mihi imitandum propoſui: nec ſane multum mihi laborandum fuit, cum natura ſemper ad aliquid temere variandum in alienis ſcriptis timidus fuerim: nec ſolum in conſilio hoc ipſo probando, illum ante oculos ſemper habui, ſed ſingillatim etiam, certiſque in locis examinandis, iudicio ipſius vſus ſum. Cum etiam, vt veterem ſcribendi rationem ſequerer: ac ne digitum quidem ab ea, quam in exemplari hoc optimo inueniſſem, diſcederem, mihi auctor idem fuerit, quod ipſe ſane curioſe fecerat, in illo praeclaro legum opere edendo. quamquam Gabrielem etiam Faernum, qui & Terentij fabulas & Ciceronis Philippicas, a ſe cum antiquiſſimis libris collatas, diuulgare cogitat, eiuſdem animi eſſe inueni. Nam, quin Beroaldus iunior in Cornelij Taciti V. libris excudendis hoc ſedulo ſeruarit, dubium non eſt: cum enim vnicum eorum exemplar habuerit, vetus ſane illud, & quod elapſum è multis tempeſtatibus, non ſine iactura tamen aliquorum membrorum, ſalutem dedit non malae parti illius hiſtoriae, totum ſe addixit vetuſtati illi vndiq; referendae; quod & ipſe libenter de ſe praedicat: & ego, cum apud nos liber cuſtodiatur, affirmare praeterea poſſum. Non tamen, ita conſtans eſſe reperitur hic epiſtolarum liber in ea ratione tuenda, vt ille Pandectarum, & Terentianus quoque magni nominis codex: nam declinat hic noſter aliquando ad eum ſcribendi modum, quem poſterioris aetatis homines magis amarunt. Quare vt illum repperi, ita etiam exire ſtudui: hanc enim quoque ipſius varietatem inconſtantiamque, haud inconſtanter expreſſi. Habes igitur optime lector ſimulacrum quoddam optimi exemplaris, magna ſedulitate fabricatum: gaudeo autem ipſum in claro illuſtrique admodum loco ſeruari, vt ſemper illic conſuli poſſit, ſi forte aliquis de fide mea dubitarit: nihil enim magis cupio, quam diligentiam meam probari, ſtudiumque intelligi, quo incredibili exarſi, ſtudioſos horum librorum totis viribus adiuuandi. Florent. Kal. Sext. CIↃ IↃ. LVIII.

PETRVS VICTORIVS
Thomae Aldobrandino. S.

INCREDIBILIS quaedam cupiditas tibi placendi, deſiderioq; iſti tuo, & recto & honeſto, ſatisfaciendi me induxit, Aldobrandine cariſſime, impulitque, vt ſperarem, me id conficere poſſe, quod plane adhuc non praeſtiti, ac fortaſſe etiam liber his omnibus curis, occupationibuſque, quibus valde premor, vix praeſtarem. Non oportet autem, me nunc eas ſedulo commemorare: partim enim notae ſunt, partim a te ipſo expoſitae, amanterque conſideratae. accedit, magnum in primis impedimentum, aetas ipſa, iam grauis, & praeteritis multis magniſque laboribus fracta, comeſque ipſius perpetua infirmitas valetudinis. Haec igitur omnia ardorem illum, qui primum in animo meo, guſtatis tuis ſcriptis, excitatus eſt, lenierunt; propoſitiſque multis difficultatibus paenè reſtinxerunt; non ſanè, vt non tibi inſeruire cuperem, quem ſemper amaui; cuiuſque aequum poſtulatum officij mei videbatur eſſe, ſi vlla ratione valerem, implere, ſed vt accuratius vires meas expenderem, & cuncta, quae conatum hunc comprimere poſſent, mihi ante oculos proponerem. Sumpſi ſane ſaepe in manus volumen hoc tuum, delectatuſque mirifice ſum acumine & elegantia ſententiarum, nec non librum etiam ipſum Ariſtotelis relegi, nec tamen vmquam, quod optabam, ac tibi, timide tamen, diffidenterque promiſeram, ſingulas ſententias Latinas cum Graecis auctoris contuli, cogitauique, fideliter ne explicatae forent, ac ſiquid illic caliginis obſcuritatiſque exiſteret, ſatis illud eſſet induſtria tua illuſtratum. Laudo autem valde conſilium tuum, qui praeclarum hoc opus aggreſſus ſis, ſtudeaſque Latine & polite dicere, quae nunc plerumque a magiſtris huius diſciplinae barbare & inquinate traduntur; laboremque iſtum tuum & exercitationem in hoc graui ſtudio & tibi magnum fructum laturam arbitror, & alijs etiam cupidis bonarum artium voluptatem, & vtilitatem allaturam confido. Sed haec tibi iam nota erant, neque in hoc operam iudiciumque meum requirebas: ipſe tamen hoc narrare volui; & quia faueo tuis laudibus, & quia non nihil valere id puto ad te magis ſtudio illuſtris huius exercitationis inflammandum: dediſſem autem huic tabellario, cui epiſtolam dedi, librum etiam ipſum, niſi omni conatu tentare adhuc vellem, ſi vllam in partem poſſim voluntati tuae morem gerere, non quia exiſtimem librum correctione vlla egere, ſed vt penitus ex animo tuo iſtam opinionem euellam, me immemorem fuiſſe mandatorum tuorum; cum vero rurſus ipſum ea maiore diligentia; qua poſſum, relegero, ſtatim ad te remittam, quod breui prorſus ſpero futurum. Grata autem in tuis litteris mihi magnopere fuit ſalus, quam mihi miſit Franciſcus Dauanzatius, quem iuuenem ob eximiam ipſius eruditionem, naturaeq; probitatem, vehementer amo, cupioque meliore, quam adhuc fecit, ſuis in rebus fortuna vti. Eodem etiam officio doctiſſimi viri, & qui me multum, vt ſenſi, diuque dilexit, Scipionis Tettij delectatus ſum. ambobus igitur meo nomine, tam egregiae ipſorum in me voluntatis gratias ſummas ages. Tettium vero tecum beneuolentia coniunctum eſſe; teq; tam egregie de eo ſentire, libenter audiui. Vale, & me ama. Florent. XII. K. Mart. CIƆ IƆ LVIII.

PETRVS VICTORIVS
. . . . . S.

NVMQVAM dubitaui, quin tu omni obſequio, & comitate proſecuturus eſſes, quemcunq; tibi commendaſſem, tanta tua eſt humanitas, & in me, multis modis mihi perſpecta, beneuolentia. Laetor autem, iudicium meum tibi probatum, & illis omnibus, qui principem locum iſtic litterarum tenent, qui, cum ego paenè ignotum hominem delectatus facundia ipſius & ſpecie quadam doctrinae tibi tradidiſſem, re ipſa, & periculo ipſius facto, cognouiſti, non malum me exiſtimatorem ingeniorum eſſe. Quamquam, vt verum fatear, procliuis ſum ad huiuſcemodi officia, & quoſcunque litteris, honeſtiſque artibus tinctos video, libenter amplector, & teſtimonio meo orno, & ſane cenſeo, ita fieri oportere: quicunque enim ſtudijs doctrinae incumbimus, quaſi vinculo

quodam amoris coniuncti inter nos eſſe debemus, & putare honeſta quadam ſocietate teneri. Potiſſimum autem Gallos & Germanos, ceteroſq; tranſalpinos homines arbitror ego humaniter excipiendos, qui relictis ſuis rebus, Italiam ſtudiorum cauſa petiuerunt: ſunt enim plerumque ingenioſi; ardentque deſiderio bonarum artium, quas melius ſperant, ſe a noſtris doctoribus percepturos: niſi enim haec cupiditas eos impuliſſet, non tantum itineris laborem ſuſcepiſſent, nec tamdiu in aliena terra longe a ſuis ſedibus viuere, magno animo decreuiſſent: tantus vero amor virtutis non ſolet in tardos animos penetrare, nec facile poteſt, lenta frigidaque corda inflammare: reijci autem eos; aſpereque tractare ab ijs, quos ipſi admirantur, ſibique duces, auctoreſque vitae propoſuerunt, durum admodum videtur. omitto commoda, quae inde accepimus: hi enim ſunt, qui Latinos multos, Graecoſq; ſcriptores luculentiſſimis formis excuſos ediderunt; in illiſque purgandis plurimum ſtudij, diligentiaeque adhibuerunt, quo beneficio quid maius eſſe poteſt? Artes denique ſcientiaeque omnes crebris tumultibus, periculiſque belli agitatae, atque alijs quibuſdam grauibus iniurijs conflictatae, è patrio hoc quaſi ipſarum ſolo paulatim in illas quietiores ſedes concedere velle videntur, vt reſtent tantum apud nos non nulli, qui tamquam relliquiae ſunt ſuperioris ſaeculi, & adhuc veterem huius telluris gloriam retinent, qui ſi defecerint; & res, vt ire coepit, diutius eodem tenore vſa, praecipitarit, periculum eſt, ne ad interitum breui omnia redigantur. Haec autem dolore commotus intempeſtiue fortaſſe nunc protuli: angor enim, angor, quum video torpere iuuentutem, omniaq; potius agere, quàm cultui animorum operam dare: multo autem magis indignor, quum attendo non nullos, qui remedia huic malo adhibere potuiſſent, quique praemijs & honoribus ad haec ſtudia olim homines excitare conſueſſent, eos contra nunc mutato conſilio morbum augere, & quaſi ſcriptoribus ipſis atrociſſimum funus indicere: ſed nimis prouectus ſum, quare finem faciam, tantum te rogabo, vt optimum adoleſcentem Baccium Valorium ſalutes. Tu autem non tantum mihi moleſtus non fuiſti, quod ad me Latine ſcripſiſti, ſed me magnopere delectaſti: gauiſus enim ſum elegantia litterarum tuarum: ſimulque mihi placuit, videre, te conſilium meum non ſpreuiſſe; qui ſemper te hortatus ſum, quamuis in iuriſconſultorum caſtra tranſiſſes, ne nuntium remitteres politioribus his, amaenioribuſq; muſis, ſpondens hoc tibi aliquando & vſui & honori futurum. Vale. Florent. X. Kal. April. CIↃ IↃ LVIII.

PETRI VICTORII EPISTOLARVM

Liber Quartus.

PETRVS VICTORIVS Alexandro Farneſio Card. S.

CVM Romam venerit is, quem ego vnum omnium eius loci atque ordinis mortalium plurimi facio, ac dignum, quem omnes admirentur, & colant, exiſtimo, volui tibi, Farneſi ampliſſime, iudicium meum de illo ſignificare: nam aduentus ipſius te fallere non potuiſſet propter incredibilem hominis eloquentiam; & quia claro & illuſtri in loco doctrinam ſuam eximiam, vt proſit rudioribus, & non ſatis in via noſtrae pietatis inſtructis effuſurus erat; ſimulque ſtudui, vt illum alloquerere, & dotes animi ipſius coram deguſtares: hortatus enim ſum, vt te ſalutaret, quem hilari vultu ſemper honeſtos & eruditos viros accipere cognoui: & ea de cauſa, vt ipſe litteras has tibi redderet, curaui. Eſt autem hic (ſi forte tibi adhuc de facie notus non eſſet) Angelus Iuſtinianus, vnus Franciſcanae familiae; qui duobus ab hinc annis apud nos eodem munere functus eſt, & in Reparatae, magna cum vtilitate noſtrorum ciuium & admiratione ingenij ſui, de vita & moribus Chriſtiani hominis toto hoc tempore, ſacris concionibus dicato, diſputauit. Eſt autem natione Graecus, in Chio natus & educatus, ſermoniſque veteris eius eruditae gentis bene peritus, & qui non tantum accurate legerit noſtros theologos, qui lingua illa ſcripſerunt, ſed antiquos etiam oratores, & poëtas. vnde magis adhuc arbitror, eum tibi carum futurum; qui & ſermonem eum didiceris, & ingenia eorum hominum non ſine cauſa ſemper ſuſpexeris: exiſtunt autem adhuc aliqui, quamuis tota illa gens grauiſſimis malis conflictata ſit, & diuturna duraque ſeruitute oppreſſa, qui ſpecimen non paruum retinent veteris illius tantopere laudatae Graeciae, & multis ingenij ſui luminibus declarant, fuiſſe olim, quales praedicantur, ſuos maiores; in quibus hunc ipſum principem locum obtinere puto. Nolo nunc amplitudini tuae narrare multa, quae facile vereque poſſem, de doctrina huius magni oratoris, probitate animi, ſuauitate morum; vnum tantum commemorabo, mirifice vtilem fuiſſe noſtris hominibus operam & ſtudium ipſius: cum, quae è ſuperiore loco diceret, videretur depromere è viſceribus ſuis, ardereque ipſum appareret cupiditate iuuandi, emendandique vitam eorum, qui audirent: eſt enim vehemens & acer in diſputando; triſteque ac ſeuerum dicendi genus colit. Tanta vero multitudo ad eum audiendum cotidie confluebat, vt aedes illa vix caperet; qui omnes attentis auribus vocem ipſius, optimaq; praecepta hauriebant. Quapropter diſcedens hinc,

reliquit magnum deſiderium ſui, aſportauitque ſecum animos paenè cunctae ciuitatis; qua in re ſaepe recordatus ſum, libenterq; praedicaui, aſſentientibus ſanè mihi, qui audiebant, idem eueniſſe antea in diſceſſu tuo: Cum enim vixiſti apud nos, ita te moderatè temperanterque geſſiſti; omnibuſque in rebus ea documenta ſapientiae dediſti, vt nullum tuum factum reprehendi potuerit, multaq; meritò laudari: quare coniectis omnium oculis in te, perſpectaque tanta integritate vitae, cuncti tibi fauebant, atque omnia bona optabant, & tamquam imaginem quandam honeſtae praeclaraeq; vitae ſe intueri arbitrabantur. Manſit igitur diu, & manet adhuc in pectoribus multorum ſimulacrum hoc tuae virtutis, nec facilè delebitur memoria illa tam eximiè a te tranſacti illius temporis ex animis noſtrorum hominum. Idem igitur contigit in hoc viro: nactus enim ille quoque eſt plurimos mirificos ſui amatores, vel potius in ſinu & oculis fuit totius ciuitatis: quamuis enim perſonae veſtrae diſſimiles ſint; ſtudia tamen non admodum diuerſa fuerunt: vt enim ille ſuaſione, & voce, ita tu exemplo tui & auctoritate corrigere, & emẽdare mores eorum valuiſti. Praeteritis autem diebus, cum hac tranſiret, iſtuc iter facturus, magnus hominum numerus, vel potius grauiſſimus quiſque, & alicuius dignitatis vir, ipſum ſalutauit, ac ſiquid poſſet, quod ad eum ornandum, ſodaleſque ipſius adiuuandos valeret, henignè prolixeque pollicitus eſt: nam hoc etiam in vobis par aſſimileque eſt: vt enim hic haud magna cum re, ſed fide plenus (quemadmodum de Ennio poëta Cicero locutus eſt) ciuitatem noſtram valde diligit; ſeque illi carum acceptumq; fuiſſe vehementer gaudet, ita tu, cognitis voluntatibus erga te noſtrorum ciuium, omni amore & charitate poſtea ſemper ipſam proſecutus es. Sed quia in hoc officio obeundo, conciliandoque tibi viro (niſi fallor) digno beneuolentia & patrocinio tuo, multo longior fui, quàm putaram, finem ſcribendi faciam, nec aliud quippiam ad id adiungam: etſi, quum calamum cepi, cogitabam quiddam addere, quod nõ ingratum tibi, ſi audiſſes, neque iniucundum futurum putarem: do enim operam, vt abſoluam opus, quod iampridem inchoaueram, atque ita tibi, quod debeo, quamuis ſero, non omnino malum nomen, diſſoluam. Vale, ac me, vt ſemper propter tuam ſingularem humanitatem feciſti, complectere, & ama.

PETRVS VICTORIVS Marcello Tuto. S.

DOLEO, mi Marcelle, initio coniunctionis noſtrae cogi me tibi purgare, quod tam ſero tuae elegantiſſimae, atque incredibilis cuiuſdam amoris pleniſſimae epiſtolae reſponderim: id autem magnitudine occupationum mearum factum dicam, an potius inertia quadam non video: nam nullae tantae occupationes eſſe debent, quae impediant huiuſcemodi officia, & tamen omni hoc tempore contra vitae meae inſtitutum plurimis negotijs diſtractus fui: illud etiam vere affirmare poſſum, me cum in ſtudio nunc litterarum grauiorum verſer, in Ariſtoteliciſque ſcriptis diligenter legendis multum operae ponam, ita diu ceſſaſſe a ſcribendo, vt vix audeam calamum ſumere, ac latinam litteram facere, vt, ſiquid vmquam in hac facultate valui, quod intelligo, quam fuerit exiguum, id totum, auocato animo ab hac induſtria, conſuetudineq; ſcribendi, euanuerit: ſed tamen cupiditas non parua tibi morem gerendi, qui crebris tuis litteris oſtendis, miro quodam deſiderio te huius rei teneri, vicit pudorem hunc meum, atq; omnes difficultates ſuperauit. Vtinam litteris meis (repente enim me ad reſpondendum dedi) tam egregium animum tuum in me, praeclaramq; voluntatem retinere poſſem; nam augeri illum non poſtulo: neque enim amplius paterer, me in hoc accuſari, neq; labori vlli parcerem: cur enim non placere ſtudeam optimo, ac nobiliſſimo iuueni, & in cupiditate rerum honeſtarum ipſi gratificari: compertum enim te habere volo, me & hac ipſa, & omni alia ratione, qua poſſim, tibi libenter ſatisfacturum, ac cuncta ſemper, quae tibi grata eſſe ſenſero, ſtudioſe praeſtaturum: imbecillitati autem virium mearum, cum omni contentione ingenij parum perfecero, nec tanto ardori animi tui erga me par eſſe potero, veniam dabis: nam, quod ab Vbaldino docto, atque honeſto viro ſignificas, te doctrinam accepiſſe, id facile probas, ac nullo negotio ex epiſtola illa tua intelligi potuit, quae, cum diſerta atque elegans in primis ſit, liquido ex praeceptis erudiriſſimi, ac politiſſimi hominis conformata eſſe cognoſcitur: quantum enim valuerit Vbaldinus noſter, in laude hac, & quam diligens fuerit ſcriptorum Ciceronis obſeruator, nemini ignotum eſt. Nactus igitur tu es magiſtrum ad eam rem idoneum, & ille diſcipulum accuratum a naturaque factum ad praecepta ipſius haurienda, atque oratione exprimenda. Gratulor vero tibi, quod tam vberem fontem

diſciplinae tuae habueris, atque eo magis gratulor, quod quaſi intelligens, illum elto are-factum iri, haurire inde plurimum maturaſti. Mors ſane Vbaldini inexpectata multis de cauſis mihi moleſta fuit: videram enim illum domi grauiſſimi viri, atque omni genere virtutis abundantiſſimi, firmiſſimo corpore ac maxime vegeto; ſed nihil tam viget, ac floret, quod non repente ictu morborum affligatur; magnumque omnino damnum factum eſt, interitu ipſius, ac non tantum humanae litterae atq; ingenuae hae artes perculſae ſunt, ſed interiores etiam reconditaeque grauem plagam acceperunt: ſed nihil eſt, quod homini ferendum non ſit, teque etiam oportet aequo animo hanc fortunae iniuriam pati: ſtudia enim, quibus toto animo incumbimus, hoc in primis nos docent, humanos caſus eſſe fortiter tolerandos. Vellem tantum in me poſitum eſſet roboris, ac virtutis, vt, quae mente concipio, re efficere ac praeſtare poſſem: iuberem enim te ea, quae ab illo accipiebas, a me expectare, nouaeque huius amicitiae comparatione veteris iacturam compenſare; ſed non audeo tantum de me, certe quicquid potero, ſemper tibi, vſibuſq; tuis paratum erit: in hoc vero libentius nunc me iactaui, vt viderem, ſi id etiam ad te conſolandum doloremq; iſtum tuum, quo merito premeris, diminuendum pertineret. Tu vero vale, atque epiſtolae huic meae potius ab amore quodam ingenuo, quam ab vlla meditatione diligenti profectae, ignoſce, & alias accuratiores, eruditioreſque expecta.

PETRVS VICTORIVS
Carolo Sigonio. S.

AMABAM te ſanè antea, Sigoni doctiſſime, atq; id quidem non ſine cauſa: nam praeter quam quod neceſſe habebam, hominem magni ingenij magnaeq; doctrinae, quique tam egregie de vetere memoria meritus eſſet, toto animo complecti; videram praeterea in tuis accuratiſſimis ſcriptis indicia quaedam beneuolentiae erga me: quare amicus tibi merito factus eram, tempuſq; expectabam remunerandi te, quamque gratum officium illud erga me fuiſſet, teſtificandi: nunc autem acceſſit noua quaedam res, quae magis animum tuum aperuit, ac quantopere tibi carus ſim, declarauit: illud autem huiuſcemodi eſt. Scripſit ad me Leonardus Maleſpinius, Latinis, Graeciſq; litteris eruditus, & probus, vt ego cognoui, vir, cum iſtuc veniſſet, teque, quem amat, ac ſuſpicit, ſalutaſſet, in ſermone a te actum eſſe de iniuria, qua me nuper ſine cauſa vlla affeciſſet M. Antonius Muretus, dixiſſeque te, non magnopere eſſe, cur dolerem, laboremque ſuſciperem in obiurgatoris illius opinionibus confutandis: habe enim rem tibi curae fore. Gauiſus igitur ſum valde inclinatione iſta, vel incredibili potius amore, ac pietate tua erga me, &, vt verum fatear, maiorem laetitiam cepi ex humanitate tua, beneuolentiaque iſta, quam moleſtiam ex illius importuni hominis contumelia: neque tamen ita loquor, quia aegre feram, me, ſiqua in re lapſus ſum, refelli, in animoque habeam ſuſcipere inimicitias cum illis, qui a ſententia mea diſcreparint: cum enim ipſe ſaepe opiniones aliquorum non probarim, recuſare non poſſum, quin alij quoque a me diſſentiant, aliterque, quam ego fecerim, de loco aliquo veteris auctoris exiſtiment: hoc autem ita ſe habere, nec fingi a me declarat, quod, cum alij quoq; antea hoc fecerint, cum eorum nemine de ea re, ne verbo quidem vmquam expoſtulaui: hunc vero nunc exortum eſſe, quem ego numquam laeſi, neque de ipſo vlla ratione male merui, qui in me dedita opera inueheretur, ſtomachandum eſt. Videbar enim mihi ita de humanioribus ſtudijs, omnique eleganti doctrina meritus eſſe, vt ſiquid etiam aliquando, prodeſſe ſtudioſis cupiens, peccaſſem, venia mihi potius danda eſſet, quam tam inhumaniter, acerbeque tractarer, quod ſi hoc faceret aliquis, qui ob diuinitatem ingenij ſui, exquiſitamque vndique doctrinam numquam erraret, nulla in re vmquam laberetur, leuius ferēdum foret: nunc vero, cum ipſe multo maioribus culpis affinis ſit quam ſint, quae in alio reprehendit, quis non intelligat, maleuolentia ipſum ductum in me irruiſſe? nam quod honeſte ſaepe me appellat, & pauca quaedam laudat, videri vult veritate impulſus, non ſtudio concertandi fuiſſe: notum autem artificium hoc eſt, propriumque iniuſti maxime hominis, & qui, quod ab optimo auctore traditum eſt, bonis rebus vtatur ad nocēdum, ipſas cum mala quapiam miſcens: conſtat enim eum ſedulo rimatum eſſe, quaecumque ſcripſi, notaſſeque omnia, quibus maculam aliquam mihi inurere poſſe putauit. Sed finis huius rei ſit: neſcio enim quomodo longius, quam volebam a fine meo aberraui: propoſitum enim mihi fuit, vt iam ſignificaui, tibi gratias agere de praeclara iſta voluntate tua erga me, quod ſane ex animo facio, iuſtamq; cauſam huius rei habens: quomodo enim non be-

G 2 neficij

neficij loco ponendum eſt, me nactum eſſe, qui pro me arma capere velit, expedireque ſe ad pugnam, bonum praeſertim militem, & qui fortiſſimum aduerſarium; cum ipſius res ageretur, non reformidarit. Vale. Florent. Non. Nouemb. CIↃ IↃ LIX.

PETRVS VICTORIVS
Marco Antonio Paſſero. S.

CVM maxime famae tuae celebritate commotus, probus adoleſcens & omni genere litterarũ politus, ... quem ego ſemper dilexi, ſtudiorũ cauſa ſe iſtuc contuliſſet, putaui ego, partes meas eſſe, tibi illum commendare, rogareque diligenter, vt egregiam tuam beneuolentiam; propenſionemq; animi erga illos, qui deſiderio bonarum artium; in primiſq; philoſophiae capeſſendae tenentur, ipſi praeſtes: polliceor enim, quod in primis oblectare ſolet animos eorum, qui erudire poſſunt, ac praeſtanti hoc beneficio, doctrinae alijs tradendae, iuuare mortales, ipſum talem è celeberrima ſchola tua euaſurum, vt non indignus diſcipulus futurus ſit, te tanto doctore, ac tamdiu in optima ratione explicanda, tanta cum gloria, commendationeq; omnium gentium, quae ad te audiendum vndiq; confluunt, verſato. Sed facio fortaſſe impudenter, qui tibi aliquid oneris imponam; ſtudeamque apud te alium conſtituere, qui antea fortaſſe ſtudio, operaq; alicuius egerem, qui me tibi traderet, in amicitiamque tuam inſinuaret. Fraudi autem mihi fuit, ſiquid in hoc peccaui; meque in hunc errorem induxit, conſtans ſermo multorum, qui tuam humanitatem valde mihi praedicarunt, ex quibus etiam non nulli fuerunt, qui te a me non alienum eſſe affirmarunt; quod ſi verum eſt, vt tu aliquando de me, ſtudijſque meis amice locutus ſis, totum id a ſingulari quadam tua probitate profectum eſt, qui diligas etiam eos, qui nulla in re de te bene meriti vnquam ſunt; nec adeo magnam ingenij commendationem habent, vt ab abſentibus etiam ignotiſque amari vllo pacto debeant; ſed totam hanc partem purgandi me relinquam: neque enim natura valde blandus ſum, intelligoque me cum philoſopho loqui, atque illo quidem grauiſſimo, & hoc, ſane praeſtanti, nomine digniſſimo. Vale. Florent. XIIII. Kal. Decemb. CIↃ IↃ LIX.

PETRVS VICTORIVS
Carolo Sigonio. S.

ACCEPI nudius tertius litteras tuas VIII. Kal. Decembr. datas, quae mihi periucundae fuerunt: cognoui enim ex illis verum eſſe, quod ad me multo antea ſcriptum fuerat, te valde mei ſtudioſum eſſe, humaniſſimoq; animo ac verae pietatis pleno, cogitaſſe communem iniuriam propulſare, efficereque, vt illum, qui ambos nos ſine cauſa laceſſiſſet, ſuae temeritatis paeniteret. Delectatus igitur ſum magnopere praeclara hac tua voluntate erga me, ſimulque officio illo tuo, quod adhuc integra re deterrere ipſum ab eo conſilio conatus es; maioremque inde voluptatem capio, quam moleſtiam ex illius ipſius parum mihi aequi hominis iniuria: atque hoc non ſine cauſa, quia his temporibus difficilius multo eſt, huiuſcemodi virum inuenire, cui improba facta diſpliceant, fungaturque his officijs in eum, quem numquam viderit; nullaque cum ipſo arctiore neceſſitudine coniunctus ſit, quam leuem aliquem, atque inuidum: illorum enim & ſemper, & nunc maxime, magna copia eſt. Puta igitur beneficium hoc tuum, perpetuo in animo meo manſurum; meque, ſi fieri poterit, ipſum aliqua ratione aliquando remuneraturum. Laetor autem illum, quod ad te pertinebat, errorem ſuum agnouiſſe; auctoritatique communium amicorum ceſſiſſe: teque cura iſta ac labore tuas res defendendi, liberatum eſſe vehementer gaudeo: neque enim tanti commoda mea facio, vt ipſa cum amici moleſtia maculaque aliqua coniuncta eſſe velim: in amicorum enim numerum te prorſus recipio, nec poſtremum in illis locum, multis de cauſis tenere volo: haec autem dixi, quia videris veritus eſſe, quomodo ego fuerim accepturus, quod denuntiatio illa tua, iuſtuſq; dolor, qui animum tuum repente occupauit, incenſumque ipſum aliquantum poſtea tenuit, exitum non habuit, rogaſque, vt prompto illo animo tuo contentus ſim; qui ſi concertare cum

aduerſario

aduerſario tibi opus fuiſſet, meas partes non minus ac tuas fortiter ſuſtinuiſſet: laudo enim potius, quod contra reconciliatam gratiam nihil committere vis. Quod vero in extrema epiſtula tua conſolandi loco affirmas, nulla cuiuſquam maleuolentia labem vllam aſpergi poſſe nomini meo; eique gloriae, quam mihi in ſtudijs bonarum artium iam pridem comparaui, hoc magis amanter a te, huicque tempori apte, quam vere ex animoque prolatum puto. Extitit certe iamdiu in me mirum quoddam deſiderium humaniores has litteras adiuuandi, idque vt praeſtarem, nulli vmquam labori peperci; meque aliquando in tenuioribus etiam quibuſdam rebus, vnde tamen illae aliquantulum ornari poſſent, volutaui: idem tamen ſemper magnopere caui, ne cuiuſquam animum offenderem, exiſtimationemque vllam in partem honeſtorum clarorumque virorum violarem; non putaui vero me vmquam ex hac ſedulitate mea tales fructus collecturum; plus tamen apud me ſemper poterit haec animi mei propenſio erga optima ſtudia, & donec viuam, nulla cuiuſquam iniuria, ab hoc propoſito reuocabor. Vale, ac de me tibi omnia, quae ab optimo amico expectari poſſunt, officia pollicere: numquam fallam (quantum in me erit) opinionem tuam. Vale. Flor. IIII. Non. Decemb. CIↃ IↃ LIX.

PETRVS VICTORIVS
Chriſtophoro Rufo. S.

VIDE, quàm non tecum ſentiam, mi Rufe. Quaereris enim mecum per litteras, ac paenè me accuſas, quod officium iſtud tuum, eruditionemq; epiſtola mea nimis extulerim, ſimulque non valde probas conſilium meum, quod elegantiſſimum tuum libellum; variaeq; ac reconditae doctrinae plenum, ad fortunatiſſimum virum, Ducem reip. noſtrae, miſerim: ego autem tantum abſum; vt putem, me in ingenio tuo, doctrinaq; commendanda, modum ſuperaſſe, vt verear potius, ne nimis exigue ieiuneque partem hanc attigerim; iudicio meo certe, voluntatique in eo non ſatisfeci; nec quod in animo habebam penitus exprimere valui. Vt etiam plenè non potui declarare voluptatem, qua ex amore illo tuo eximio erga me perfuſus ſum. Fuit certè munus illud omni genere beneuolentiae cumulatum: in primis autem opportunum, temporeque ipſo, quod in omni te plurimum valet, commendatum; Cum enim quidam maleuolentia ductus, prauiſque conſilijs aliorum impulſus, me laeſiſſet, tu repentè extitiſti, qui me ornares, indignumq; etiam fuiſſe illa iniuria praedicares. cur igitur non debeo ego, me a te beneficium accepiſſe confiteri; factumque iſtud amantiſſimum iuſta lance ponderare: tu enim quacunque ratione potuiſti, peſſimo illius animo accurriſti: potuiſti autem optima, valdeque apta ad improbos ipſius conatus reprimendos. Quod vero doctrinam tuam, acumenque ingenij probaui; quorum vtrunque ex celeri lectione illius operis facilè cognoui, non puto, me in hoc deceptum; quin contra, cum accuratè omnia diligenterque examinabo, arbitror, me id vberius eſſe facturum. Nam quod a ſapiētiſſimo Principe, actique litterarum etiam harum amatore, fructum hunc ingenij tui deguſtari volui, meo id periculo feci: ego namque, non tu, irriderer, ſi rem indignam auribus ipſius ei obieciſſem: illud quidem certè non poteſt ipſe non magnopere probare, quod videt, te ſuae laudis ſtudioſum eſſe, colereque ac celebrare dignitatem ac gloriam ſuae familiae, in primiſque incredibilem illius, vnde natus eſt, fortitudinem. Feci igitur hoc ſapienter, vt opinor; amore ſine dubio magno iuſtoque tui incitatus, faciamque ſemper libenter, cum aliquam huius rei occaſionem nactus ero; quae profecto non deerit: omni enim tempore licet, ac ſine ſuſpicione vlla cupiditatis, virtutem alterius decorare, honoremq; ipſi aliquem praemiumq; acquirere conari. Nec tamen non in hoc etiam fortaſſe propriam aliquam laudem vtilitatemque ſecutus ſum: pulchrum enim mihi non ſine cauſa viſum eſt, intelligi ab ipſo hoc facto tuo liberaliſſimo non paruam eſſe exiſtimationem meam, nomenque, quod mihi laboribus multis, vigilijſque peperiſſem, cum is honos mihi habitus a te ſit, qui aequalibus ipſius opulentis viris, ſummaque poteſtate praeditis, deferri darique ſolet. Neſcio autem quid Damianus ſcripſerit: ego profectò de te nihil vmquam humile anguſtumque cogitaui, quod res ipſa declarat: nullam enim tibi niſi verborum gratiam retuli: non tam malè autem omnino mecum actum eſt, vt non poſſem etiam illo modo officio meo, ſi opus eſſe iudicarem, ſatisfacere: potui fortaſſe aliquid ſubitò iacere, profectum ab intimis ſenſibus, quod magis valeret ad ſignificandam dignitatem tui muneris, quae

mihi videretur omni ratione honeſtanda, inclinationemque animi mei in iſtiuſmodi benignitatem illo etiam genere humanitatis compenſandam, quam ad leuem vllam ſuſpicionem, quae mihi in mentem iſtius rei veniſſet, indicandam. Sed de hoc hactenus, vel nimis potius multa: vellem enim ſane mentionem huius rei nullam vnquam factam. Gabrielis Falopij, ſummi medici, animus iſte praeclarus erga me, quem mihi narras, fuit mihi vehementer gratus, non tamen nouus ille atque ignotus: accepi enim ab alijs quoque, qui, huc redierunt, cum in iſto domicilio optimarum artium ſtudijs litterarum operam dediſſent, ipſum me vnice diligere, ac de me ſanè magis amicè ſaepe aliquid, quam verè praedicare. Quomodo igitur non debeo gaudere, vel mirificè potius mihi ea de cauſa placere, cum videam me ab eo amari, qui vnus omnium mortalium propter admirabilem doctrinam, ſuauiſſimos mores, ſingularem probitatem, maximè dignus eſt, qui ametur, atque ab omnibus in oculis feratur, praeſertim cum nullis meis in ipſum officijs impellatur, ſed totum hoc a naturae bonitate naſcatur, propriumque munus ſit ingenij ipſius. Vidi ſanè ipſum ſaepe, cum hic eſſet, libenterque cum eo loquebar, captus lepore orationis ipſius, ac multarum rerum ex prompta memoria: conſilium vero, quod cepit relinquendi nos, atque in iſtum quaſi mercatum omnium ſcientiarum ſe conferendi, magis laudare potui, quam amare: cognoui enim diſceſſu ipſius magnam plagam accipere Piſanum gymnaſium, noſque omnes maximis fructibus priuari, qui ex arte ipſius, conſuetudineque vitae cotidie capiebantur. Salutabis autem ipſum diligenter meo nomine, gratiaſque ipſi immortales ages pro egregia eius voluntate erga me. Gratulor autem tibi, quod ipſum doctorem nactus es: eius enim praeceptis, optimaq; docendi ratione, futurum puto, vt cito ad ſummum iſtius nobilis artis; in primiſque generi humano vtilis peruenturus ſis. Vale, ac puta, me tibi amicum eſſe, cupereque magnopere, quacunque re poſſum, te iuuare. Florent. XVII. Kal. ianuar. CIϽ IϽ LIX.

PETRVS VICTORIVS Ioanni Faſcolo. S.

NON erat, ne antea quidem, mihi ignotus animus tuus erga me, beneuolentiaque non parua: acceperam enim iampridem litteris amicorum, te ſtudioſum eſſe mei, fauereque magnopere meae laudi. Nunc autem planius multo id, certiuſq; cognoui ex epiſtola tua, quam ad Philippum Carneſeccum miſiſti, iuuenem optimum, meique amantiſſimum: in ipſa namque omnia, quae ad id ſignificandum valent, diligenter expreſſa ſunt, & quaſi ante oculus poſita. Quod ſi dubium vllum huius rei in animo meo ante tuam hanc epiſtolam fuiſſet, quod prorſus illic manere non debuit; nec ſanè vllam in partem manſit, id omne opera, ſtudioque communis amici, ſublatum eſt: ipſe namque primo aduentu ſuo, cum mihi accuratè narraret, qui ſtatus apud vos rerum eſſet, quod ad ſtudia litterarum pertinet, diceretque, quos iſtic haberem, qui me diligerent, honorique meo ſtuderent, in primis te appellauit, addiditque crebros de me a vobis ſermones habitos eſſe non ſine aliqua mea laude atque ingenij commendatione. Non tu igitur mihi te purgare debuiſti, quod ſero extremo hoc officio functus es: multo enim prius, vt apparet, pluſquam oportebat, & quam res ipſa poſtulabat, feceras: ipſe potius excuſatione egeo; qui nullo ſigno amoris, quam grata mihi, acceptaque foret praeclara iſta tua voluntas erga me, vel potius ſtudium & opera in me ornando poſita, declaraui; ſed volo huic orationi finem ſtatui: ego enim quoque, qui totum te in animum meum ob iſta officia receperam, partibus meis tacitus etiam ſatisfeciſſe mihi videbar; potius mutuis officijs inter nos ex hac die certemus; etſi vix maiora vlla in me a te proficiſci poſſunt, quam fuerint illa quae in me benigno admodum animo iampridem effudiſti: pulchrum enim ac veri honoris plenum eſt, in celeberrimo iſto totius Italiae gymnaſio celebrari, propterea quòd iſtinc tamquam ex aliquo theatro, voces per vniuerſam Europam reſonant; cui merito tuo ego iſto pacto reſpondere non poſſum, nec valeo, quamuis omnia faciam, par pro pari referre. Reſtat igitur, vt aliam rationem excogitem, qua partem ſaltem aliquam iſtius beneficij coner implere, in quam ſane rem, vt debeo, toto pectore incumbam. Tu tamen: hoc enim te admonere volo, vide, ne amore mei abductus, plus mihi atque opinionibus meis tribuas, quàm verè facere poſſis: neque enim mea huiuſcemodi ſunt, vt è ſuperiore loco, claraque iſta & illuſtri ſede, tamquam certa, & firma cotidie proferri debeant: ita enim non valde perſonae tuae ſeruires, & mihi inuidiae plurimum conflares. Totum au-

tem hoc in iudicio, & eruditione tua poſitum erit. Sed quia ſatis longa epiſtola haec eſt, nec magnopere nunc reſtat, quod dicam, finem faciam ſcribendi. Tantum te oro, atque id ex animo, vt mihi aliquam de te promerendi occaſionem des: nullam enim rem iam diu tantopere optaui, quam re ipſa factoque aliquo, quantopere grata mihi fuerit humanitas tua, tibi declarare. Vale. Florent. XVII. Kal. Iannar. CIↃ IↃ LIX.

PETRVS VICTORIVS
Thomae Aldobrandino. S.

FECIT humaniter Albericus Longus, quod ad te diligenter ſcripſit de mea erga te animi propenſione; vnde etiam magis probitas hominis intelligitur, qui huiuſcemodi officijs delectetur, ac ſtudeat animos amicorum inter ſe conglutinare, obſcuras ipſorum voluntates aperiendo: in hoc autem ille operam ſuam non luſit: nam te, quem antea multis de cauſis diligebam, cognita litteris tuis praeclara tua voluntate aduerſus me, vehementer amare coepi, ac toto animo ſum complexus: cur enim non diligerem ciuem meum, iuuenem optimo ac prudentiſſimo patre natum, cum quo mihi olim familiaritas interceſſerit, ac quem ſemper ob plurimas ipſius virtutes, eximiamq; legum ſcientiam ſuſpexerim, praeſertim cum eum audiſſem, ingenuarum artium valde ſtudioſum, atq; idem, cui ego deditus ſum, litterarum hoc genus colentem: accepi enim te alio, ac pater, itinere properare ad gloriam; cum frater tuus in domeſtica laude verſetur, & iam premat veſtigia merito ſemper laudati parentis. Puta igitur, te mihi eſſe cariſſimum: nec minus me cupere tibi gratificari, quam tu epiſtola tua oſtenderis, te ardere ſtudio mihi placendi. Vt autem ipſe animum tuum in tuis litteris vidi, accepique libenter iſtam officiorum omnium in me pollicitationem, ita volo tibi exploratum eſſe, par deſiderium in me extare tibi morem gerendi: quod ſi aliquando vſus tibi operae meae venerit, cum opibus non multum, gratiaque valeam, firmam tamen fidem meam, ſtabilemque inuenies, ac non mediocre ſtudium in procurandis commodis amicorum. Sed haec magis re praeſtare, cum opus erit, quam nunc verbis oſtentare, animus eſt: quare finem huius rei faciam. Albericus vero, quem mihi commendas, apud me commendatione non eget: virum enim probum, eruditumque cognoui, dignumque ipſum ob plurimas animi ſui dotes omnium grauium, illuſtriumque virorum amicitia duco: tota praeterea domus, vbi viuit, comitate hominis delectata, ipſum fouet. Laelio Taurellio optimo viro, ſummoque iuriſconſulto, tuo nomine ſalutem dixi, quae ipſi, vt plane perſpexi, valde iucunda viſa eſt: iuſſit enim, vt auctam illam tibi diligenter referrem. Hortor autem te, ſi aliqua cura rerum noſtrarum in vobis manet, vt hunc humaniſſimum hominem gratia atque auctoritate apud Principem florentem obſerues: diligit enim familiam veſtram, ac cupit ſemper, quacunque ratione poteſt, amicis operam nauare. Ipſe vero in oculis te fero, ſpondeoq; ex parte mea noſtram amicitiam integram perpetuo manſuram. Vale. Florent. XI. Kal. Mart. CIↃ IↃ LIX.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Baptiſtae Arcucio. S.

AMBAE tuae perbellae epiſtolae, Arcuci, quarum prior Tuſco noſtro ſermone; altera Latino ſcripta eſt, mirifice me delectarunt: ſunt enim ſingularis cuiuſdam ſuauitatis pleniſſimae, & amoris in me tui certa ſigna in ſe continent: quare ago tibi gratias immortales: ſemperque beneficium iſtud non paruum memoria retinebo: beneficium enim prorſus exiſtimo, veriuſque ita vocari poſſe puto, quam multa, quae ſaepe homines hoc praeclaro nomine appellant: reddidiſti igitur me ad ſcribendum alacriorem, atque id non ſine cauſa: multi enim plures hodie reperiuntur, qui aſtute aliena ſcripta carpunt, quam qui libenter, ſiquid in ipſis laude dignum eſt, commendent ac probent. Tu vero contra feciſti & ob ingenuos tuos mores, probitatemque incredibilem, modum potius in illis celebrandis & in caelum ferendis non tenuiſti, quod ego tribuo (vt dixi) naturae tuae, & amicitiae noſtrae, quae, vt maiora illa tibi, pulchioraque

iam

quam ſint, viderentur, effecit. Delectauit etiam me mirum in modum in poſteriore hac epiſtola tua, quod perſpexi, te valde eruditum virum eſſe, & in omni genere doctrinae accuratum, cum ſoleant poëtae, in quo ſtudio tu multum profeciſti, ac vere dici potes florere, magis ingenij viribus, quam ſcientia excitari: hac igitur de cauſa te magis admiror, & ad maiorem tui nominis gloriam peruenturum confido, cum ambo in te coniuncta ſint, quae poſſunt perfectum vndique & abſolutum quempiam in eo genere laudis conficere, ſed nolo nunc aliud addere, quod valeat ad dotes animi tui explicandas, veniet (vt ſpero) tempus, cum id magis opportune & ſubtiliter praeſtabo; & ſi tu aliena opera & ſtudio in hac re non eges, qui non tibi ſolum magnitudine ingenij tui, ſed amicis etiam ijs omnibus, quos ornare volueris, aeternum decus parere conſueſti. Quod vero me admonuiſti de non nullis rebus, quae tibi negotij aliquid in his meis poſtremis libris exhibuerunt, gratum mihi feciſti, & ob hoc quoque tibi multum debeo, & optimi viri munere functum eſſe iudico: quid autem ad ea reſpondeam, hic infra notatum erit. Vale. Florent. V. Kal. April. CIↃ IↃ LX.

PETRVS VICTORIVS
Coſmo Medici Duci Florentinorum ac Senenſium. S.

POST XII. annorum ſpatium rurſus ad te confugio, Princeps optime, cupioque commendatione tui nominis, quae magna vbique eſt, aliquid gratiae, atque amoris alteri huic labori meo conciliari; quo ego rem arduam in primis, difficilemque complexus ſum, interpretationem inquam Ariſtotelei libri de arte poëtarum. Cum enim ſemper alacri animo magna onera ſuſceperim, nulla alia re tam fretus, quàm cura, diligentiaque mea, conatus ſum, contenderimque, quantum ingenij vires ferre potuerunt, quod aggreſſus ſum, efficere, atq; ad exitum perducere; reſtat nunc, vt auctoritas tua mihi praeſidio ſit, ac quod per me praeſtari non poteſt, ſua erga me beneuolentia, huic partui mearum vigiliarum tribuat, ac dilargiatur. Quod ſi poſterius hoc meum munus, quod ad te nunc mitto, bonitate atque elegantia ſua, tanto vinceret prius illud, quanto tu omni hoc tempore veterem illum ſtatum tuum, ac condicionem ſuperaſti, multo minus te in ipſo ornando laborare oporteret, ipſumque fortaſſe ſua vi ſatis ornatum ac commendatum foret: cum enim ſemper pulchra fortuna tua, ſemper ſpecioſa, ſemper amabilis fuerit, tantum ipſi hoc interuallo temporis decoris acceſſit, vt nunc denique illa expolita, ſummoq; ſplendore cumulata videatur. Tu igitur, quod tibi facile fuit, praeclaris animi dotibus ornato, effeciſti; reſque eas geſſiſti, quae a virtute, ſapientiaque tua poterant expectari, vnde aucta eſt ea de cauſa, veraque gloria illuſtrata dignitas tua. Ego, qui nulla re tecum poſſum comparari, tantum ſtudui, ſi poſſem, veterem locum tueri, partamque olim laudem (ſi modo vlla a me parta tunc eſt) retinere: quare magis videor mihi auxilio tuo, voluntatiſque propenſione egere. Cum autem principes viri videantur omnia ſtudia bonarum artium debere fouere, monimentaque cuncta optimorum ingeniorum amplexari: hoc enim poſtulare videtur perſona, quam ſuſtinent, atque id non ſine cauſa debet ab ipſis expectari, vt diligant humaniores litteras, alantque honore aliquo ingenuas artes, in primis illi erga poëtas ipſos, & eos omnes, qui ſtudium ipſorum colunt, atque aliqua ratione expoliunt, praeclarè debent eſſe animati; atque id non tantum commodi vtilitatis gratia, deſiderioque illius vnà cum alijs voluptatis fruendae, quae maxima inde capi poteſt, verum etiam honoris, dignitatiſque ſuae augendae cauſa: cum enim ipſi a fortuna ceteris omnibus bonis ornati ſint, nulla alia re videntur egere, quae ad ſtatum eorum cumulandum, beatumque vndique, ac florentem reddendum quicquam valeat, niſi voce poëtarum, quae memoriam eorum propaget, ac viuam ſemper, vegetamq; retineat; quae tamen res, cum tantopere illis optanda ſit, ac paenè neceſſaria, ſi dignitatem ſuam tueri volunt, atque immortalitatis deſiderio vllo tenentur, non tamen ſubitò, facileque ab illis paratur, nec preſtò ſemper adeſt, quum vti volunt: antea enim curetur neceſſe eſt, ac ſedulò ipſi conficiendae incumbatur: verum autem hoc eſſe, atque ita ſe prorſus rem habere, voce etiam illa peruulgata Magni illius Alexandri declaratur; qui, cum ſummis ſcriptoribus rerum ſuarum abundaret, Achillem tamen in Sigeo, vbi corpus illius conditum erat, fortunatum vocauit, qui ſuae virtutis praeconem Homerum nactus fuerit: ita enim ſignificauit, ſe

ſtatu

ſtatu illo rerum ſuarum non omnino delectari, quia bono poëta careret, nec poſſe ingenio alius vllius eruditi hominis tantum nomen magni alicuius viri, quantum poëtae illuſtrari. Eadem igitur de cauſa tibi quoque alendus, & inſtruendus poëta eſt: cum enim domi, foriſque honeſtè te geſſeris, & vt ciuitatem legibus ornaſti, ita etiam imperij fines longè propagaſti, vel potius imperium ipſum, magna cum admiratione omnium, duplicaſti, ſi alijs tuis eximijs bonis hoc etiam addideris, magis clarae, illuſtreſque res tuae omnes erunt; atque in hoc etiam, quemadmodum in alijs rebus feciſti, non ſolum laudem, gloriamq; maiorum tuorum adaequabis: verum etiam longo interuallo ſuperabis: illi namque, cum ſapientia, opibuſque praeſtiterint, litterarumque genus omne, atque artium honeſtiſſimarum amauerint, in hoc quoque ſatis felices fuerunt; & quoſdam non malos ſanè praecones laudum ſuarum obtinuerunt. Quis enim neſcit, Marullum, Politianumq; in bonis valde poëtis enumerandos? nam Graecum illum hominem, qui Latina poëmata condidit; primuſq; recentiorum ſermonis huius alieni elegantiam, candoremq; vidit, ac ſummo ſtudio coluit, domi patrui tui magni vixiſſe, ad ipſumque fructus ingenij ſui miſiſſe, exploratum eſt. De altero etiam illo dubitari non poteſt, quem ramus alter tuae ſtirpis protulit, atque, vt alumnum ſuum, fouit poſtea ſemper amanter, ac texit. In tãto autem numero honeſtiſſimarum familiarum: tantaque vbertate ingeniorum, hoc etiam nobilis & illuſtris in primis, Ateſtina domus, quam tu tibi affinitate coniunxiſti, hac aetate conſecuta eſt; vnde plurimum honoris, ac gloriae factis ipſius acceſſit, ſemperque magis celebrabitur. Quod ſi non paucae, ceteris rebus fortunatae ac clarae, ipſius expertes fuerunt, atque hac parte magnopere laborarunt: hoc bonum rarum eſt, nec omni homini, quamuis cupido ipſius, ceteriſque fortunae bonis ornato, contigit, vt eo frui poſſet: tamquam enim a Deo Opt. Max. dono datur; naturaque ipſa conflatur: nec tamen non multum induſtria, ſtudiumque prodeſt, & ars ipſa haec ſtudia valde expolit, ac plurimum ipſis lepôris, ac venuſtatis acquirit; quae cauſa impulit hunc doctiſſimum, & accuratiſſimum ſcriptorem, vt ipſam traderet, ac rationem praeclarum poëma, & ab omni labe vacuum, efficiendi demonſtraret. Si igitur, quod te cotidie magis facturum confido, haec ſtudia colueris (nam, quin iam hoc feceris, partemque aliquam tuarum curarum huc olim traduxeris, atque omni ratione noſtros adoleſcentes excitaris, negari non poteſt) ſi inquam, haec ſtudia colueris, & amatores ipſorum toto pectore complexus fueris, ſine dubio haec vetus huius telluris laus renouabitur, florebuntque magnopere hic, vt olim fecere, ſtudia poëtarum. Quod non temerè mihi videor poſſe affirmare, quia praeterita aetate, in qua non magnopere ipſa culta, & ornata ſunt, tamen hi duo extitere, qui veteribus illis, tantopere laudatis, noſtris poëtis non valde inferiores fuere; &, vt multi putant, ſi diutius vixiſſent, palmam profectò ipſis eripuiſſent; vt fortaſſe adhuc non deſunt, qui veſtigia ipſorum premant, ac ſine dubio in hoc magnum nomen honoremque conſecuti ſint. Vt autem aliae res, quae a te ſolo ad ipſa ornanda valde apta, proficiſci poſſunt, mirificè haec ſtudia adiuuabunt, ita res tuae geſtae materiam idoneam poëtis ad ſcribendum dabunt. Ego ſanè, qui parum, aut nihil efficere valeo, quod ad ipſa promouenda valeat, tamen multum in hoc laboraui, ac naturam meam vici. atque ea praeterea de cauſa tibi hunc meum laborem dicaui (cui mea omnia, animumque ipſum, vnde hi fructus proueniunt, iampridem conſecraui) vt te erga haec ſtudia praeclarè animatum, magis adhuc inflammarem, & ad poëtas ornandos, ceteroſque litteratos viros decorandos, quae propria laus eſt tuae familiae, incitarem. Vale, in optimiſque tuis cogitationibus felix ſis.

PETRVS VICTORIVS Lectori. S.

MAGNI ſemper honores habiti ſunt poëtis; nec tempus vllum fuit, quo ſtudium condendi carminis non extiterit, quantum è priſcis litteris, vetereq; omni memoria licet ſuſpicari: ſcripta namq; Hebraeorum, quae ſatis antiqua ſunt, teſtantur, gentem eam admodum hac arte delectatam fuiſſe; in qua etiam non pauci apud eos magnopere floruerunt, ſummamq; inde laudem, ac gloriam reportarunt. Extitere poſtea Graeci, qui cum ceteros omnes mortales omni dote ingenij ſuperarent, in ſtudium & ipſi idem toto pectore incubuerunt; in primiſque genus hoc orationis, pedibus quibuſdam ligatum, coluerunt: neque enim tantum quae oblectare poſſent, ac ſuauitate quadam animos hominum permulcere, numeris quibuſdam, verſibuſque complexi ſunt, ſed graues etiam materias, triſteſque hoc tamquam condimenti quodam genere aſperſerunt.

Teſtantur

Teſtantur hoc, verumque eſſe declarant, Parmenidis, Xenophanis, Empedoclis opera, qui cum aut theologi, aut phyſici fuerint, ſubtiliter a ſe, optimeque cogitata hac ipſa oratione incluſerunt. Vixerunt iiſdem temporibus non pauci; ac multo plures ipſos aetate conſecuti ſunt, qui, cum veriorem materiam ſui carminis cepiſſent, magiſque aptam huic lepori, feſtiuitatique recipiendae, omnem operam induſtriamque ſuam in poëmatibus conficiendis conſumpſerunt. vt taceam, qui cunctos illos tempore anteceſſit, lumen eximium ingeniorum; fontemque omnis elegantiae, Homerum; de cuius ſumma virtute, naturaeq; diuinitate cum omnes conſentiant, reliqua ipſius omnia valde incerta, & obſcura ſunt: neque enim omnino compertum eſt, aut qua aetate vixerit, aut vbi natus ſit, aut quod denique praeſtitit, naturae ne ipſius vi, an arte, doctrinaque praeſtiterit. Aeſchylus autem in primis, qui & philoſophus erat, & in omni ſuo facto, vitaque amplitudinem ac dignitatem colebat, grande argumentum ſectatus eſt, tragoediaeque ſcribendae ſe totum dedit, quam cum vndique rudem, & inchoatam accepiſſet, pluribus rebus ornauit, ac magnopere ſtudio ſuo expoliuit. Huic ſucceſſere Sophocles, atque Euripides, qui in eadem ſcena magna cum laude verſati ſunt, ac ſiquid illic deſiderari poterat, cura, diligentiaque ſua addidere. Non enumerabo nunc, qui aetate illa in eodem ſtudio vixerunt, quamuis longe diuerſa genera poëmatis amauerint: aliique muſis ſe totos dicauerint. Et ſanè cum mecum diligenter cogito, menteque, quae fuerit vita eorum, qui tunc Athenis aetatem degebant, teuulno, fortunatos illos, beatoſque fuiſſe iudico, quibus cotidie liceret aliquod ſpecimen ingenij guſtare, eodemque tempore ſincera aliqua voluptate ſe vndique explere, & mores ſimul, vitamque ab omni labe, culpaque emendare: in ea enim praecipuè vrbe, domo profecto quadam Muſarum, florebant & ſtudia reliqua doctrinae, & haec in primis elegans, & polito homine digna, diſciplina. Quare rectè exiſtimatur amplus ille grandiſque poëta dixiſſe, nec ſine cauſa tantum huic ciuitati praeclariſque ipſius inſtitutis tribuiſſe, qui affirmauit Athenas Graeciae Graeciam eſſe; quod vt vniuerſa Graecia cunctae Barbariae praeſtaret, ita haec vna Graeciae ciuitas reliquas omnes eius gentis ciuitates dignitate, ac gloria ſuperaret. Non opus eſt nunc accuratè docere, quanto ſtudio Athenienſes partus optimorum ingeniorum fouerent; quibuſque, quaſi condimentis quibuſdam, hunc ſuauem etiam ſua ſponte cibum animorum concinnarent: cum potius in hac re quibuſdam aliquando viſi ſint plus quàm oportet, feciſſe, iuſtamque ipſius menſuram tranſiluiſſe; qui fortaſſe falsò ſenſerunt, nec quantum boni inde capi poſſet, ſiquis verè exiſtimet, cognouerunt: cantus enim quidam muſicaeque artis lepores, vt magna voluptate aures afficiunt, & ea quidem pura, ac ſincera, ita & animis moderantur, & motus ipſorum turbidos extinguunt; vt non ſine ſummo conſilio illi dicti ſint a grauiſſimis, ſapientiſſimiſque viris magnam vim habere ad veteres mores retinendos, ſtatumque ciuitatis optimum conſeruandum: nam quanto facilius irrepant in pectora hominum, quae feſtiuitatibus his commendata fuerint, vel potius hoc eximio bono ornata, neminem arbitror ignorare: quantum verò ſtudium veteres poëtae adhibere ſoliti ſint, vt vitae hominum prodeſſent, exemploque aliorum, quos tamquam imaginem quandam magnarum virtutum, aut ingentium vitiorum effingerent, nos expolirent, & ab omni culpa reuocarent, exploratum eſt: neque enim illi, ſi finem alium ſuorum laborum habuiſſent, tantopere probati fuiſſent; nec adoleſcentes ipſi voluntate parentum, conſilioque eorum, qui tenerae illi aetati praeſunt, omne illud tempus in illis & diligenter legendis, & ad verbum ediſcendis conſumpſiſſent: quare exiſtimari debent, huic etiam parti doctiſſimi viri prouidiſſe, & eos potiſſimum numeros, modoſque elegiſſe, qui & rebus illis, quas canerent, mirificè conuenirent, & animos etiam noſtros ab omni labe, maculaque purgarent. Quos etiam ſumptus nobilis illa ac generoſa ciuitas in ſcena ornanda ſuſtineret, & quanto artificio res eas, quae illic agerentur, referendas curaret, nemini dubium eſt; nam ſcripta etiam epicorum, quibus in theatro locus eodem pacto vt tragicis, comiciſque non erat, non carebant ornatu, nec vllo modo deſtituta, impolitaque manebant: ad lyram namque antiquitus illa canebantur, & certos quoſdam ſummo ſtudio inſtructos, atque omni cultu corporis expolitos, quos ῥαψῳδοὺς vocabant, habebant. De melicis verò, grandioribuſque illis poëtis, qui dithyrambici dicebantur, nihil opus eſt diſputare: his enim poëmatibus exornandis praecipuè muſica inuenta erat; magnamque in primis coniunctionem illa, cum hac arte habebant. Nec exiſtimare debemus tam eruditam, optimiſque legibus inſtitutam ciuitatem, aures patefacturam fuiſſe poëtis, niſi ex illorum ſtudio fructus magnos capi poſſe intellexiſſet: ſi namque maius aliquod incommodum ex lectione illorum naſci plerunque cognouiſſet, longe illam a ſe voluptatem protinus exturbaſſet: quis enim eſt verior fructus rerum ſecundarum, aut qua alia in re melius tranquillis temporibus homines acquieſcunt: ſine ſtudio namque aliquo, relaxationeque quapiam animorum nullò

modo

modo vita traduceretur. Sed Romana etiam reſpublica, quae gens grauis in primis, & ſeuera fuit; duramque admodum, atque aſperam vitam diu coluit, quippe cum in militaribus laboribus tota occupata foret, cito haec ſtudia recepit; poëtaſque in magno honore, ac pretio habuit; quod ſtudium in tam nobili ciuitate, & quae imperium in omnes gentes haberet, tantopere creuit, vt quemadmodum cetera bona eò comportata fuiſſe ex omni orbe terrarum videbantur, ita quoque ipſum, relictis veteribus, ſuiſque ſedibus, confluxiſſe in eam vrbem non ſine cauſa exiſtimaretur. Statim igitur illic orti ſunt Ennij, Pacuuij, Accij, qui tragoedias ſcriberent; grandeque hoc poëma magnificè explicarent; ſententiarumque amplitudinem, cum granditate verborum, ſtiloque ſublimiore copularent: nec tamen eodem tempore ſcena altera deſtituta fuit, ac ſine honore vllo, dignitateque iacuit: extitere namque lepida ingenia, quae ipſum frequentarent; atque ita demum tenuem illam materiam colerent, atque omni ſuauitate expolirent, vt non paeniteret grauem illum populum, & gloria vndique, magnitudineque rerum geſtarum florentem, in theatro ſedere; atque aures vocibus comicorum, iociſque praebere: Ij autem fuere Caecilius, Trabea, Afranius, alijque complures, in quibus Plautus, Terentiuſque ſummum locum tenuere; cum eorum alter facetijs, ſalibuſque mirificè animos eorum oblectaret: alter vero, ſeueritate, ſingularumque naturarum proprietate, a ſe mirabilem in modum expreſſa; rerumque ipſarum prudenti conſtitutione, eoſdem captaret. non defuerunt etiam ipſis, qui reliqua genera poëmatum adumbrarent; & ſi parem in illis laudem Latini cum Graecis primis temporibus conſequi non potuere: nam apud illos quoque poſtea nati ſunt, qui doctrina, ac ſtudio non paruo in ea genera adhibito, non multum Graecis cederent, nec valde inferiores ipſis laude ac gloria forent; quamuis, vt verum fateamur, natura ipſa Graecos illos diuinos poëtas, ſuo quoſque, in genere primos, videatur informaſſe: ars vero & diligentia noſtros potius expoliſſe; qui ſanè tantum in ea re progreſſi ſunt; plus minusve honoris, commendationiſque acquiſiuerunt, quantum ad illos propius acceſſerunt: melioreſve, aut deteriores eorum imitatores extiterunt. Cum autem in principe omnium ciuitate haec ſtudia florerent, & quae tamquam mater ceterarum vrbium foret, paulatim illa in municipia, coloniaſque manarunt, ac per omnem Italiam ſpargi, diſſeminarique coeperunt; & eadem de cauſa etiam in prouincias tranſierunt; quibus omnibus in locis vehementer colebantur, ſummoque in honore erant. Huius vero rei ſignum eſt, ac ſatis quidem illud certum & exploratum, quod cunctae illae ciuitates theatra aedificarant, quorum veſtigia multa manent adhuc, vel potius non paucis in locis adeo integra, & ab omni temporis iniuria conſeruata ſunt, vt certo intelligatur, cogitaſſe illos operis ipſius, ac materiae firmitate naturam ipſam vincere, quae vt noua aliqua ſemper gignit, ac procreat, ita vetera, factaque cuncta conficit, atque conſumit: voluerant autem illi praeſtò ſibi ſemper facultatem omnem eſſe huius voluptatis fruendae, atque omnia prompta, parataque manere, quae ipſam adiuuarent, atque omni re vndique ornatam, inſtructamque redderent. Sed non tam fortaſſe his obfuit vetuſtas ipſa; iniuriaeque, quae naſcuntur ab ijs rebus, quae in propinquo telluri hoc caelo fiunt, quàm humana vis, impetuſque mortalium; qui alia mente vſi, longeque diuerſum conſilium ſecuti, illa euerterunt, quae ſedulo maiores, magniſque ſumptibus factis fabricarant. quae cauſa etiam, vt arbitror, fuit, vt optimorum ingeniorum monimenta, quibus illa ſeruiebant, eodem fato vterentur, & ipſa quoque miſerabiliter extinguerentur. Vnde pauca illorum ad nos peruenerunt; praeſertimq; apud Graecos nouae comoediae penitus interierunt, vt quae tenerae eſſe, & poſſe mores iuuenum corrumpere exiſtimarentur. Cum tamen contrariae rei efficiendae illae iuuentae forent, & ipſius certè praeſtandae magnam poteſtatem haberent. Sed Cicero quoque vtilitatem huius poëmatis magnopere praedicauit, qui teſtimonio veteris grammatici, comoediam imitationem vitae, ſpeculum conſuetudinis, imaginem veritatis vocauit: & Plutarchus praeterea; optimus huius rei exiſtimator, vitaeque cultor triſtiſſimus, eximiè ipſam celebrauit, cum Menandri fabulas commendaret, ac quot fructus ex illius ingenio tenero adhuc prodijſſent: adoleſcens enim ille mortuus eſt, ſignificaret. Nam Socratem, Xenocratem, Zenonem, ſeueriſſimos quoſque philoſophos, in theatrum venire ſolitos, litteris mandatum eſt. Animus ſanè illorum, qui ipſa tollenda curarunt, reprehendi non debet: prodeſſe namque humanae vitae voluerunt: conſilium fortaſſe non omnino ſapiens fuit: quod enim nocere tantum conſueuit, nec boni quicquam vmquam gignere poteſt, id funditus excidendum eſt, atque omnes eius fibrae ſine dubio elidendae: contra autem, quod mixtum eſt, & quaſi è duabus maximè contrarijs rebus temperatum, quarum alterae detrimentoſae ſunt: alterae verò vtiles, quales ferè omnes res in hac noſtra vita ſunt; neq; enim purae ſinceraeque illae vllo pacto ſunt, ipſae nullo modo videntur extirpandae, ne vnà cum malo, bono etiam priuemur: potius enim via aliqua, ratioque eſt excogitanda,

qua

qua vitium illarum contegatur: commodum autem, bonumque, quod inde capitur, augeatur. vnde factum illud Lycurgi, ſtulti atque importuni regis, meritò inſimulatur, atque ab omnibus irriſum ſemper eſt atque exagitatum: qui cum vidiſſet, quibuſdam, qui ipſo vſi fuerant immoderate, vinum aliquid nocuiſſe, ſubitò vites excidi iuſſit, ac ſtirpem illam mitem, vnde tot bona ad humanum genus perueniunt, quantum in ipſo fuit, ſaeuitia ſua, magnoque opinionis errore obtruncauit. eadem igitur ratio fuit eorum, qui fabulas poëtarum, ſuauiſſimum paſtum animorum, magnumque ornatum rerum ſecundarum, delerent; ac paruo ſpatio temporis fructus magnorum ingeniorum, qui valde vtiles erant alijs ingenijs excolendis, ac quicquid denique ad eos expoliendos pertinebat, perdiderunt. Quare non parum fortaſſe in illos quadraret, quod Spartiates quidam in Philippum Macedonem, illum Alexandri patrem, fertur dixiſſe: cum enim Lacedaemonem nuntius veniſſet, Olynthum eum euertiſſe, atque in nobilem, ac copioſam Graecorum vrbem rabiem omnem ſuam exercuiſſe, inquit, regem eum aequalis illi vrbis condendae facultatem numquàm habiturum. Sed vetus hoc incommodum, & quod longinquitate temporis paenè tenebris inuolutum eſt, amplius non deploremus: optemus potius, ne huiuſcemodi aliquid in mentem veniat noſtri ſeculi principibus, ac maturiore conſilio in deliberatione omni de hac re, vtantur. Vt, ſiquando etiam duri quidam ac paenè agreſtes, ſiue qui triſtitia hac ſua commendari velint, huiuſcemodi aliquid ſuaſerint, conſilia ipſorum mala vafraque contemnant, ac nullo modo Muſis bellum indicant: cum enim vita noſtra, malis multis ac moleſtijs vndique cincta, aliqua egeat oblectatione, nec continenter verſari poſſit in laboribus, requietemque nullam capere tantarum defatigationum, quae remiſſio animi honeſtior eſt, ac magis probo viro, liberaliterque educato digna? Nam imbecilla aetas, & quae nullo pacto voluptate diutius carere poteſt, niſi in animi voluptatibus aliquibus occupatur, corpori ſe totam tradit, atque illius cupiditatibus explendis ardenter incumbit; vt vitam ita degere videatur magis beluae alicuius, quàm hominis propriam: quia neglecta meliore parte ſui, deteriori ſeruit, rationemq; appetitui patitur obtemperare. Praetereo fructum illum, qui maximus ex hoc ſtudio percipi poteſt, de quo ſupra diſputatum eſt: qua enim alia re magis ad virtutem colendam adoleſcentes, quàm vocibus poëtarum inflammantur? aut quomodo illi magis a vitijs reuocantur, turpitudinemque eorum propè oculis intuentur, quàm ſpectatis, & tamquàm ante pedes poſitis exemplis illarum rerum, quae ſummo conſilio a poëtis, ea de cauſa, deſcribuntur? Nec Platonis auctoritas, quominus poëtas diligamus, ſtudiumque ipſorum toto pectore colamus, debet nobis obſtare; qui putatur non valde amicus ipſis fuiſſe. quippe cum ducem eorum optimum è rep. illa, quam finxit, quamuis ornatum vndique, ac ſummo quoque honore affectum, eduxerit, atque exterminarit, vt qui crederet ſententijs ipſius quibuſdam, totaque demum ratione illa, infici multum, atque deprauari mores hominum eorum, quos ſuo quodam, ac nouo modo inſtitutos, illic viuere volebat; ac ſi id facerent, plenè, perfecteq; beatos futuros exiſtimauit: ipſe namque perſpicitur magnopere hac arte delectatus fuiſſe, ſermoneſque ipſius eruditiſſimi, atque politiſſimi referti ſunt vocibus poëtarum: accurati vero eiuſdem interpretes longè aliud ipſum ſenſiſſe arbitrantur, nec minus aliquid vnquam cogitaſſe, quàm Homeri dignitatem violare, quem admirabatur, ac cum aliquam eius rei occaſionem nactus erat, libenter ornabat, ac ſumma virtute praeditum eſſe affirmabat: ita demum illi purgare conantur hoc crimen, tamquam nullam maiorem maculam doctori ſuo, auctorique vitae, inuri poſſe exiſtimarint; nec alia vlla re tantum dignitatem illius, exiſtimationemque laedi ac labefactari, quàm ſi crederetur ille poëtam eum inſectatus fuiſſe, quem ceteri omnes iure optimo colerent ac venerarentur. Quod ſi alia nulla ratione auctoritatem Platonis poterimus ſuſtinere, opponemus ipſi Democritum, magnum illum phyſicum, & qui de hoc etiam praeclarè potuit iudicare: ipſe namque mirificè Homerum celebrauit, ſcripſitque ipſum, quae verba adhuc eius illuſtri loco poſita leguntur, cum diuinam naturam nactus eſſet, ope ipſius ornatum illum variorum carminum potuiſſe fabricare; vt qui putaret ſine diuino caeleſtique ingenio, nullo modo potuiſſe ipſum adeo pulchra, ſapientiaeque plena carmina conficere: nam eundem etiam, quod ſimile huic eſt, ſine quodam afflatu furoris negaſſe quemquam poëtam magnum eſſe poſſe, Cicero teſtatus eſt: magnam autem vim apud me habet ad Homeri virtutem perſpiciendam, & quaſi ante oculos mihi collocandam, cum cogito, virum illum ipſo contentum fuiſſe, ac nihil amplius in ea re deſideraſſe, cui vnus hic mundus ſatis non fuit, ſed innumerabiles, vel infinitos potius, mente animoque peragrauit. Hanc igitur artem, tantopere generi humano vtilem, cum ipſum valde probaret, & quantos fructus ferre poſſet, praeclarè videret, iudicio ſuo ac cognitione multa pulcherrimarum rerum ornare voluit Ariſtoteles: ſimulque, quae ipſius tractandae optima ratio eſſet, amatoribus illius indicare; gratiaeque mul-

tum ipſi, ac dignitatis aduerſus eos, qui eam nôn magnopere diligerent, conciliare: nam non deerant etiam, qui, eam coleotes, in aliqua re, ignoratione ducti, peccarent; quos corrigere, atque in veram viam reducere, rectum eſſe exiſtimauit. Quod ſiquis hoc vmquam efficere eximiè potuit, ille in primis, vel potius vnus omnium mortalium, huic rei praeſtaodae idoneus fuit: & quia quae laudi, aut vitio poëtis darentur, longo tempore Athenis obſeruat: & quia ingenium id, iudiciumque habebat, quod metiri res omnes facilè valeret; veramque illarum formam cerneret, atque alijs etiam, qui cupiditate ipſarum capti forent, demonſtraret. Semper verò eum ſtudium hoc amaſſe multis modis intelligitur, in quibus hoc etiam non paruum animi ipſius erga illud indicium eſt; quod ſcripta ſua omnia teſtimonijs poëtarum referſit, ſaepeque verum eſſe, quod ſentit quacunque de re, auctoritate ipſorum comprobauit. Valet etiam plurimum ad idem declarandum, quod cum a patre ipſius, prudentiſſimo rege, Alexandrum ſuſcepiſſet ioſtituendum, & omoi eleganti doctrina, &, quae tantae ſpei puero conueniret, expoliendum, Homerum in primis illi propoſuit, ingeniumque ipſius in virtutibus eius ſummi poëtae contemplandis exercuit: cum enim alterum Homeri opus ab iogenioſo viro, ac multum in hac re vidente, vocatum ſit pulchrum humanae vitae ſpeculum; quis non fateatur, imaginem magnanimi viri, ac fortiſſimi regis Iliade expreſſam eſſe, nec potuiſſe optimum, ſapientiſſimumque praeceptorem verius illum ioformare; & ſimulachrum eius vitae, quam ſequi poſtea ipſum oporteret, ante oculos illi melius collocare, quàm ſi monſtraſſet ei Achillis virtutes, artificiumque poëtae docuiſſet in illo heroe fingendo, ceteriſque principibus Graecarum copiarum, & ipſis clariſſimis viris, exprimendis? Inde autem natus eſt admirabilis ille amor magni illius regis erga magnum eum poëtam, quem multis modis ſignificauit, ac nullo tempore paſſus eſt minui ſuo in pectore, atque extenuari; quod mirari non debemus, cum in animum eius tenerum ſingulares virtutes, incredibilemque induſtriam huius diuiniſſimi poëtae acutiſſimus magiſter ſtudioſè, & quanta maximè diligentia poſſet, inſeuiſſet. Nam Alexandrum poſtea, virum factum, militariſque diſciplinae vſu etiam valde peritum, Iliadem bellicae virtutis viaticum exiſtimaſſe ſemper, atque appellaſſe, ab ijs, qui res ipſius geſtas ſcripſerunt, comiteſque itinerum eius fuerunt, litteris proditum eſt. Eundem etiam Achillis facta magnopere admiratum fuiſſe, è numeroque heroum omnium plurimum illum amaſſe, teſtatur honos, quem cineri ipſius atque oſſibus habuit. Cum enim, bellum illaturus regi Perſarum, Ilium veniſſet, vel, vt alij volunt, in Sigeum; illicque Mineruae hoſtias immolaſſet, ſimulque heroas, re diuina illis facta, ſibi propicios reddidiſſet, columellam ſuper tumulum Achillis ſtantem, vnxit vnguentis, nuduſque vnà cum ſodalibus ſuis circum ipſam cucurrit, coronaque illic impoſita beatum Achillem praedicauit, quod duo illa multum peruagata; & quae paucis admodum in vita contigere, couſecutus eſſet. Confeciſſe praeterea Ariſtotelem libros non paucos Homericarum quaeſtionnm, memoriae a veteribus proditum eſt, quemadmodum etiam ſeparatim eum tragoediam ornaſſe, omneque demum hoc ſtudium alijs quoque ſcriptionibus ſuis illuſtraſſe. Incubuit igitur ille in hanc rem toto animo, atque, vt exiſtimare licet, quod conatus eſt, abſoluit, cumulateque perfecit: omneſque partes poëtices ſubtiliter pertractauit. Cum autem dicendi etiam ſtudium expoliſſet, atque ad intimas ipſius partes acie ingenij ſui penetraſſet, magiſtroſque demum illius, artem, quam profitebantur, docuiſſet, eadem naturae diuinitate quid boni, malique in hac ipſa committi poſſit, declarauit; in quo etiam plus ne, an minus laborarit, non facile affirmarim. Nam, cum illic plures habuerit, qui ante ipſum in id opus incubuerint, doctoreſque illius ſtudij, vt potuerunt, extiterint, hanc contra artem primum ipſum aggreſſum fuiſſe iudico: neque enim vlli memorantur, qui id efficere tentarint: vt poſt Ariſtotelem etiam, qui aliquid ipſi addiderint, multumque in eo progreſſi ſint, minime feruntur. Non falsò etiam fortaſſe putaret, qui crederet, hunc doctiſſimi viri laborem magis profuiſſe ad ſcripta veterum poëtarum iudicanda; virtuteſque, ac vitia illorum intelligenda, quàm nouum aliquem, qui in eo ſtudio cum laude verſatus ſit, informaſſe, & perfectum vndique, atque abſolutum reddidiſſe: neque tamen id auctoris ipſius culpa factum eſt: ſed vitio potius eorum temporum, quae, poſtquam ille editus ac diuulgatus eſt, Athenis, reliquaque in Graecia, conſecuta ſunt: ita enim omnia Macedonum armis, inteſtiniſque malis illic perturbata ſunt, vt vetera inſtituta Athenienſes dimiſerint, ac nouos mores, miſerae illi fortunae conuenientes, paulatim didicerint: otij vero, ac pacis haec ſtudia ſocia ſunt, florentibuſque rebus gentis alicuius ac populi, non tantum tranquillis temporibus, maxime frequentantur. Romani autem poëtae ad praecepta haec, niſi fallor, non multum aures patefecere; neque auctoritatem huius ſummi doctoris in ſtudio ſuo ſecuti magnopere fuere: tragici namq;, ac comici totos ſe ad fabulas Graecas vertendas dederunt, nec noua multa argumenta ſtudioſe finxerunt. Epico vero carmini colendo apti in pri-

mis, vt arbitror, Lucretius, Catulluſque fuiſſent, ſi eorum alter veriorem materiam cepiſſet, in qua verſibus complectenda ingenium exerceret: alter vero longiorem aetatem vixiſſet, cum iuuenis adhuc tale ſpecimen huius poëmatis dederit, vt non male de ipſo hoc ariolari poſſimus: ambo autem magnis ingenijs praediti fuere: iiſque luminibus poëmata illa ſua referſere, vt ſi toto pectore in hoc amplum argumentum incubuiſſent, nullo negotio pares illi tractando, omnique virtute cumulando, futuri fuiſſe intelligantur: nam quanta in vtroque fuerit facultas ſcribendi, elegantiaque orationis, cum ea aetate vixiſſent, qua maximè Latinus ſermo purus, ſinceruſque eſſet, quid attinet diſputare? Succeſſit his Virgilius, non magno ſanè ſpatio temporis interiecto; ſed, quo grauia in primis mala, atrociaque exorta ſint, & quae, vt veterem ſtatum eius ciuitatis labefactarunt, ac paenè Romanum imperium euerterunt, ita Latinum ſermonem, extincta omni nobilitate, totum inquinarunt, & antiquum omnem lepôrem ei eripuerunt. hic igitur, cum idoneam materiam, propriamque eius carminis ſumpſiſſet, plurimum ipſam ſtudio diligentiaque ſua exornauit; ac quod arte iudicioque praeſtari potuit, egregiè perfecit, atque cumulauit: nam & Homerum ducem ſibi propoſuit, ipſumque omni in parte ſui poëmatis accuratè expreſſit, vel, vt quidam volunt, potius expilauit; qui certè tamquam apis quaedam, ſingulos eius flores, vt tragicorum etiam, reliquorumque optimorum, & Graecorum, & Latinorum poëtarum luſtrauerit; indeque ſuauiſſimum mel confecerit, dubitari non poteſt. Sed tamen hic magnus, & qui ſtudio illo ſuo, curaque adiutus, primum facilè locum inter ſuos ſibi vendicarit, ac iudicio multorum cum Homero etiam de primo loco ac palma concertarit. Sed vt ad opus Ariſtotelem, artemque hanc redeam, iacuit diu ipſa: & paenè vndique tenebris oppreſſa atque extincta fuit; quippe cum è tribus libris, primus tantum in vita relictus ſit; reliqui autem duo, qui conſequebantur, interierint, nec veſtigium eorum vllum reſtiterit; nam ad hunc numerum librorum, quos ſcripſerit de hac arte, perueniſſe Ariſtotelem, teſtimonijs veterum auctorum perſpicitur: & Plutarchus enim in Homeri vita tertij libri mentionem fecit, non longè a principio eius benè longae ſcriptionis, vbi de origine eius poëtae diſputat, ac quid de re illa memoriae prodiderit Ariſtoteles, diligenter commemorat. Sed etiam Laertius in Socratis vita narrat, Ariſtotelem in III. lib. περὶ ποιητικῆς, dixiſſe optimo illi viro ſedulò aduerſatos fuiſſe Antilochum Lemnium, & Antiphontem interpretem portentorum. Praeterea ipſemet in VIII. libro de optimo ſtatu reip. teſtatur, ſe accuratè, copioſeque diſputaſſe de purgatione perturbationum in his, quae ſcripſit de poëtica; nec non & in primo itidem, & in III. libro de arte dicendi exponit, ſe de facetijs, omnique ipſarum ſpecie ſeorſum diſſeruiſſe in iiſdem de poëtica ſcriptis; quarum rerum vix vmbra quaedam nunc reperitur in hoc libro, quem in manibus habemus; praeterquam quod nullo modo veriſimile eſt, ipſum, accuratum in primis doctorem, multas partes huius operis neglecturum fuiſſe, & eas quidem non paruas; imperfectumque demum id, atque inchoatum reliquiſſe: aut enim non attingendum id fuit, aut poſtquam manus illi admouiſſet; parteſque ipſius aliquas accurate perſecutus eſſet, reliquas etiam expolire debuit; propoſitumque ſuum ad exitum perducere: nam, quin ſtatim in principio huius operis comoediam appellarit, ipſamque ornandam ſibi propoſuerit, dubitari non poteſt: quomodo igitur ipſam, ſi opus plenum, integrumque eſſet, omittere potuit? Vtinam potius hunc vnum librum, qui reſtitit, totum, integrumque eſſe affirmare poſſemus, vt ſcriptionem hanc ipſam mancam, debilemque eſſe aſſeuerare non timemus. Neque tamen ob id minus nobis gratum, acceptumque hoc, quod tenemus, eſſe debet: cum enim ipſum è magna quadam procella, naufragioque ſaluum ſit, videtur, a nobis ea de cauſa magis cuſtodiri, ornarique debere; praeterquam quod ita multa praecepta in ipſo continentur, diſputationeſq; tam acutae, & poëtae informando neceſſariae illic exiſtunt, vt omnis opera in eo diligenter legendo bene collocetur, fructuſque ſine dubio maximus inde capiatur. Sed, vt ſignificaui, iacebat hoc praeclarum opus, nec aliquos adhuc acres ſui amatores nactum fuerat: quamuis enim formis excuſum iam, diuulgatumque foret, Georgiuſq; Valla in Latinum ſermonem ipſum vertere conatus eſſet, non tamen adhuc, quia nulla magna diligentia in eo illuſtrando adhibita fuerat, in vſu, honoreque vllo erat; cum conſtet, eruditiſſimos etiam viros, qui omnem aetatem in humanioribus iis litteris expoliendis conſumpſerunt, accuratè ipſum non legiſſe; neque inde vmquam teſtimonia vlla citaſſe. Exortus poſtea eſt Alexander Paccius, ciuis meus, qui ſtudio praeterea hoc ipſo vehementer tenebatur, ac tragoediam etiam quandam, inuento nouo genere verſus, noſtro patrioque ſermone conſcripſit, vt plures etiam è Graecis poëtis, non ſine laude, & induſtria multa, partim eodem noſtro, partim Latino ſermone expreſſit. ille igitur ita acriter hoc opus amauit, vt ſemper in manibus illud haberet; ac de nulla re magis cum hominibus doctis, verſatiſque in ſcriptis huius philoſophi loqueretur. Quare cum incenſus deſiderio ipſius eſſet, ac nulli labori

parceret,

parceret, vt eum adiuuaret, cum antiquis libris, cuius rei poteſtatem magnam nactus eſt, cum gratia apud Clementem VII. Pont. Max. floreret, peruulgatam ſcripturam contulit, & multos ſine dubio locos emendauit. Sed etiam, cum idem arderet ſtudijs omnis elegantis doctrinae; in primiſque, vt traditum eſt, artem hanc coleret ac frequentaret, vt magis familiarem ſibi hunc librum redderet, ſingulaſque ſententias accuratè ponderaret; in Latinum ſermonem ipſum vertere aggreſſus eſt; nec tamen plenè, quod animo contendebat, effecit: conatui enim illi egregio mors obuiam ijt, ac ſingulare bonum, quod inde naſci potuit, fregit ac diſturbauit. inchoatus igitur, imperfectuſque labor ille honeſti ac probi viri exijt; nec tamen non ſtudia aliorum non parum excitauit. In idem opus non multo poſt Franciſcus Robertellus toto pectore incubuit; qui & annis, & eruditione florens, conſumptis in tam praeclaro, arduoque opere plurimis vigilijs, hunc librum primus ſcriptis ſuis illuſtrauit, plurimumque caliginis inde ſuſtulit atque diſſipauit; nec non ope antiquorum librorum, non nullas praeterea ex eo maculas deleuit, atque exturbauit: cum enim multa ille legiſſet, fabulaſque omnes omnium poëtarum diligenter verſaſſet, ac ſedulo in primis Graecos ſcriptores, in quibus varia, multiplexque doctrina exiſtit, volutaſſet, bene paratus in hanc palaeſtram venit; quare non ſinè cauſa, magnam inde laudem, gloriamque reportauit. Deſcendit ſtatim in eandem arenam egregiè & ipſe alia parte ornatus, ac ſcientia omni ſubtili comitatus, Vincentius Madius; qui cum aetatem omnem in grauioribus libris eiuſdem auctoris contriuiſſet, atque in celeberrimis gymnaſijs ſcripta ipſius interpretatus eſſet, laborem etiam hunc viribus ſuis indignum non exiſtimauit, atque in eo ſuſtinendo omne ingenij ſui robur contendit; hic & ſingulas ſententias diligenter examinauit, ac quae obſtare illic; pugnareque inter ſe videbantur, cognouit, adhibitaque diligentia plurima nodos plures diſſoluit, atque extricauit, &, ne longior in laudibus ipſius perſequendis ſine vlla neceſſitate ſim, quippe cum liber ipſe, plenus eruditionis ac diligentiae, in manibus ſit, vtilem valde operam ſuam in hoc praebuit atque collocauit. Sed neſcio quo pacto ego, dum hos verè ornaui; & quantopere ad hoc munus obeundum inſtructi acceſſerint, ſignificaui, errorem animi mei magis indicaui; qui non ita fortaſſe idoneus huic operi, neque par tanto oneri ſuſtinendo, tamen illud ſuſcepi, & quaſi cum illis contendere voluiſſe, poſſum exiſtimari; a qua ſanè mente, conſilioque longè ſemper afui, ac quiduis aliud magis animo meo cogitaui; quod ſanè verum eſſe, atque ita prorſus ſe habere, res ipſa, vt arbitror, ratioque, quam in hac ſcriptione mea ſecutus ſum, declarabit; meque omni huius turpiſſimi criminis ſuſpicione liberabit. Sed, vt rationem mei conſilij aperiam, ac quid denique me, vt tam erumnoſo nauigantem ſalo, impulerit, ſtudium id fuit iuuandi, & amor erga hunc optimum ſcriptorem incredibilis: quum enim olim diligenter libros eius de arte dicendi legi, ac ſtudio, vigilijſq; meis quantum potui illuſtraui, eodem tempore hunc etiam libellum, non valde alienum ab eo argumento, accuratè verſaui, & cum ipſius obſcuritatem animaduertiſſem, ac quàm malè ille a vetuſtate tractatus fuiſſet, cognouiſſem, aliquid lucis ipſi adportare, plagaſque non nullas aliquando eiuſdem ſanare mihi videbar, cumque diutius in hac mente fuiſſem, coepi ſperare, ſi id facere perrexiſſem, tempore futurum eſſe, vt adiumento alicui ad eum intelligendum ijs, qui non tantum in eo laboraſſent, futurus eſſem. Quod vero falli in hoc, decipique magnopere potuerim, admirandum non eſt, cum nihil tam difficile omni homini ſit, quàm ſcire, qui ſit, ac quid praeſtare poſſit, videre. hoc igitur fortaſſe mihi fraudi fuit, ac quod primò, ſi totum mihi propoſitum fuiſſet, meritò me perturbaſſet, atque ab eo conatu penitus abduxiſſet, paulatim ſuſceptum, non tam arduum, laborioſumque mihi viſum eſt. Sed his omnibus rebus nunc relictis, ignoſci arbitror oportere illis, qui deſiderio iuuandi ceteros capti, ſplendoreque laudis occaecati, maius aliquod onus ſuſcipiunt, quàm vires eorum valeant ſuſtinere. hanc igitur mihi quoque veniam dari rogo; praeſertim ſi liuor nullus, obtrectatioque in hoc meo labore apparebit; quarum rerum vmbram omnem, ſpeciemque, vt illae (niſi fortaſſe nimis mihi placeo) ab animo meo abſunt, ita inde delere, ac funditus extinguere conatus ſum. Acceſſerunt poſtea preces amicorum, aſſiduaeque ipſorum voces, vt quicquid & ipſe inueniſſem ad hoc ſtudium illuſtrandum aptum, diuulgarem, & cum amatoribus ipſius maximis communicarem: ego enim, vt timidè ſemper ac pedetentim ad hoc opus acceſſi, & in ſingulis ipſius partibus multum haeſitaui, ita ad extremum hoc conſilium capiendum valde cohorrui, & tamquam ſcopulum aliquem prolationem in medium mearum harum vigiliarum reformidaui. Nam, quin cupidi ipſius multi inuenirentur, numquam dubitaui: neque enim contingit hic, quod in altero illo ſtudio, arteque dicendi vſu venit, vt in liberis tantum ciuitatibus ei locus ſit, vigeatque ſolum tranquillo ſtatu reipublicae, atque omni ſtrepitu belli procul fugato: cum enim & illic maximè floreat, ac

ſecundis ipſarum rebus magnopere delectetur, gratum tamen eſt regibus, honoreſque ac praemia magna adipiſcitur ab opulentiſſimis quibuſque hominibus; idemque rerum aduerſarum ſolacium ac perfugium magnum eſt. Quis enim neſcit Aeſchylo ab Hierone Siculo maximos honores habitos eſſe? qui cum Athenis diſceſſiſſet, exiſtimans ſe ignominia notatum, quod ipſi ſeni adoleſcentem Sophoclem, qui tum primum in ſcenam venerat, delecti iudices antepoſuiſſent, eumque victorem illius certaminis ſententijs ſuis declaraſſent, in eam potiſſimum tellurem ſe contulit, tyrannoque illi mirificè gratus & acceptus fuit; vnde ſtatim praeclarum ipſius factum, beneficiumque in illos homines maximum ingenio ſuo celebrauit: condebat enim Hieron tunc Aetnam vrbem; vnde poëta ille, argumentum hoc ſui carminis fecit, fabulamque eo nomine docuit, qua & auctorem eius beneficij ornauit, & hominibus, qui illic viuerent, beatam vitam ominatus eſt. Apud Archelaum etiam Macedonem vixiſſe multum Euripidem, notum eſt, qui rex tam benignus in eum poëtam fuiſſe fertur, & tam ſaepe maxima pecunia, muneribuſque ampliſſimis eum ornaſſe, vt magnum ſane pondus auri aliquando Euripides magno animo recuſaret; atque in eo contra preces ipſius perſtiterit, aliquando totam illam pecuniam ſodalibus ſuis neceſſarijſque Athenas miſerit, ne animum regia erga ſe penitus videretur repudiare. Nam Menandrum etiam, qui alteram ſcenam coluit, a Ptolomaeo primo Aegypti rege magnis propoſitis donis euocatum fuiſſe, memoriae proditum eſt. Sed alia plurima, ſi maiore confirmatione res egeret, exempla occurrerent; nec ſolum vetera, verum etiam noua, magiſque huic ipſi aetati propinqua, quamuis negari non poſſit, quin haec rariora ſint, vt propter miſera etiam, & valde calamitoſa ſuperiora tempora, non ita multi fuere, qui huic laudi toto animo incumberent, quamuis non penitus illa vnquam extincta ſit, cum in aliqua ſemper gente omni aetate aliqui extiterint, qui vt potuere tunc ſtudia haec colerent, atque amarent. In quo etiam verè patria haec noſtra gloriari poteſt, quae ingenia illa tulit, quae prima hanc laudem renouarent, atque omnibus alijs, qui aliquid ipſius lingua ſcripſiſſent, longo interuallo praeſtarent: ij autem fuere, vt vno omnium conſenſu patet, Dantes, ac Petrarcha, qui inter alios eius ſeculi poëtas, tamquam lumen aliquod emicuerunt: eorum verò alter, aetate prior, & amplitudine argumenti maior, & cognitione omnium ſcientiarum illuſtrior, poëma confecit, ſtuporis plenum, & diuinitate multa refertum. Quod ſi aliquem inferiore aetate natura armauit, ac ſiquis ſe ad ſcribendum diuino ſpiritu afflatus contulit, hic profectò is fuit: neque enim humanis viribus nixa mens vlla, quae vidit ipſe, &, vt nos videremus, effecit, potuiſſet vnquam contemplari. Qui ſucceſſit autem illi, cum minorem materiam ſumpſerit: eſt enim Petrarchae poëſis, vt de Anacreonte illo Teio, Cicero memoriae mandauit, tota amatoria; multum tamen ipſi dignitatis attulit, honeſteque in primis atque ample teneras illas res, ac molles pertractauit, cum contra Graecus ille & turpiorem amorem celebrarit, & vini plenum, temulentiaeque poëma condiderit: ita ſe demum noſter, in eo opere geſſit, vt nihil in eo videatur poſſe deſiderari, quod ad argumentum illud ornandum, atque omni laude cumulandum faciat. Cum igitur elegans hoc ſtudium tantum adiumenti ceperit a noſtris hominibus; nec tantum inuenti ſint apud nos, qui magnificè, praeclareque ipſum coluerint, ſed etiam palmam ex eo tulerint, cur non debui & ipſe, ſiquid opis ipſi adferre poſſem, valde conari; & cum eximium carmen ſcribere non valeam; nec etiam fortaſſe rectè id faciendi rationem alijs tradere, eum ſaltem, qui ſummo ingenio praeditus hoc fecit, artemque hanc docuit, atque omni eleganti ſupellectile locupletauit, ſcriptis meis adiuuare; & praecepta, quae dedit, vetuſtate ipſa, & praeterea alijs malis corrupta multum, atque obſcurata, ſedulitate mea illuſtrare? Cum autem nunc explicationem huius libri, finem mei laboris eſſe ſtatuerim, habeam tamen inſtituta quaedam alia, quae valeant aliquid ad artem hanc ipſam ornandam, commodiore tempore illa diuulgabo, vt nulla re, qua poſſim, deſinam ipſam expolire, ſi modo id, quod conatus ſum, vllam in partem efficere potui, atque praeſtare. Vt autem omnes ingenij mei vires contendi in ſingulis ſententijs explanandis, ita diligentiae plurimum, ſtudijque adhibui in antiquis exemplaribus conquirendis; cumque omnes, quae apud nos ſunt, bibliothecas perſcrutatus eſſem, opera etiam amicorum, induſtriaque in hac re vſus ſum; qui vt ſtudio meo inſeruirent, ceteras Italiae omnes excuſſerunt, vnde aliquid aptum ad hunc librum purgandum poſſet expromi. Sed ſe potius in hoc illi ſtudioſos mei, diligenteſque praebuerunt, quàm auxilij multum mihi, opiſque, ad id quod quaerebam, tulerunt; quod ſanè ipſe admiratus non ſum: ſciebam enim vulnera, quae impoſita erant huic operi, multis ab hinc ſeculis eò comportata fuiſſe; videramque ipſe olim, ac diligenter tractaram volumen quoddam antiquiſſimum, in quo cum vnà cum alijs non nullis bonis auctoribus, fideliter ſcriptis, hic etiã liber eſſet, nihilo melior illic ille multis locis, quàm peruulgatus quilibet, typiſque

typiſque excuſus erat: quare deſperaui aliquid boni inde poſſe expectari. Totum igitur me contuli ad lectionem communem diligenter ſpectandam, quam tamen arbitror, me multis locis emendaſſe, ac ſtudio meo meliorem reddidiſſe; quod partim feci ope illorum ipſorum, cuicuimodi erant, ſcriptorum librorum: partim collatione aliorum locorum, ac teſtimonio denique, auctoritateque quorundam veterum auctorum: vt coniectura etiam aliquando, acerrimaque animaduerſione animi mei; quod tamen pudenter (niſi fallor) & cautè feci, ſemelque tantum, aut iterum, aliquid mihi, neceſſitate coactus, in hoc permiſi; aut, ſiquis etiam hoc vult, arrogaui: nec recuſo etiam, ſi forte deceptus ſum, nimiſque in hoc mihi tribui, quin opinio mea refellatur, veritaſque ipſa iudicio meo anteponatur: omnia enim malo, quàm huic diuino, atque vtili in primis operi, cui plurimum prodeſſe ſtudui, videri obfuiſſe, aut aliquid ipſi maculae aſperſiſſe. Nam in hoc quoque ſimplicitas animi mei, cupiditaſque infinita iuuandi apparebit, quòd vt labor hic meus communior ſit; ſententiaeque auctoris minore cum moleſtia percipiantur, ab his etiam, qui ipſius linguam non didicere, ſingula verba expreſſi, ac ne ordinem quidem illorum plerunque variaui: hanc enim rationem, rudem penitus atque inornatam, aptiorem ſemper exiſtimaui ſcriptis huius doctiſſimi, atque acutiſſimi ſcriptoris exprimendis: qui namque in praeceptis alicuius artis, rebuſque ſubtilibus, atque obſcuris vertendis, elegantias ſermonis ſectaretur, hic ſtudio illo ſuo (vt opinor) potius officeret, quàm lectorem adiuuaret, ac ſcrupulos ſaepe magnos in animum eius inſereret: oratio enim eorum, qui aliquam artem tradunt, longe diuerſa eſt a genere dicendi oratorum, & eorum denique, qui multum in eo ſtudio verſati ſunt: quamuis enim illi tunc longè alij ſcriptioni incumbant, retinent tamen non parum frequentatae ab ipſis locutionis; reſque omnis aut multum augere, aut contra conterere valde, & extenuare conſuerunt. Hoc etiam, vt apparet, vidit Melanthius, acutus valde & ingenioſus poëta, vitiumque nimis expolitae orationis ſignificauit: cum enim quaeſitum eſſet ex eo, quid ſentiret de tragoedia Diogenis, reſpondit, non poſſe ſe ad eam oculis penetrare, nominibus vndique tectam atq; obſcuratam. Eodem igitur pacto acuti ſenſus Ariſtotelis non poterunt indagari, ſi granditate verborum ſpecieque, tamquam velis quibuſdam, operti fuerint atque adumbrati. Qua in re fortaſſe plures, non parum lapſi ſunt, qui diu verſati, in illo ſcriptore, verborumque ſplendore, ac copia diligenter notata, ſtilum Ciceronianum huc tranſtulerunt, atque in hoc potius ſtudium omne ſuum; quàm in ſenſibus philoſophi exprimendis poſuerunt, quod nullo modo (niſi fallor) fieri oportuit: eruditio enim doctrinaque abſcondita hinc petitur, non flores, ornatuſque ſermonis ab his auctoribus expectantur. Verum autem hoc eſſe, prorſuſque probari debere, intelligitur etiam auctoritate illorum, qui publicè Ariſtoteleos libros interpretantur; qui cum eruditiſſimi viri ſint, ac de hac re egregiè poſſint exiſtimare; quippe cum ipſos tamquam incudem quandam, continenter tundant; nec vllam quamuis minutam, & exilem partem eorum relinquant, quam non ſubtiliter perpendant & excutiant, relicto labore hoc ipſorum, doctoreque ſuo ita concinnato, vt vix agnoſcant, veterem illam ſimplicem, puramque tralationem ſequuntur, nec ab ea vmquam, in quo ſanè multum vident, decepti elegantia, ſplendoreque vllo verborum diuelluntur: ſiquis enim illic aliquantulum a vero ſenſu auctoris digreditur, quod neceſſe eſt, ſi pluribus verbis, aut ornatioribus vtatur, ſtatim plures, ac moleſtae quaeſtiones exoriuntur, quae magnopere perturbant lectorem, ac ſine cauſa ingenium ipſius exercent; cum tale nihil ab auctore vnquam prolatum, aut cogitatum ſit. Cognoui ego Petrum Halcyonium, qui mirum, quantum in hoc valuit; ac ſi conatus hic laudem in ſe magnam aliquam habet, non debuit non magnopere commendari, ita ſe certè ille in ea ratione amauit, vt non veritus ſit Theodorum inſectari, ac ceteros omnes, quos ille doctiſſimus vir, pluzimumque in hoc munere laudatus, ſecutus fuerat, prae ſe contemnere atque conculcare; hic non nullos libros Ariſtotelis interpretatus eſt, atque omnem induſtriam ſuam in eo poſuit, vt ſententias philoſophi, Ciceronis verbis exprimeret; cuius eloquentiam meritò ſemper probarat, & cum ſcribebat etiam aliquid, non infeliciter reddebat: quid autem praeſtare in hoc, de quo quaerimus potuerit, non eſt tempus nunc accuratè docere: laborem certè illum, non eſſe probatum teſtatur, quod in ſcholas philoſophorum receptus non eſt, praeterquam quod ſtatim exortus eſt, eruditus ſanè & accuratus vir, qui valde ipſum accuſauit, ac volumen etiam de illius in eo operae erratis diuulgauit. Poſſem etiam exemplis poſitis certorum locorum, vitium hoc ipſorum patefacere, &, quàm nullo iudicio in hoc vſi ſint, declarare; ſed quia ab aliorum culpis exagitandis toto animo abhorreo, & rem ipſam ſatis iam planam, & apertam eſſe arbitror, omni hoc labore ſuperſedebo. Nam ipſe quoque huiuſcemodi aliquid fortaſſe efficere potuiſſem, ſi conatus eſſem, atque id rectum eſſe, ac laude magna dignum exiſtimaſſem: eam enim laudem eſſe, di-

gnamque prorſus, quae hoc nomine appelletur puto eſſe, quae a ſapientibus viris, iudicioque praeditis proficiſcitur; non ab his naſcitur, qui vmbram potius rerum, & quod in promptu eſt ſpectant, quàm vim illarum, naturamque reconditam intuentur. Huic igitur quoque periculo me expoſui; nec voces maleuolorum, imperitorumque, fructus aliorum gratia reformidaui, & cum fide demum me in hoc, quemadmodum in alijs omnibus partibus geſſi, atque eam in primis ſeruaui. Nec tamen non auctor ſum ijs, qui harum litterarum, artiumque omnium optimarum ſtudioſi ſunt, vt Graecum ſermonem perdiſcant, quod non magno negotio, ſi tantum ipſius percipere voluerint, quantum huic eruditiſſimo ſcriptori legendo, ceteriſque ſcientijs eo ſcriptis percipiendis ſatis eſt, neque longo tempore impetrabunt: ita enim paucorum menſium labore, maximos labores, in quos neceſſario aliter ſingulis diebus incurrent, declinabunt; ac multo facilius ad occultos ſenſus auctoris penetrabunt: neque enim exiſtimandum eſt, quemquam melius, aptiuſque ſenſum animi ipſius oratione editurum, quàm auctor ipſe fecerit, è cuius mente intellectuque illi prodierunt. Qui verò ſemel guſtata ſuauitate, copiaque huius ſermonis, contentus hoc non erit, ſed ad fontes etiam poëtarum accedere auſus fuerit, atque inde iucundiſſimum liquorem haurire, & tamquam in amoeniſſimis Muſarum pratis requieſcere voluerit, laborabit hic quidem magis; quippe cum illi feſtiuitates omnes, & lepôres vndique collegerint, & è vetere etiam memoria, peregriniſque regionibus verba quaedam eruerint, vt non pauca quoque libere ſatis & contra conſuetudinem ipſam, aut induxerint, aut immutarint. Vnde factum eſt, vt quidam ipſos alia lingua, quàm ceteri ſcriptores, locutos exiſtimarint, & ob hanc difficultatem illos attingere magnopere reformidarint; nec tamen non labor ille maximum fructum, voluptatemque aliquando in animis ipſorum creabit, & moleſtiam illam non ſine grandi foenore compenſabit. Cum autem iam, quae dicere cogitaram, ac conſilio meo conſtituendo, neceſſaria exiſtimaram, expoſuerim, alacri animo ad auctorem ipſum ire iubebo, &, vt omnes ſingula ipſius verba diligenter expendant, admonebo; quem ipſorum laborem, ſi ſtudio, diligentiaq; mea plurimum leuaui, gaudebo, ac quod magnopere cupij, me plenè conſecutum putabo. Sin nullum magnum, vt ſtudui, fructum illis tuli, voluntas certè non defuit; conatuſque huius rei efficiendae, vt vnicuique apparere poſſe puto, non mediocris.

PETRVS VICTORIVS
Carolo Sigonio. S.

DVAE res fecerunt, vt & ad tuas litteras ſero reſponderem, & gratias tibi, vt debebam, ſubitò non agerem de elegantiſſimo munere tuo, quod mihi vehementer gratum fuit; altera illarum eſt, quod omni hoc tempore valde occupatus fui, totoque animo diſtentus in eo opere, quod videſ miſi enim illud ad te vnà cum hac epiſtola, edendo: quare quamuis non tanto etiam tempore egerem, vt commodè non poſſem epiſtolam conſeribere, non tamen tantum otio abundabam, vt accuratè librum illum tuum legere valerem; quod vt facerem, a me maiorem in modum petiueras; altera cauſa eſt, quod optabam, te ſimili munere remunerari, atq; in hoc quoq; te ipſum imitari: ſcripſiſti enim in illis tuis litteris, hanc cauſam fuiſſe, cur ad meas illas V. Id. Dec. datas ſerius multo reſponderes; quod vnà cum litteris librum tuum de iure ciuium R. ad me mittere velles; nec tamen ob id liber apud me ſegnis eo tempore, otioſuſq; manſit: nam cum nullo modo poſſem ego, vt cupiebam, ipſum manibus verſare, egregiamque inde cognitionem eius materiae, quam tractas, haurire, dedi ipſum legendum duobus ſummis amicis meis, qui illius videndi non paruo deſiderio tenebantur; prior eorum fuit Laelius Taurellius. qui, vt ciuilis iuris eſt conſultiſſimus, ita omnis elegantis doctrinae peritiſſimus. ille igitur libenter ipſum legit, & non parum etiam poſtea mihi laudauit. Diligenter deinde eundem tractauit Vincentius Borghinus; quem virum ego ſemper multum amaui: nam ipſe quoque illum auidè deuorauit, cum ſtudij plurimum olim poſuiſſet in iiſdem omnibus rebus inquirendis, quibus tu operam dediſti, ac diligenter etiam de praenominibus, nominibuſque Romanorum, omnique hiſtoria earum familiarum conſcripſiſſet; qui libri ipſius iampridem extitiſſent, niſi ille inde procuratione aliarum rerum non ſine damno aliquo harum litterarum abreptus fuiſſet; & (vt arbitror) magnopere hominibus doctis & prudentibus placuiſſent. Ille igitur quoque mihi ipſum commendauit: quare, ſi auctoritates ſequeris in confirmandis opinionibus tuis, magis cara tibi iudicia horum,

quàm

quàm mei ipſius eſſe debent: nec tamen non ego nunc leuatus onere magno in manus eum capiam, diuturnamque ſitim eius legendi explebo; &, vt ſpero, in eo probando me ſocium optimis his, eruditiſſimiſque viris adhibebo: ſed etiam, quid de illo ſentiam, vt tibi roganti non deſim, aliquando ſignificabo. In quo tu ſanè mihi operam reddes, ſumpto quouis ſpatio temporis, ac quid tibi viſus ſit hic meus labor, indicabis; niſi operis magnitudo te ab eo legendo abſterrebit: nec tamen non, guſtatis quibuſdam locis, quid de reliquis ſperari poſſit, non male exiſtimabis. Vale. Putaque me tibi amicum eſſe, atque omnia tua cauſa cupere; huiuſque mei amoris erga te ſigna etiam certa, cum res tulerit, daturum. Florent. Kal. Quinct. CIↃ IↃ LX.

PETRVS VICTORIVS
Antonio Polo. S.

OPVS foret fortaſſè me tibi primum purgare, quod numquam ad hunc diem ad te ſcripſerim; neque hoc genere officij, quo vno abſentes amici veterem beneuolentiam tuentur, tecum vſus ſim, vt debebam: deinde polliceri me tam grauem errorem depoſiturum, & diligentem ad hoc humaniſſimum munus obeundum me praebiturum: ſed ego fretus humanitate tua ipſum omittam; conaborque potius declarare, id commiſſum a me non eſſe obliuione antiquae noſtrae conſuetudinis, quae ita iucunda fuit, & tanta ſuauitate referta, vt deleri ex animo meo nulla ratione poſſit: obuerſatur enim mihi ſaepe ante oculos tempus illud, cum ſcriptores & Graecos & Latinos hic vna legebamus, & reconditos ipſorum ſenſus eruere ſtudebamus; omnemque florem orationis & lumen ſententiarum aperire, aſtante ſummo Cardinale, Alexandro Farneſio, & maximo ſuo ingenio iudicioque ad tenebras inde diſturbandas quaſi facem praeferente. Quomodo igitur poteſt extingui è pectore meo tam dulcis memoria praeteritarum rerum, & tam pura, ſinceraque voluptas, vt ſi maiorem ipſa numquam me in vita guſtaſſe affirmarim, mentiturus profectò non ſim. Contigit autem, vt cet poſtea te viderim ſemper occupatum, atque in itinere, quamuis curreres, poſtremum tempus fuit, cum praeteritò autumno, recta via digreſſus, rus meum aduolaſti, atque ibi me beneuole ſalutaſti, aduentuque tuo inexpectato mira laetitia affeciſti: mittebaris autem a Pont. Max. nuntius de magnis rebus: cum igitur neſciam, quando te amplius viſurus ſim: longa enim ſpatia interceſſerunt inter ea tempora, quae dixi; & ego iam valde ſenex ſim, decreui ad te ſcribere; hocque animo calamum ſumpſi, vt tecum loquerer per litteras, & deſiderium tui, quo magno iuſtoque incenſus ſum, lenirem, id quod ſaepius faciam, ſi intellexero, tibi hoc officium meum non moleſtum eſſe. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Philippo Thebalduccio Iacominio. S.

NVLLAM iampridem animo laetitiam maiorem cepi, puer optime, quam eam, quae me totum repentè perfudit, lectis tuis litteris: gaudeo enim mirum in modum, cum video iſtius aetatis aliquos verum iter gloriae ingredi, & a teneris vnguiculis incipere virtutem colere, atque amplexari: tibi autem praeter ceteros multis honeſtiſque de cauſis plurimum faueo: nam, vt taceam affinitatem, qua coniuncti inter nos ſumus, ſtatim vt te ſuperiore anno vidi, ſuauitatem indolis tuae, ingenijque acumen cognoui, ac vehementer amaui: poſtquam autem accuratius tecum locutus ſum, ac de ratione ſtudiorum tuorum diligenter quaeſiui, perſpexi, te non fruſtra operam ijs dediſſe, ſed tantum in illis profeciſſe, quantum ſi ceteri iſta aetate progreſſi eſſent, magis deſiderio parentum ſatisfeciſſent, meliuſque laudi ſuae conſuluiſſent. Hoc igitur magnam in primis vim habuit ad me impellendum, vt te in animum meum penitus reciperem; quamuis nihil in te perſpicere potuerim, cum ſedulo de hoc cogitarem, cunctaque ſubtiliter examinarem, quod non magnopere probarim, ac dignum laude commendationeque iudicarim. Nunc autem admiratio illa non parum aucta eſt, magiſque bonitatem naturae tuae ſuſpexi, cum tribus his, quae nunc magno in honore ſunt, linguis te vti poſſe vidi, commodeque

deque illis quicquid animo cogitas explicare. Perge igitur iter iſtud facere, teque in primis ijs ingenij exercitationibus dato: ex nulla enim re maiorem vtilitatem capies, nihilq; magis aptum eſt ad ingenium excolendum, faciendumque, vt quae didiceris in promptu ſemper parataque habeas, quod niſi tanto locorum interuallo ſeiuncti eſſemus, non tantum te verbis adhortarer, auctoritateque mea, vt laudi vndique ſeruires, impellerem, ſed hunc praeclarum conatum tuum re etiam factiſque adiuuarem. Quacunque certè te poſſum abſens, & honori tuo, & voluntati patris tui, prudentiſſimi viri, quem ſemper meritò dilexi, non deero. Quare audacter mihi omnia onera imponite, non fallam, quantum efficere potero, opinionem veſtram. Munus tuum, [illegible]que iſta [illegible], quae ad me miſiſti, fuerunt mihi valde grata, laudoque benignitatem tuam, iſtoque etiam nomine me plurimum tibi debere fateor. Vale. Florent. Prid. Non. Ian. CIↃ IↃ LX.

PETRVS VICTORIVS
Carolo Sigonio. S.

LIBRI tui, quos ad me nunc miſiſti de antiquo iure Italiae, fuerunt mihi vehementer grati, munuſque ego hoc tuum elegantiſſimum omnium, ſuauiſſimumque ſtatim iudicaui: quid enim homini ſtudioſo litterarum, & a vetere gloria huius telluris minime abhorrenti, magis aptum eſſe potuit, quàm labor amici hominis, qui omnem earum rerum memoriam euoluerit, & paenè cuncta, quae diu magnis tenebris circunfuſa fuerunt, in lucem reuocarit? Haec ſubito animo meo, vt volumen ipſum vidi, obuerſata ſunt, ipſumque mirificè ſpe quadam non inani oblectarunt: cognoram enim iam quanta diligentia alterum opus confeciſſes, & quàm feliciter, quod praeſtare voluiſti, abſoluiſſes: poſtquàm autem ipſos libros perlegi, intellexi me non fruſtra gauiſum fuiſſe; admiratuſque mecum ſum, quomodo potueris illa ſparſa vbique, vel potius diſſipata, in vnum colligere, & tanta prudentia adhibita iudicare; nec tam iudicium meum in hoc ſequor, quàm aliorum quorundam doctiſſimorum virorum: mihique amiciſſimorum: in primis autem Laelij Taurellij, cui plurimum ipſe meritò in omni re ſemper tribui; quique de his rebus egregiè poteſt exiſtimare, cum ſit omni eleganti doctrina expolitus: ille enim auidè libros ipſos legit, & ante me quidem legit, cum a ſtudijs ſuis, ſcientiaque iuris ciuilis, ipſos alienos non putaret. Feciſti igitur opus magni laboris, & quod non Populo R. ſolum gratum, acceptumque eſſe debeat; cuius in primis laudem gloriamque veterem renouat, verum etiam omnibus antiquis oppidis, municipijſque Italiae, quae ſi retinent aliquid magnanimitatis; nec vnà cum imperio amiſſo extingui in ſe paſſa ſunt ſpiritus illos ſuos, gaudere profectò debebunt, cum videbunt iura ſua priſca, plena aequitatis, vel dignitatis potius, illuſtrata eſſe; quae paulo antea clam ipſis erant, ac ſpatio multorum ſeculorum omnes ferè mortales fefellerant. Quod commentarios meos nuper editos legis, probaſque, id mihi periucundum eſt; laetorque mirificè teſtimonio hoc tuo laudum mearum: nec enim te puto hoc auribus meis dare; ſed quod ſentis, vt amico proboque homine dignum eſt, de illis libenter praedicare. Vale, & iter iſtud, quod magno animo ingreſſus es, celebrandi veterem memoriam, perge conficere: ſimul enim memoriam tuam poſteritati commendabis, In diſcutiendiſque tenebris vetuſtatis nomen tuum ab omni caligine vindicabis. Vale iterum, & me ama. Flor. Prid. Non. Ian. CIↃ IↃ LX.

PETRVS VICTORIVS
Bartholomaeo Riccio. S.

GAVDEO litteras meas, olim magna cum fide ſcriptas, cauſam tibi attuliſſe epiſtolae conficiendae, etſi intelligo, animum tuum, lectione ipſarum commotum, veteris amici deſiderio; cuius interitum, moleſtum omnibus bonis, litteris illis deploraui, mirum in modum inflammatum fuiſſe. Tulit igitur labor ille meus fructum eum, quem numquam putaſſem, cauſaque fuit, vt vir optimus, & omni parte ingenij ſui politiſſimus, idemque numquam ſatis ornatus: nunc etiam poſt tantum ſpatium temporis celebraretur, & in caelum, quo receptum eum eſſe, pro ipſius pietate,

conſtanter

conſtanter credimus, ſummis laudibus efferretur, nec tantum ille ipſe, teſtimonio, auctoritateque tua commendaretur; verum etiam ſodales ipſius integerrimi, ac ſanctiſſimi viri, quos ipſe ſemper coluerat, quorumque eximiam virtutem, omni ſua vita ſuſpexerat, in quo ſocios ille habuit cunctos mortales, qui aliquid ingenio, ſapientiaque valerent, neque inuidia, maleuolentiaque ſuffuſum animum haberent. Delectatus igitur admodum ſum officio hoc tuo, & humano, & pio; nec poſſum non magnopere laudare probitatem, quae viuam in ſe retinet memoriam amicorum, nec longitudine temporis, extingui ipſam, & obliterari patitur. Laudo etiam (quod verè, ac iure optimo facere poſſum) aequitatem animi tui, qui, vt ſapientem virum decet; in primis autem Chriſtiano homine dignum eſt, paratus es, naturae concedere, ac legibus ipſius obtemperare; viamque tibi diligenter munieris, ad perpetuam illam vitam impetrandam, quae fugere neminem poteſt, qui oculos ad eam direxerit, & huius fallacia seu illecebras; delicias que contempſerit: qui autem ſuſpicit, & admiratur in uita viros illos, quos tu videris praeter ceteros tibi propoſuiſſe tamquam exemplar quoddam, ac verum ſimulachrum ſanctitatis; non poteſt, diſſimilia illis eſſe, & ab optimo ipſorum itinere, inſtitutiſque vitae abhorrere. Non eſt autem, cur ego nunc rurſus veterem amicum celebrare coner; quem tunc omnibus ingenij viribus, quantum in epiſtola fieri poterat, ornaui: vel potius, quod ſentiebam de praeclaris ipſius, eximijſque animi bonis fideliter, commemoraui, praeſertim, cùm tu etiam in eam rem toto animo incubueris, atque id amanter, copioſeque praeſtiteris. Cardinalis ampliſſimi ſingularis, diuinaque virtus, & non huius ſeculi probitas, quem omnes ereptum terris, incredibiliter doluerunt, ſiquis explicare ipſam pro dignitate aggrederetur, integrum volumen requireret, nec paruis epiſtolae cancellis vllo modo contenta eſſet. Illum verò, qui cognorunt, & aliqua neceſſitudine coniunctioneque attigerunt, non ſine cauſa beati fuiſſe, exiſtimandi ſunt, quod in primis contigit illis, quos in epiſtola tua appellas, & ipſis optimis viris, ac magnis ingenij dotibus praeditis. Qui etiam de ipſo loquuntur, aut ſcribunt, & exiguam partem exprimunt, virtutum ipſius, ſummam ineant a bonis gratiam, praedicatione illa neceſſe eſt, quae non poteſt, non grata eſſe, & accepta hominibus, poſtquàm ipſis, eo viuo, ac ſuperſtite diutius frui non licuit. Sed hoc nunc omittamus, ac potius, cùm dabitur occaſio aliqua, ſedulò id, totoque animo geramus. Probo ego verò conſilium tuum, qui a ſtudijs noſtris humanioribus ad diuina delaberis, & eſt profectò hoc dignum noſtra pietate imbuto homine. Quin etiam memini, cùm ille, decus, ac lumen aetatis noſtrae, me diligenter hortatus eſt, vt partem aliquam meorum ſtudiorum eò deriuarem: inciperem autem a Platone, qui quaſi medius eſt, & interiectus inter vtroſque diuerſi generis ſcriptores, quod ſanè conſilium ipſius non contempſi, ſed ſtatim grauiſſimum hunc auctorem, atque alta ſemper, caeleſtiaque animo verſantem, magis, quàm antea ſolebam, amare coepi, ac multò crebrius in manibus habere, cumque hoc deceat omnem Chriſtianum hominem non poteſt ſine labe, magnoq; errore animi abeſſe a ſene, qui ex hac infirma ad certam illam, ſolidamq; vitam breui temporis interuallo migrari debet; cum autem aetatem, quam honeſtè egiſti, mihi commemoraueris, ego, qui minor ſum X l. ferè annis, ſi me forte contigerit, plus in vita manere, memoriam tui ſtabilem in animo retinebo, ac ſpeciem hanc amicitiae, ſerò inſtitutam, fideliter colam. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Petro Angelio. S.

GRATVM mihi fuit, & vndequaque iucundum munus tuum, atque id merito ac iure optimo: quis enim, niſi omnino omnis honeſtae artis expers eſſet, penituſque auerſus a Muſis, inueniretur, qui tam vario & eleganti poëmate non delectaretur. ſed aliud etiam eodem tempore mihi valde placuit, animumque totum non parua voluptate perfudit; quod ſtatim vt editus liber eſt, miſſaque ſunt ad te aliqua ipſius exemplaria, me illud legere voluiſti: capior enim huiuſcemodi officijs, ipſaque non mala ſigna eſſe arbitror voluntatis aliquorum erga nos: etſi de animo tuo in me numquam dubitaui, quem ſemper, vt doctum hominem, & omni ingenua diſciplina inſtructum, ita etiam probum virum, & ſtudioſum amicorum cognoui: nam quantopere te dilexerim, rebuſque tuis bonis laetatus ſim, Deus Opt. Max. ſcit, amicique communes non nulli, ſi coniunctio animorum noſtrorum, ex ſimilitudine ſtudiorum nata, teſtibus egeret, confirmare

firmare auctoritate ſua poſſent, non minus inquam paenè te amaui, quam Antonium fratrem tuum, quem notum omnibus eſſe puto, quanta beneuolentia proſecutus ſim, ob eximium ipſius ingenium & vitae admirabilem probitatem; quamuis magis ille mihi familiaris fuerit, & qui nunc in comitatu eſt ſummi noſtri Cardinalis, ſtudiumque ſuum omne ponit in optimis artibus ipſi tradendis, diu mihi operam dederit, ac me diligenter obſeruarit. Sed ijs nunc relictis, quae non valde neceſſaria fuerunt, poëma tuum, diligenter a me lectum, me magnopere cepit, vel potius inflammauit deſiderio illarum rerum, quas non ſolum accuratè explicat, verum etiam pingit, atque ante oculos conſtituit; & cum adoleſcens olim multum in eo ſtudio verſatus ſim, indeque mirificas voluptates hauſerim, &, vt ſemper exiſtimaui, firmitatem hanc corporis, integramque valetudinem, quae me vſque ad hanc aetatem proſequuta eſt; magna ex parte ipſi acceptam refero, omnis memoria illarum rerum in me, dum legerem, renouata eſt, vt ea, quae ſubtiliter, & accurate narras, quaſi cernere, & in ſaltibus luſtriſque cum canibus verſari omni illo tempore mihi viſus ſim. Sed cum tam diligenter ipſa expreſſa ſint, & omnibus artis coloribus diſtincta & variata; ſiquid in me indicij eſt, non ſolum illa iuuare poſſunt procliuem ad id ſtudium, naturaque factum ad honeſtam hanc voluptatem decerpendam, verum etiam eum, qui in vrbe ſemper vixerit, nec partem vllam ipſius vnquam attigerit: cum enim iuſtis veriſque laudibus hoc ſtudium ornatis, & cuncta apte magnificeque, quae illic contingunt, plena incredibilis ſuauitatis, expoſueris, excitare repente labor hic tuus poteſt mirificum amorem in animis eorum, qui legunt, erga illud ipſum, facereque, vt doleant, ſe diu tanta voluptate caruiſſe; conenturque, incenſi cupiditate ipſius, reſarcire praeteritum tempus, quo ignotam ſibi illam paſſi ſunt, cum ſua non mediocri iactura, è manibus elabi. Nam quod, vt expolires id opus, cumulateque perficeres, de ortu etiam, vitaque & moribus beluarum, quae venatorum omnibus in terris praeda ſunt, cecinisti, hoc quoque non inertem lectorem oblectabit: cuius enim animum non paſcat tam varia & multiplex pulcherrimarum rerum cognitio & ſcientia? & materies igitur ipſa, vt ad me redeam, mihi valde probatur, & a te illam fuſe & copioſe tractatam puto. quare non video, cur praeclarum hoc ingenij tui monimentum non omnibus ingenuis viris, & qui ſolidis puriſque voluptatibus tenentur, valde gratum acceptumque futurum ſit: quid enim me oportet in illo verborum delectum, aut ſuauitatem numerorum, aut grauitatem ſententiarum, aut ſplendidiſſima, quae illic vbique fulgent, lumina ornamentaque orationis praedicare? haec enim cuncta tuae facultatis ac copiae propria ſunt; & cum huiuſcemodi aliquid tangis, aut exprimere conaris, poſcentibus hoc locis ipſis, quos tractas, occurrunt illa tibi facile, vt homini docto, & in optimis poëtis legendis interpretandiſque exercitato: non eſt autem, quod aliquis, qui te, ſtudiumque tuum flagrans cognitum habeat, cum huiuſcemodi aliquid in ſcriptis tuis repperit, valde admiretur: expectari namque illa a te eruditioneque tua debuerunt: iudicium autem ſuo loco ipſa ponendi, & vera ratione tractandi, tibi nullo modo deeſt. Gratulor igitur tibi, ac vere ex animoque gratulor, quod cum elegantem, nobilemq; materiam tui carminis ceperis, feliciter ad exitum tam arduum difficileque opus perduxeris; ſimulque quod neceſſe eſt: neque inde abeſſe vllo pacto poteſt, magnum tibi nomen, aeternamque gloriam pepereris; & cum laetarer, gaudijque non parum ex illius laude ſentirem, quicunque fuiſſet, qui hoc praeſtare, induſtriaque ſua efficere potuiſſet, magis gaudeo te, cui ſemper ex animo faui, illum extitiſſe, qui, quod pauci, vel nulli potius praeſtitiſſent, impleueris: atque inde in patriam praeclaram palmam reportaris. Quare gaude tu quoque magno hoc tuo & immortali bono, exiſtimaq; verum ac certum praemium eſſe tantorum laborum, teſtimonium grauium atque eruditorum virorum, quorum, vt mihi pro certo videor poſſe polliceri magna copia tibi praeſto ſemper erit, & illam, quam dixi gloriam; quae & ipſa tibi mortuo etiam comitatura eſt, & contra omnem iniuriam temporis nomen tuum celebratura. Vale.

PETRVS

PETRVS VICTORIVS
Alexandro Farneſio Card. S.

NESCIO quomodo factum ſit, FARNESI ampliſſime, vt ego, qui tibi omnibus in rebus praeſto eſſe cupio; quique dignitatem tuam, & decus ſemper ante oculos habeo, tam diu tibi, quod debebam, ſoluere procraſtinarim; nec multo antea, vt decebat, aere hoc alieno me liberarim, praeſertim voluntarius debitor, & qui nulla neceſſitate coactus olim fidem meam obligaui, & quaſi me tibi obtuli. Statui igitur in eo, quod tueri nulla ratione valeo, non diutius commorari: vnum tantum affirmare poſſum ac vere praedicare, negligentia id mea commiſſum non eſſe, quod multis modis probarem: nam quanti merito apud me ſis, & quàm cupiam amplitudini tuae in hoc etiam genere ſatisfacere, interiecto hoc & tamquam medio tempore alio genere monimentorum meorum declaraui. hoc igitur relicto, ecce tibi DEMETRIVM, quem diu optaſti; vndeque olim tot tantaſque puras voluptates hauſiſti: ecce inquam Demetrium, cura diligentiaque mea explanatum, ac, pulſa inde multa caligine obſcuritateque, vt arbitror, valde illuſtratum. Sed quid ego dico tibi? cum olim ex me eadem haec accurate cuncta explicante acceperis, ac fortaſſe etiam aliquando meliora: fit enim quandoque, vt in dicendo, interpretandoque ſubito non nulla occurrant, quae reſtincto illo ardore animorum, quum aliquis domi meditatur, numquam in mentem veniant; cuius ego rei ſatis, ac plus etiam, quàm vellem, peritus ſum, ſed alio etiam pacto non omnino apte idem dictum fuit: neque enim nunc Demetrius litteris explicatus diuulgatuſque tuus eſt, ſed omnium, quamuis tuo nomine valde commendatus ſit, tuque hoc profecto voluiſti; qui poſtquam me habere in animo hoc facere cognouiſti, numquam ceſſaſti, me hortari, vt ad hoc opus aggrederer, ac ſaepe ſtimulum aliquem admouiſti: neque enim eiuſdem animi voluntatiſque vllo pacto es, cuius cognominis tuus fortunatiſſimus iuuenis quondam fuit; nec tanta cupiditate cuiuſuis honoris adipiſcendi praeceps fereris, qui iniquo animo tulit doctorem ſuum, eruditiſſimum virum, ea edidiſſe, quae ſibi vni olim patefecerat: ſcientia enim quoque earum rerum, non imperio ſolum ac poteſtate ceteris omnibus antecellere cupiebat; cui ſcilicer potentiſſimo iuueni, vt nomine, ita quoque alijs rebus tu multo magis ſimilis es, quàm ego illi, cuius ipſe id factum eo tempore non probauit, vllam in partem par aut ſimilis ſum, nec tamen hoc proferre alienum fuit, quod alioqui plurimum quadrat. Quodſi etiam minime a te excitatus, vt hanc curam ſuſciperem, laboreque ac vigilijs meis, vt facile ab omnibus legi & intelligi Demetrius poſſet, efficerem; quaerendus aliquis fuit, & ex omni numero principum, beatorumque hominum eligendus, cui hoc munus maxime conueniret, tu in primis is eras, cui & ipſum & multo etiam maiora ſummorum ingeniorum opera mittenda forent: vt enim omittam FARNESIAE domus ſplendorem; tuique tui egregiam voluntatem, ſemperque paratum animum ad omni genere liberalitatis optimarum artium ſtudia adiuuanda, quis neſcit, quanto ſtudio tu ſemper ornaris doctos & eruditos viros? & quantopere dignitas eorum commodaque curae tibi fuerint; nec tantum quum, viuente adhuc PAVLO III. optimo ſapientiſſimoque ſene, neque ſatis vmquam laudato Pontifice, florentibuſque tuis rebus, concurſus ad te cunctorum litteratorum fiebat, eorumque omnium, qui in aliqua honeſta arte ceteris praeſtabant, quibus omnibus praeſidio eras, in eoſque alacri animo gratiam tuam benignitatemque conferebas, ſed etiam reliquis temporibus ac duriore quoque tua fortuna: numquam enim deſtitiſti fouere optima ſtudia, ſemperque domus tua plena fuit eruditorum hominum, & in omni genere litterarum magnopere celebratorum. poſſem ego multos appellare, qui verum eſſe, quod dico facile teſtarentur, è quorum numero non pauci mortui ſunt; ſi mortui illi dici debent, qui propter clara ingeniorum ſuorum monimenta perpetuo viuent, nec vlla vmquam temporis obliuione obruentur, poſſem etiam non paucos nominare ſuperſtites adhuc, & qui gloria ſua, ſummaque dignitate, quam ſibi, & in ſtudijs poëtarum, & in alijs optimis artibus pepererunt, viui adhuc perfruuntur. ſed quia haec cuncta certa & explorata ſunt, neque, vt notiora planioraque fiant, egent teſtimonio alicuius, vt neque etiam, quanta ſit animi tui magnitudo, & in hac parte laudis promouenda voluntas egregia, verbum de hoc amplius non addam. Non poteſt igitur non magnopere conſilium meum probari, qui omnino volui, vt beneficium illud, quod ex te ortum eſſet, ad te etiam rediret, & in tuo praeclaro, honeſtoque nomine acquieſceret; vnde

quoque

quoque plurimum amoris ac gratiae ſibi conciliaret. Cum autem ſoleant, qui huiuſcemodi aliquid faciunt; libroſque ſuos mittunt ad claram quampiam, illuſtremque perſonam, occaſionem illam nacti loquendi de vita, factiſque eorum, ipſos verbis ornare ac ſummis laudibus in caelum ferre (quod ego quoque alias feci, ac vere ſemper moderateque feci) cur id hoc tempore non faciam certa cauſa eſt: cum enim virtus tua in illuſtri maxime loco poſita ſit, ac tamquam in theatro quodam totius orbis verſetur, non eget oratione praeconioque alicuius, vt magis clara inſigniſque fiat, & exemplo cognita perceptaque, proſit: non poteſt etiam eadem vllo pacto latere, cum omnium oculi iampridem in eam conuerſi ſint: quare potui ſine damno vllo laudum tuarum omni hac oratione ſuperſedere, vetuſque hoc inſtitutum, vtileque, (ſiquis recte id modiceque gerat) non ſeruare. Quod vero facit ad opus ipſum celebrandum, bonaque, quae inde capi poſſunt, oſtendenda, ſeorſum id infra a me diligenter tractatum eſt. Non eſt igitur quod amplius, munere iam omni meo expleto, dignitatem tuam remoret: occupatamque illam in his rebus diutius teneam. Si vero non potui, quod pollicitus ſum, perficere, nec omnino hoc opus explere, id ab ingenij mei tenuitate, & minime exquiſita rerum harum doctrina profectum eſt; cura certe & diligentia non defuit, quam etiam vtramque rem multum exacuit ſtudium, quo valde hoc toto tempore incenſus fui tibi placendi, munuſculumq; hoc ita concinnandi, vt non indignum perſona tua, ad quam perventurum erat, omnino foret: venia autem illi digni videntur, qui nulli labori parcentes non male penitus, negligenterq;, quod ſuſceperunt, effecere, quamuis numeros omnes illius rei propter difficultatem operis non impleuerint, nec faſtigium ipſi, vt optabant, impoſuerint. Vale, teque communi ſpei bonorum conſerua. Florent. V I. Id. Sext. CIↃ IↃ LXII.

PETRVS VICTORIVS
Lectori. S.

MVLTI & magno ingenio doctrinaque praediti viri artem dicendi ornarunt, iam a primis illis Corace, & Tiſia, qui quaſi inuentores ipſius, ac patres extiterunt, nec apud Graecos ſolum, verum etiam apud Latinos; in quorum moribus & inſtitutis eloquentia maxime floruit, ac ſummos honores praemiaque adepta eſt. Cum autem & praeceptis illorum inſtructi, & naturae bonitate adiuti, non pauci in foro iudicijſque pulcherrime ſtetiſſent, ac reliquas partes huius facultatis eximie tractaſſent, vt pares illi inter ſe in eo fuere, quod reliquis omnibus in dicendo plurimum praestiterunt, ac longo interuallo poſt ſe illos reliquerunt, ita non parum diſſimiles inter ſe extitere, quod alij aliud genus orationis amauerunt: ipſorum namque non nulli, ampli & ſplendidi fuere, atque omni genere ornamentorum redundantes: alij contra exiles, tenueſque, qui tamen & ipſi in illa ſua gracilitate placuere, & non paucos eximios ſui amatores nacti ſunt. Fuerunt etiam, qui medij inter hos extitere, & quaſi temperati ex illis, qui & ipſi è cauſis, concertationeque omni verborum non illaudati diſceſſere; vt praeterea quidam lenes ac moderati: alij vero graues ac vehementes fuere; multiſque alijs huiuſcemodi diſcriminibus inter ſe diſtincti. Has igitur formas dicendi & quaſi figuras quaſdam, plures diſerti & eruditi viri verbis deſcripſere, qui ſane inter ſe de numero etiam ipſarum diſſenſerunt: non nulli praeterea ipſorum, quam optimam omnium eſſe iudicarent, oratione ſua explicuerunt, & in ſummo oratore fingendo vim omnem ingenij ſui conſumpſerunt, reliquis aut praeteritis aut leuiter demonſtratis: hoc certe videtur argumentum fuiſſe Ciceronis, cum rogatus a M. Bruto, vt id faceret, de optimo genere orationis ſubtiliter, copioſeque diſſeruit, ac ſummum perfectumque oratorem informauit. Idem etiam efficere voluiſſe Dionyſium Longinum apparet, qui inſcripſit librum ſuum, in quo de excelſo loco inter oratores diſputauit, περὶ ὕψους; ac quomodo certo itinere perueniri poſſet in altiſſimum illum eloquentiae gradum diligenter monſtrauit, nec tamen primus ille apud Graecos de elatione hac, & quaſi altitudine orationis accurate diſputauit: Caecilius enim, & ipſe Graecus dicendi magiſter, ante ipſum de eadem re quaeſiuit, & librum, in quo quaeſtionem hanc complexus eſt, eodem pacto vocauit; quippe cum Longinus eandem materiam, vt narrat, vberius tractandam ſuſceperit, quia ille minute exiliterque locum illum perſecutus fuerat; & ita denique, vt nullum magnum fructum capere inde, qui legerent poſſent. Alter vero Dionyſius, qui Halicarnaſſo oriundus fuit, ac tempore illum multo anteceſſit, cum de artificio dicendi plura ſcripſiſſet, ac varijs locis de his orationis notis aliquid attigiſſet, confecit

vnum

vnum libellum, in quo, etſi ipſum a certa quadam parte eius muneris appellauit, quippe cum de componendis nominibus vocarit, tangit tamen multas quaeſtiones ac ioca, quae a M. Cicerone ſedulo in ſuo illo aureolo libello explicantur. In primis autem hic noſter, quem ſtudio laboreque meo ornare, explanareque volui, hanc curam ſuſcepit, vt exquiſite has formas dicendi perſequeretur: nam initio ſtatim ſe hoc facturum eſſe indicauit, & quod pollicitus eſt, egregie praeſtitit. Cum igitur, principio inde ducto, vnde oportebat, ſingulas notas explicaſſet, & quae ſequi deberet, quaeque vitare, qui exprimere ipſas vellet, oſtendiſſet, nec non propinquas ipſis labes deprauationeſque, vt facilius ipſae fugi poſſent, patefeciſſet, impoſuit finem ſuo labori: quattuor autem numero veras formas eſſe exiſtimauit, eundemque numerum conficere vitia illarum ac corruptelas docuit; quippe cum in ſingulis illis conſectandis, qui veras atque integras venantur, inde deiecti, quia prudentes non ſunt, nec iudicio valent, in vitia ipſarum delabuntur, decepti ſimilitudine quadam ac ſpecie veritatis. Hermogenes, qui multis poſt Halicarnaſſeum ſeculis extitit, accuratus ac ſubtilis magiſter dicendi, dum artem hanc traderet, ſiue plures ipſius partes, melioreſque explicaret, de formis & ipſe dicendi diligenter diſſeruit, quas ἰδέας vocauit: auxit autem ille valde numerum earum, longeque aliam viam in deſcribendis illis ſecutus eſt; quod tamen ipſe efficere voluit, ſtudioſe tractauit, nec ſine laude multa ad exitum perduxit: χαρακτῆρας vero formas has, ſiue notas, vt veteres illi fecerant, & qui Hermogenem aetate anteceſſerunt, Demetrius appellauit: vt enim (nam inde tractum nomen videtur) notae impreſſae humeris equorum, aliarumque pecudum (quae nomine illo a Graecis ſignificantur) indicant cuius generis ſtirpiſque illi ſint; ita hae notae teſtantur, cuius ſectae & quaſi nationis ſit orator. Adeo autem hae notae, formaeque dicendi animaduerſae ſunt, tantique momenti ad vim alicuius oratoris, virtutemq; ſignificandam iudicatae, vt qui, aut nouam aliquam laude dignam non inueniſſet, aut inuentam ab alijs ingenio ac ſtudio ſuo non perfeciſſet, nihil praeclarum in eo genere praeſtitiſſe, nec magnopere celebrandus orator eſſe exiſtimaretur, quaſi vulgaris eſſet, & nihil eximium, ſummeque ſpectandum in ſe haberet. Quod vero Demetrius περὶ ἑρμηνείας ſe ſcribere velle ſtatim demonſtrauit, intellexit, ſe habere in animo de oratione, varijſque ipſius generibus diligenter diſputare, quae ſane plura ſunt, valdeq; inter ſe diſtantia: quod enim Cicero commemorat, M. Brutum ſe rogaſſe, vt explanaret, quod optimum eſſe genus orationis iudicaret, arbitror ipſum ἑρμηνείαν ad ſummum perductam, cumulatamque omni virtute intellexiſſe. Et ſane ille Latinus liber par eſt ſimiliſque multis modis huic Graeco, quem in manibus habemus: praeter quàm quod ambo a ſummis oratoribus ſumma induſtria confecti ſunt, & qui, vt intelligere licet, quicquid iudicij ſcientiaeque de oratorio dicendi genere habuerunt, in ipſos contulerunt: nam de altero illorum, Latino ſcilicet, quin hoc verum ſit, dubitari non poteſt: ipſe enim met hoc de ſemetipſo ſuis verbis declarauit, ac teſtatus eſt, ſe omnes ingenij neruos in eo opere contendiſſe, ac tale denique effeciſſe, vt quantum de illo libro, tantum de ſui iudicij fama detrahi non recuſarit. Et certe multis modis hi clari & honeſti in primis viri pares inter ſe ac ſimiles fuere, quod Cicero quoque litteris mandauit, qui ſibi gloriae duxit, quod huius vitam, ac ſtudia exprimere ac reddere potuerit, qui tamen ceteros omnes prae ſe deſpicere ſolebat, neque tantum in ſtudijs bonarum artium; verum etiam in re publica adminiſtranda: contigit enim ambobus, quod paucis omnino in omni aetate vſu venit, vt in vtroque vitae genere floruerint, & praeterea eundem reip. ſtatum, poſitum inquam, illum in poteſtate optimorum, amauerint, ac conſilio auctoritateque ſua, ipſum valde auxerint, atque ornauerint: monumenta autem ingenij vtriuſque plura extabant: cum enim eorum vterque otium nactus eſſet, totos ſe philoſophiae explicandae dediderunt, ac multos graues & obſcuros praeclarae huius doctrinae locos illuſtrarunt; in quo ſane M. Cicero fuit felicior, cum pars aliqua, & ea quidem non mala, ipſius laborum conſeruata ſit, reliquis vetuſtate conſumptis: Demetrij vero praeclara monimenta tempus confecerit, & ſuperior ſaeua tempeſtas euerterit, praeter hunc exiguum libellum, praeſertim cum ille memoriae proditus ſit, multa variaque, ſcripſiſſe, ac reliquos aetatis ſuae Peripateticos copia operum ingenij ſuperaſſe: nam indices adhuc librorum eius, materiaeque diligenter ſubtiliterque explicatae extant. Solus igitur hic περὶ ἑρμηνείας liber procellam eorum temporum euaſit, ac meliore fortuna, quàm reliqui, vſus eſt: ſaluus enim & incolumis ad hanc aetatem peruenit; quem tamen non nulli nuper auctori eripere voluerunt, & quaſi è manibus ipſi extorquere conati ſunt; cum tamen ille in omnibus exemplaribus auctoris nomen retineret, & quemadmodum erat, ita ſe Demetrij illius Phalerei eſſe, prae ſe ferret; & ſane ipſe etiam olim, cum ſtudio induſtriaque mea ipſum purgaui, plurimis foediſſimiſque maculis aſperſum, diligenter de hoc quaeſiui, ac non nullis coniecturis ductus, argumentiſque haud inanibus, comprobaui eſſe illum legitimum, verumque

partum huius auctoris, cum praeter fidem antiqnorum librorum, quae tamen aliquando fluxa lubricaque eſt, nihil certi & explnrati de hoc haberem: quare res digna cura & animaduerſiooe mihi viſa eſt. Quanto autem magis poſtea ipſum tractaui, ac ſingulas etiam ſententias, iudiciaque in omni re huius hominis ſubtiliter acuteqne ponderaui, tanto magis in ea opinione menteque confirmatus ſum, vt erudititiſſimus liber, omniumque elegantiſſimus a diſerto io primis oratore, politiſſimoque viro confectus eſſet. Poſſum etiam hoc vere de illo praedicare, me neminem eorum inueniſſe, cum quibus ipſum diligenter legi (legi autem cum multis, & ijs qnidem magno ingenio ac iudicio praeditis hominibus) qui non ipſum ſtatim amauerint ac magnopere admirati ſint. Addam bis vnius certam msgnamque auctoritatem, qui & ipſe eadem de re eodem pscto exiſtimauit, & cum in ſinu ſempet ac manibus opuſculum hoc haberet, de opifice ipſius numquam ſecum dubitauit. Is autem fuit Ioannes Caſa, cnins iudicium cum msximi momenti cunctis in rebus merito eſſe debeat, io boc certe ceteris omoibus anteponendum eſt: diligenter enim ille ſcriptorum eorum, quos accurate legerat, virtutes, vitiaque ponderarat; ac quicquid ad illos plane cognoſcendos pertineret, ſubtiliter examinarat: & ita denique, quod ego aliquando valde admiratus ſum, in hoc tritum, ſubactumque ingenium habebat, vt nihil ipſum fallere poſſet, quod ipſorum laudes augeret, aut aliquam in partem imminueret. Ecce autem (cum adhuc non omniuo certns de hoc eſſem; coepti tamen iam forent labores hi mei in eum formis excudi atque exarari) litterae a Gulielmo Sirleto, doctiſſimo atque optimo viro, mecnmqne ſumma beneuolentia coniuncto, qnibus mihi ſignificauit, ne dubitarem de nomine auctoris: comperiſſe enim ſe librum hunc vere fideliterque inſcriptum eſſe, ac ſine dubitatione vlla a Demetrio Phalereo, ſummo illo viro Athenis, Theophraſtique auditore ſcriptnm fuiſſe: hoc enim Thenphylactum narrare io epiſtola quadam ad Romaeum Theophylactum, quam etiam epiſtolam diligenter deſcriptam, ad me miſit. Verba autem ipſius, quse huc facinot, ſunt haec (tollendae enim dubitationis cauſa, & vt omois veritas de hac re pateret, ipſa hic putaui collocanda.) Εἰ δὲ τις τῆς ἀθεωρήτου σπουδάζεις καὶ τὸν δαιμόνιον Ἀριστοτέλην εὔχεις, τί τὴν γλῶτταν ἐπέχεις καὶ ἀποκρύπτεις τὰ πάτρια; οὐ γὰρ ἐκείνου τοῦ κορυφαίου ἐκ τῶν Θεόφραστος καὶ Δημήτριος; ὧν ὁ μὲν ἀπὸ τῆς ἐπιτέρου φράσεως ἔλαχεν· ὁ δὲ φαληρεὺς καὶ περὶ ἑρμηνείας λόγου συνταγμάτιον σπουδαῖον ἐξελήνεγκεν. accuſat autem hnminem, quod longo ſilentio ſecum vſus eſſet. Vocsre vero Theophylactum coryphaeum Ariſtotelem, quamuis ex ſuperioribus verbis certn non teneretur, obſcurum tamen eſſe non poſſet: quis enim neſcit, fuiſſe illum ducem & anctorem familiae peripateticorum? cuins familiae ſtatim poſt illum principes nominat, qui eloquentiae laude floruerant: ita autem eleganter, translato verbo a gregibus ſaltatorum, Graeci vocabant ducem alicuius coetus: praecipue autem philoſophiae ſectarnm; quemadmodum etiam M. Cicero narrat Philonem Academicum ſolitum appellare Zenonem quendam Epicureum, qui ſummnm locum in illa αἱρέσει tenebat, coryphaeum Epicureorum: nam quod idem Theophraſtum, ac Demetrium, cnm ſodales fuiſſe illos, & auditores Ariſtotelis ſignificare vellet, θιασώτας ipſius vocauit, ab eodem ſtudio id quoque verbum concinne traxit: thiaſi enim qui ſint, verſu etiam Virgiliano intellectnm eſt. vnde θιασῶται qui eundem thiaſum coetumque hominum colunt. Non debet autem vllo pacto contemni teſtimonium Theophylacti, nec parui ponderis eſſe exiſtimari: eſt enim ſatis verus, & non parum eruditus ſcriptor, idemque valde bonoratus vir, cum Bulgariae Epiſcopus fuerit: vixit autem aetate Nicnlai I. Pont. Max. quo etiam tempore extitit Photius ille Conſtantinopolitanus Patriarcha, qui confecit librum, bibliothecen ab ipſo appellatum, volumeo ipſum epiſtolarum, in quo illa continetnr, Romae in Vaticsna bibliotheca ſeruatur: nam in altero eiuſdem auctoris ſatis magno, quod eſt apud nos in Medicea, ipſa non legitur; vode foris boc torum petere oeceſſe fuit. Gauiſus igitur magnopere ſum probo boc probi viri, qualis in primis ille eſt, officio, magnamque ex ea re voluptatem cepi; nec minorem ſane, quàm fuit illa, qua Pamphilus Terentianus perfuſum ſe dicit, quum cognonit, virginem, quam amabat, ciuem eſſe Atticam: ſuot enim hae quoque mese deliciae, atque amores; illa certe verba, cum rem poſtea ſeruo narrauit, quem ſibi fidelem in primis putsbat: ſolumque ſua ſolide gauiſurum eſſe gaudia ſciebat, facile intelliguntur magno cum affectu pronuntiata eſſe. Glycerium mea ſuns parentes repperit. idem igitnr mihi tunc multis de cauſis vſu venit, vt non magno negotio quilibet iudicare poteſt, qui incerti animi de aliqua re, quam valde amarit, aliqnando fuerit, eximique ſibi ſcrupulum illum vehementer cupierit: quare magis adbuc eum diligere coepi, metu boc pulſo ex animo meo, magiſque poſtea ſemper neruos contendi, vt eum expolirem, ac quantum per me fieri poſſet, dignum tanto auctore efficerem. Scriptum autem ipſum a Demetrio puto Alexandriae in illo ſuo calamitoſo otio, quo ſane in loco ipſe

patria

patria pulſus ab inimicis, mutatis rebus, conuerſoque toto ſtatu reip. cum ſe eò tamquam in portum contuliſſet, omne illud tempus conſumpſit in veteribus ſuis ſtudijs renouandis, optimiique artibus monimentis litterarum prodendis: quod etiam in commentarijs meis ſuo loco tetigi, ac non leui argumento comprobaui. Quin autem a philoſopho, & illo quidem vno è familia Peripateticorum opus hoc confectum fuiſſet, dubitari ne antea quidem poterat: cum crebro vtatur teſtimonio Ariſtotelis, ac Theophraſti, libenterque ipſorum eruditionem, ac iudicium celebret: quod magiſtri dicendi, niſi neceſſario, non faciunt, cum turpe ipſis eſſe videatur egere auctoritate philoſophorum in ea arte confirmanda, quam ſolam ipſi tradunt; & in qua explicanda omnem vitam ſuam conſumpſerunt: quam etiam cauſam magna ex parte fuiſſe puto, quod, cum liber hic elegantiſſimus ſit, & optimorum praeceptorum pleniſſimus, ipſius mentionem rhetores non fecerunt; neque enim voluerunt videri ſine illo non poſſe artem ſuam tueri; quod ſi aliquando neceſſitas aliqua ipſos coegit, vt id facerent, ad doctorem ipſius Theophraſtum, ſuperioremque adhuc Ariſtotelem, & qui primus eius generis ſedulo oratores inſtruxit, ſeſe contulerunt: Phalerei verò ipſius, vt oratoris, & qui genus dicendi ornatum ac florens ſecutus eſſet, meminerunt, vt Cicero, quem adhuc magis miratus ſum hunc librum ſilentio praeterijſſe, cum auctorem dilexerit, eumque in omni vita ipſius ac facto ſuſpiciat: nec gloriae veterum Peripateticorum vmquam inuiderit: ſed etiam ingenium ipſorum voluntatemq; magnopere commendet, qui hanc etiam partem ſtudiorum coluerint, & cura diligentiaque ſua meliorem perfectioremque reddiderint: nam quod Hammonius Ariſtotelis interpres, in prooemio commentariorum in librum περὶ ἑρμηνείας, cum quaereret de indice eius Ariſtotelei operis, Demetrij ipſius mentionem fecerat, & huius quoque libri; qui eodem verbo, longe tamen aliter ſumpto, vt ille putat, eodem referri videtur, opus inquam hoc eruditiſſimum magis cognitum, tritumque, vt a philoſopho ſcriptum, fuiſſe philoſophis, quàm rhetoribus, & libentius eadem de cauſa ab illis celebratum. Simultates vero Ariſtotelis cum Iſocrate principe ipſorum; & è cuius diſciplina paenè illi cuncti fluxerunt, notae ſunt, & a Graecis Latiniſque auctoribus memoriae proditae; quas, cum illi, dum viuebant, exercuiſſent, vt decet tamen graues ac doctos viros: neque enim vlla contumelia verborum inter ſe vmquam vſi ſunt, ſed occulte tantum ſignificarunt, ſe magnopere inter ſe de ſtudijs ſuis ac litteris diſſentire, poſteris etiam reliquerunt. Neque tamen me fallit, cum dixerim, hos viros inter ſe contendentes, abſtinuiſſe maledictis, viſum eſſe aliquando Ariſtotelem in Iſocratem iniurioſum fuiſſe, ac voluiſſe dignitatem ipſius ſordibus inquinare, ſed viſum tamen talem aduerſarijs: intelligo autem, cum obiecit illi, quod cauſidicus quidam foret, ac multi orationum ipſius iudicialium manipuli (ita enim locutus eſt) circumferrentur a bibliopolis; quae ſane verba negari non poteſt, quin parum amico animo pronuntiata ſint, ob tranſlationis etiam illius humilitatem: nam Iſocratem in eo etiam genere aliquando orationes alijs ſcripſiſſe, etſi hoc fautores ipſius inficiabantur, exploratum eſt. ſed etiam Cephiſodorus Athenienſis, Iſocratis auditor, reſpondit accurate ijs omnibus, quae contra iudicium magni illius rhetoris Ariſtoteles ediderat, ac quattuor libris (tot enim ſcripſit) defendit & exiſtimationem & ſententias ſui doctoris, quem etiam mortuum valde amauit. In primis autem hic honoratus ac grauis ſcriptor recte id, moderateque geſſit; veſtigia tamen non nulla hoc quoque in libro apparent veterum illarum inimicitiarum, quae per manus ipſis a maioribus traditae fuerant: nam & ipſe acriter cum poteſt, aduerſatur Iſocrati, & praecepta ipſius irridet, vt cum miratur conſilium eorum, qui in arte dicendi tradenda dixerint, oportere res paruas magnas facere dicendo: ille enim Iſocrates fuit, qui hoc etiam in eo libro ſcripſit, quo ornauit ſummo ſtudio Athenas, ac Panegyricum ipſum, quia in magno conuentu ciuium Athenienſium recitari debebat, vocauit: etſi eo loco potius id poſuit, ornare orationem volens, & vim illius poteſtatemque incredibilem declarare, quàm id faciendum eſſe ab oratoribus oſtendere. Sed idem Iſocratem proſcidiſſe teſtatus quoque eſt Hermogenes, nec non Plutarchus in vita, quam ſcripſit nobilis eius ac clari doctoris: qui praeterea, quam occaſionem nactus ille hoc ediderit, diligenter narrauit; nec clam me tamen eſt videri Platonem de hoc aliter ſentire, qui in Phaedro tradiderit, & hoc, & alia huiuſcemodi multa Gorgiam, ac reliquos ſophiſtas ſolitos factitare, qui paenè eadem & ijſdem etiam verbis, quibus vſus eſt Iſocrates, appellat, vt non debuerit eo nomine ſeorſum Iſocratem exagitari, quod commune illi vitium eſſet cum magno numero hominum, qui ſibi ſcientiam eius artis arrogarent. Alijs etiam huiuſcemodi coniecturis idem c nfirmaretur, vt illa magni omnino ponderis ac momenti, quod non citat auctor huius libri teſtem vllum in magno numero veterum ſcriptorum, quorum iudicio ſententias ſuas confirmat, qui non aetate Demetrium Phalereum anteceſſerit; nec vllius praeterea opinionem re-

fellit, qui poſt illud tempus vixerit; valet igitur hoc quoque non parum ad idem conſtituendnm. Nam quod ſcholiou quoddam in Ariſtophanem citat hunc librum, vt Dionyſij Halicarnaſſei, nihil me hoc mouet: nec vim vllam (vt opinor) haber contra tot & tam firma, quae collegi vndique, argnmenta: aut enim peccatum memoriae hoc eſt eius, qui id aduotauit, cui culpae affines etiam ſunt aliquando clari graueſque ſcriptores, cum ipſius nomen, vt obſcuri leuiſque hominis ignotum ſit, aut fefellit ipſum veritas huius rei, vt vnum aliquem è recentioribus Graecis, qui pares veteribus illis doctrina & diligentia non fuere: multis vero modis ab Halicarnaſſeo id opus elaboratum non fuiſſe intelligi poteſt, vt iam aliqua ex parte ſignificaui: eſt autem locus, vbi Demetrius docet, duci etiam poſſe ſales ac venuſtates ex alieno verſu in orationem apte inſerto, quod lepidus ille comicus fecerat, qui accuſans Iouem, quod non nefarios ac periuros homines, vt oporteret, fulminibus appeteret, ſed aut ſua templa, aut deſerta ac ſola loca percuteret, Homericis verbis in ea re vſus fuerat: nam certum illud & exploratum teſtimonium Theophylacti non tantum omnem ſcrupulum euellit ex animis, ſiquis omnino reſtaret de vero parente huius praeclari operis, ſed praeterea gratum nobis eſſe debet, quia opus hoc ipſum laudat, & ſumma virtute refertum putat, quod ſane vere, & ſine vllo metu praedicare potuit: niſi enim ita ſenſiſſet, σπουδαῖον ipſum numquam appellaſſet; quod vero idem, imminuto eo nomine, non σύνταγμα, ſed συνταγμάτιον vocat, declarat hoc plenum integrumque hunc librum eſſe, nec corpus ipſius maioris multo magnitudinis vmquam fuiſſe; quod etiam aliter intelligi poterat: a vero enim principio huius rei tractandae auctor mihi ſemper viſus eſt exorſus fuiſſe, & ad verum iuſtumque ipſius finem operam ſuam perduxiſſe: nec tamen non hoc etiam ita ſe habere auctoritate veteris & grauis ſcriptoris cognitum eſſe, laetandum eſt: nam ſi longius opus fuiſſet, operaque magiſtri vlterius proceſſiſſet, non breui illo & extenuato nomine apte ipſum appellari potuiſſet. Recte igitur Sirletus fecit, qui omnibus his rebus, aut plane cognoſcendis, aut certe confirmandis praeſidio fuit: lumenque id nobis praetulit, quod ſubito caliginem omnem ex hoc loco diſturbaret: quare omnes, qui librum hunc amant, & ex ipſius elegantiſſimis vtiliſſimiſque praeceptis fructum aliquem ferunt, valde obligati illi eſſe debent, animumque Sirleti procliuem ad litteras, bonaſque omnes artes adiuuandas, toto pectore celebrare; quod enim indicio ipſius cognitum eſt, verum illum Demetrium Phalereum confeciſſe hunc librum, non contemnendum eſſe, declarat, quod veteres illi Graeci Ariſtotelis interpretes initio ſtatim ſuorum laborum, doctiſſimorumque commentariorum, ſedulo de hoc, vt de non nullis alijs rebus, quaerebant, ac plurimum ſtudij & diligentiae ponebant, vt probarent indices librorum falſos non eſſe, nec alienum nomen illis operibus aſcriptum: ſi namque id factum fuiſſet, multa inde & magna incommoda naſci potuiſſent; & vt ipſi multis locis neceſſariò laboraſſent, qui non reſpondiſſent iudicio ac ſententijs veri illius auctoris, ita etiam aliquando perturbaſſent lectorem, & aliquid tenebrarum intelligentiae ipſius offudiſſent: nunc autem, poſtquam hoc animaduerſum ac perſpectum eſt, vt non loquar de ſtudio ipſorum, quod profecto alacrius & exploratius fit; nec vmquam tamquam in ſalebris quibuſdam haeret, ſed qui legunt ab omni metu vacui; nec vllam in partem diffiſi, quin praecepta manarint ab optimo illo auctore, cuius ipſi auctoritatem ſecuti, ſe ad eam diſciplinam contulerunt, auidius ipſa combibunt, & maiore cura in animo ſuo condunt: ducis enim omnis & auctoris in omni re quantum opinio, & auctoritas valeat, cognitum eſt: hic vero talis eſt multis modis, vt de fide auctoritateque ipſius dubitari nullo pacto poſſit, doctrinaque haec omnis, eiecto ſcrupulo illo, certa fideliſque in primis haberi debet: nam & magiſtros optimos eius artis habuit: ante ipſum enim de eodem ſtudio dicendi & Ariſtoteles & Theophraſtus ſubtiliter copioſeque ſcripſerant: & ijs quoque temporibus vixit, quibus maxime viguerunt ſtudia eloquentiae, & in ea rep. floruit, in qua & nata, & alta, & ad ſummum perducta eloquentia eſt: adoleſcens enim Demoſthenem & Aeſchinem inter ſe concertantes audiuit, reliquoſque eius aetatis eloquentiſſimos viros, ideſt Hyperidem, Lycurgum, Phocionem, Demadem, alioſque, & aequales etiam non nullos in eo ſtudio claros habuit, & nullo modo contemnendos oratores, vt Dinarchum; nam Dinarchum non maiorem natu iudico fuiſſe, quàm Phalereum, vt Cicero videtur putaſſe; qui facit illum in Bruto aequalem Demoſthenis; quippe cum memoriae proditum ſit, eum in diſciplinam ſe tradidiſſe Theophraſto, & poſtea Demetrio Phalereo, coepit ſane Dinarchus orationes alijs ſcribere, viuente adhuc Demoſthene: poſt obitum tamen Alexandri Macedonis maxime floruit, cum Demoſthenes iam, ceteriq; magni oratores, aut exilio, aut morte multati eſſent; nulluſq; magnopere reſtaret, qui in aliquo honore foret. Phalereus vero acceſſit ad remp. eo tempore, quo Harpalus Alexandri praefectus, fugiens eius regis iram ſe contulit Athenas, contra quẽ, ne reciperetur, fertur Demoſthenes iam ſenex multa dixiſſe; ſed illo

etiam

etiam tempore, quo reip. gubernaculum ereptum eſt è manibus Phalerei opibus Antigoni & Demetrij regum, coactuſque ille eſt exire ex vrbe, fugit etiam Athenis Dinarchus eiuſdem enim criminis, cuius multi potentiſſimi ciues Athenienſes, reus erat: inſimulabaturque & ipſe vnà cum illis multitudinis ſtatum diſſoluiſſe. Sed ad ſuperiorem diſputationem redeamus. Quod etiam in omni arte, ſcientiaque tradenda plurimum prodeſt, non rationem tantum, praeceptaque ipſius Demetrius acceperat, verum etiam vſum addiderat, & eum quidem magnum; quippe cùm, qui de illo accurate ſcripſerint, πολιτικώτατον de cauſa ipſum vocent: arbitror autem Phalereum eo nomine ornatum fuiſſe, quia non tantum in rebus gerendis, rep.q; adminiſtranda, ſed etiam cauſis agendis, & ſententijs publice dicendis, multum verſatus ſit; vt ita quoque magnus factus, artibuſque philoſophorum imbutus, & ipſe etiam philoſophus, complecti oratione potuerit, praecipereq; alijs, quae audiſſet, & quae praeterea ipſe vidiſſet, ac ſaepe periculo facto, vera eſſe cognouiſſet. Cum enim non defuerit olim eruditiſſimus vir, philoſophorumque dignitatis ſtudioſus, qui affirmare ſit ſolitus, admirabilem illam eloquentiam, quam Demoſthenes conſecutus eſt, non parua ex parte ipſum adeptum eſſe, quia libros Ariſtotelis de arte dicendi accurate legiſſet; praeceptaque illa acuta, reconditaque imbibiſſet, quid de hoc noſtro polito doctore exiſtimare licet, qui non ſolum Ariſtotelis libros illos, vt apparet, diligenter euoluerat, verum etiam Theophraſti, qui de ijſdem rebus vberius planiuſque ſcripſerat; nec tamen me fallit contra philoſophum illum, qui tantum Ariſtoteli tribuerat in alieno ſtudio, Dionyſium Halicarnaſſeum ſe armaſſe, ac ſedulo iudicium ipſius opinionemque refellere conatum eſſe; qui libellum etiam edidit, quo demonſtrare voluit id quod ille de ea re ſenſerat, nec verum eſſe, nec probari vllo modo poſſe: cum tamen fortaſſe argumenta, quibus vtitur, non omninò firma ſint, non nullaque ipſorum (vt opinor) non magno negotio temptari, labefactarique poſſint: vereor autem magnopere, ne ille contra, cupiditate defendendi ſuos rhetoras abreptus ſit; qui nudi prorſus, ſpoliatique omni honore reſtarent, ſi id, quod ipſi profitentur, ac ſolos ſe praeſtare poſſe arbitrantur, melius a philoſopho acciperetur: aptum enim hoc quoque eſt, penderque a vetere illa diſſenſione, controuerſiaque inter ſapientiae ſtudioſos, & dicendi magiſtros, de qua ſupra locutus ſum: illa enim ab Ariſtotele orta, qui toto animo Iſocrati aduerſatus eſt, a poſteris etiam ijs omnibus, qui ab vtriſque fluxerant, retenta eſt, acerrimeque pugnata. Sed accuratius fortaſſe aliquando de tota illa re diſputabo, doceboque (vt ſpero) non omninò dignum eſſe, cui penitus in ea re credatur, Halicarnaſſeum, nec indignum vllo pacto Ariſtotelem eſſe, vnde in illo etiam ipſo ſtudio, cui totum ſe dediderat, Demoſthenes expoliretur: quis enim eſt, qui non fateatur multa in eo philoſophum illum vidiſſe, quae nemini vnquam magiſtro dicendi in mentem venerant, ad intimaſque ipſius partes ac penetralia denique ipſum penetraſſe, cum vix veſtibulum ipſius limenq; rhetores attigiſſent, qui tamen non alieno parumq; apto illi arti ornatu, vt non nulli rhetores ſophiſtaeq; antea fecerant, eam decorauit, ſed ſuum ipſi propriumque aſſignauit, quem illi imperiti homines eius eſſe neſciebant. Rectius fecit magiſque ingenue Cicero, qui cum Demoſthenis dignitatem augere vellet, Platonis fuiſſe illum mirificum amatorem ſignificauit, creditumque non tantum lectitauiſſe ipſum ſtudioſe, verum etiam audiuiſſe; ſed ſigno etiam quodam idem probat, addirque dicere hoc etiam ipſum de ſe ſe in quadam epiſtola, quod etiam de alio & ipſo ſummo apud Athenienſes oratore, memoriae prodidit, ideſt Pericle, quem ab Anaxagora phyſico inſtructum fuiſſe, & omni polito viro digna arte imbutum tradidit: ne autem inane putetur eſſe, quod in epiſtola quadam Demoſthenis ſcriptum ab eo eſſe dixit, ſe frequentem fuiſſe Platonis auditorem, cum epiſtola illa interierit, idem etiam in Graecorum commentarijs legi, & Graecorum eorum, qui germani ſunt ipſius diſcipuli: illi namque exiſtimarunt, valere etiam aliquid ad Platonis variam elegantemque doctrinam demonſtrandam, quod inde ſummus perfectuſque orator prodijſſet. Alcinous igitur narrauit in libro de Platonis decretis, Demoſthenem in epiſtola, quam ſcripſit ad Heracleodorum quendam, accuſaſſe vehementer hominem, obieciſſeque hoc illi vt probrum, quod cum in diſciplinam ſe Platoni tradidiſſet, illam poſtea deſeruit. Sed verba ipſa Demoſthenis hic ponamus, quae acerba ſunt, & cum ſtomacho magno prolata fuiſſe intelliguntur. Οἷς εὐχῶν παιδείας καταπεφρονηκὼς καὶ λόγων, ἐν Πλάτωνος ἀκροατὴς; addidit autem ſtatim Alcinous hoc ferre non potuiſſe Demoſthenem, quia fuerat & ipſe Platonis auditor. Quin etiam idem adiungit, Philiſcum oratorem & ipſum aperte dixiſſe in vita, quam ſcripſit Lycurgi oratoris, magnum Lycurgum oratorem eodem pacto euaſiſſe, effeciſſeque multa, quae nullo modo efficere, ac praeſtare poſſet, qui Platonem non audiſſet; nec ex eius vberrimis copioſiſſimiſque ſermonibus aliquid vnquam decerpſiſſet: ille vero ſe totum in ipſius fontibus proluerat. Neque tamen (vt opinor) magnopere adiutum ab Anaxagora Periclem,

aut a Platone Demoſthenem, Cicero exiſtimauit, quia dicendi artem ab ipſis illis ſummis viris accepiſſent, ſed quia imbuti rationibus illorum, ſcientiaque magnarum, accuratarumque rerum ornati, in eo etiam ſtudio facti eſſent grandiores & excelſiores: cum contra Demetrius & illud ipſum ſublime & elatum a ſuis doctoribus Ariſtotele & Theophraſto, & praeterea praecepta dicendi, quae diligenter expoſuerunt, hauſerit: nunc autem ad ea, quae huius temporis ſunt; quaeque in manibus habemus, reuertamur. Vtinam, vt quaeſtionem hanc, caputque de omni genere orationis, Demetrius cum laude tractauit, perfecitque, quod voluit, ita ipſi veniſſet in mentem omnem artem dicendi explicare, profecto multam opem ſtudioſis ipſius attuliſſet, & aliquem ornatum ingenio ſuo huic arti adportaſſet: ſed id fortaſſe fecit, iniuriaque praeteritorum ſeculorum id omne amiſſum eſt, & non paruo cum damno ſublatum: coniecturam enim facio de particula hac, quae ſine dubio eleganter exquiſiteque tractata eſt: cum enim quodam modo propoſitum idem argumentumque habeat, quod Ariſtoteles in priore parte tertij de arte dicendi libri, materiam illam omnem diligenter perſequitur, multiſque modis ornat, & pulchriorem florentioremque reddit: nam cum eoſdem etiam ſaepe, quos Ariſtoteles, locos tractet, tamquam declarare illos & explanare conatur, ſemperque de ſuo aliquid addit, quod lectorem acuat, ſummumque amatorem illorum adiuuet; quantum etiam ipſi merito tribuat, inde intelligi licet: potius enim ſententias ipſius confirmat & auget, quàm ſtudeat vmquam aliquid conuellere, ac non omnino firmum eſſe, exploratumque probare. Cum autem vim omnem & rationem huius artis intimam, incognitam antea non oratoribus ſolum, verum etiam ijs, qui ipſam vulgo tradebant, diligenter Ariſtoteles explicaſſet, non potuit poſtea ſtudij aliquid in diuerſis orationis generibus declarandis, ſemina tantum earum formarum non parua in illis ſuis libris ſparſit, quae monſtrare poſſent, quod dicendi genus amplum elatumque foret, contraque quod tenue & exile; quemadmodum etiam, quae verba ex oratione graui eijci, exturbarique deberent, vt etiam, quae ſedulo eodem comportari; vt illi valde apta & accommodata, ab omnique demum vitio ac labe remota. Cum vero variae naturae hominum, qui in rep. verſarentur, valdeque inter ſe diſtantes, varia diuerſaque effeciſſent genera dicendi; videretque Demetrius a multis quaeri ſolere, in quam potiſſimum formam hic, aut ille includi deberet, id addere voluit huic ſtudio, quod mirifice ipſum ornaret; efficeretque praeterea, vt facilius aliquis imitari poſſet, quos vellet: & in illam formam ſe induere, quam maxime laudari videret; ſiue cuius reddendae deſiderio magno teneretur: poſuit enim diligenter ante oculos, qua ratione ac via ſingulae illae formae obtinerentur; vt etiam ſe oportere docere exiſtimauit, quomodo aliquis, qui non ſatis prudens eſſet, a fine, quem ſibi propoſuiſſet, depelleretur, & paulatim abductus a vero, ſimilitudine quadam falſa virtutis, quam perperam ſequeretur, longe alius tandem euaderet, valdeque diſſimilis foret ei, quem primo ſe futurum ſperarat. Non tam accurate autem Ariſtoteles hoc tractauit, nec tantopere a proprio ſtudio ſuo vitaque diſceſſit: hoc enim in primis operam eius requirebat, qui in iudicijs diu verſatus eſſet, & a primis vitae temporibus forum preſſiſſet: quare id Demetrius aggreſſus eſt, in quo vtrumque ſtudium coniunctum erat; quique non minorem curam, aetatiſque partem in ſole puluereque, quam in palaeſtra vmbraculiſque philoſophorum conſumpſerat. Tantum vero ſtudij ac diligentiae collocare ſolitos ea tempeſtate philoſophos in arte dicendi ornanda mirari non debemus, cum tantos fructus tunc ferret, & in tam praeclara re gerenda vires omnes ſuas exerceret: qui enim cogitabunt, quam reip. formam amauerint Graecorum ciuitates, & quae ratio fuerit illas adminiſtrandi ac regendi, tantos honores eloquentiae habitos olim eſſe, deſinent admirari: cur enim neruos ſuos omnes philoſophi non contenderent, cum ſemper prodeſſe velint, & optimos conatus hominum adiuuare, in inſtrumento illo expoliendo, quod ad tam pulchrum honeſtumque opus adhiberetur? aut cur tam accurate de optimo ſtatu reip. diſputarent, ac multa magnaque volumina conficerent de vera ratione gubernandi ciuitates, vt ipſas poſtea tractari ſinerent, vel verſari potius, ab improbis hominibus; qui impudentia freti, linguaeque volubilitate incitati in omni contentione ſuperarent graues & honeſtos viros, qui dicendi imperiti forent; nec poſſent, quae vera eſſe ſentirent, reiq; p. fructuoſa exiſtimarent, oratione defendere ac comprobare? Acceſſit huic rei, quod artem eam tunc profitebantur, ſeque ſolos tenere iactabant; vt diſciplinam etiam regendarum ciuitatum, ſophiſtae, genus hominum merito philoſophis inuiſum, & quod falſis promiſſis deciperet & infatuaret adoleſcentes diſcendi cupidos. Ijs igitur reſiſtendum fuit, & non ſolum cotidianis diſputationibus improbitas, inſcitiaq; illorum fuit exagitanda, verum etiam hoc genere ſcriptorum veritate patefacienda, omni honore auctoritateque ſpolianda. Eo magis autem hic noſter, qui & ipſe merito inter philoſophos numeratur, ornare illam artem debuit:

buit: quia numquam ab eo ſtudio alienus fuit, vel potius inde magnos fructus & dignitatem tulit. Cum vero idem fere argumentum, quod Cicero haberet, cum ad M. Brutum, rogatus ab illo, ſcripſit de optima ſpecie, & quaſi figura dicendi, non tamen initio ſtatim, vt ille, ſe magnam rem & arduam aggredi teſtatur; neque de difficultate illius operis verbum facit, ſed ſine ſui conſilij confirmatione; excuſationeque nulla vtens, ilico, idoneo principio ſumpto, quod docere volebat, incipit explicare: non inſulſe autem (vt arbitror) putaret aliquis ideo tanta diligentia ſibi M. Tullium viam muniſſe, tantumque laboraſſe, vt ſe extra culpam crimenq; arrogantiae poneret, quia non ſolum de diuerſis illis formis dicendi; magnopereque inter ſe diſſentientibus, diſſerere debebat, verum etiam quae omnium optima ex illis eſſet, iudicare: id enim in primis (vt ipſe quoque narrat) arduum ac difficile eſt, cum varia ſint hominum iudicia, ac ſingulis; quod ipſis magnopere probatur, optimum eſſe ac ceteris omnibus anteponendum, videatur; hanc certe curam non ſuſcepit Phalereus, vt expoſitis iam omnibus formis, & tamquam notis, quas putabat eſſe, dicendi, vitijſque ipſarum & quaſi adulterinis ſimulatiſque figuris indicatis, vt fugi facilius poſtremae hae poſſent atque declinari, quae optima ipſarum eſſet, maioreque ſtudio perſequenda foret, doceret: aut enim hoc in arbitrio & poteſtate eorum, qui legerent, reliquit; aut eos omnes, qui ſingulas formas probe egregieque tractaſſent, laude dignos exiſtimauit, quod vt oratores inuenirentur, qui natura ad certam quandam formam colendam impellerentur, nec facile aliò traduci poſſent, ita etiam, qui audirent, tales ſaepe ingenio moribuſque eſſent, vt vix vmquam probare poſſent, quod ab eorum ſenſibus iudicijſque diſcreparet. quare non debere indagari id optimum, quod tam incertum foret, nec ſtabilem vllam ſedem, firmamque haberet. Poſſet etiam aliquis non ſine cauſa putare, hoc non feciſſe Phalereum, nec vllo pacto neceſſarium exiſtimaſſe, quia ſingulae cauſae, ſi quis ipſas recte, & ordine tractare velit, ſuum quendam ac proprium ſtilum formamque dicendi ſibi aptam requirant: quare id, quod certis temporibus verum eſt ac laude dignum, non ſemper, nec in alio genere cauſarum probatur: vnde M. Cicero abſolutum illum perfectumque oratorem iudicauit, qui verſare naturam ſuam poſſet, & ſingulis generibus cauſarum aptum dicendi genus accommodare. Non quaeſiuit igitur ſtudioſe Demetrius; quaecumque id cauſa ipſum mouerit, quae forma, notaque dicendi primum bonitatis gradum obtineret, ſed ſingulas tantum diligentes expreſſit, & quibus partibus ornari deberent, vt ſummam virtutem in ſe continerent, ab omnique vitio vacuae forent, declarauit. Cum vero ambitus ille verborum, comprehenſioque, quae περίοδος Graece appellatur, magnum lumen ornatusque orationis ſit, ac ſi loco temporeque adhibeatur, magnopere etiam adiuuet finem orationis: in primis autem ſeiungat oratoris dictionem à vulgari cotidianoque ſermone, primum extare illum docet, variaque genera ipſius inueniri tradit; cum aliter in orbem quendam includat ſententiam, qui ſcribit hiſtoriam; aliter, qui ſermonem fingit, vocatum à Graecis διάλογον; aliter etiam & maiore quodam conatu, oratorem: illud enim ſtudium in primis requirit rotundam & contortam orationem. Sed, quia plures reperiebantur, qui neſcirent, proſam etiam ſolutamque orationem partibus quibuſdam & quaſi membris vinctam eſſe, poſſeque illam quoque, quod aperte fieri videmus in omni genere poëmatis (illic enim partes ipſae, verſuſque diſtinguuntur) diuidi ac ſecari, ab hac potiſſimum re initium huius diſputationis duxit; docuitque idem quod illic, in ſoluta quoque oratione & ea praeſertim, quae facta eſſet, euenire; nec ideo illam ſolutam appellatam eſſe, quia prorſus omni nexu vinculoque careret, ſed quia non haberet certas & ſuo ſemper loco poſitas menſuras illas; qua omni re moſtrata, naturalemque ortum atque aptum ijs, qui ea vtuntur, habere, probata, quomodo partes illae vocentur, oſtendit; quotque genera ipſarum ſint, vt etiam, qui ſit earum ornatus, nec non quo pacto iungi ipſae debeant, vt gignant circuitum illum, declarat: ijſque demum omnibus traditis, quae periodi naturam patefacere videbantur, ad formas illas tradendas, numerumque illarum comprobandum, quas χαρακτῆρας ipſe vocat, vt ceteri omnes, qui de arte dicendi quicquam ſcripſerant, aggreditur; qui ſane finis ipſius erat, & quam totam rem diligenter explicandam ſibi propoſuerat, quod inde etiam intelligi licet, quia illis explicatis conſtitit, nec vltra progreſſus eſt. Cum vero Demetrius de formis his, notiſque accurate praeceperit, qui magnus orator extitit; veriſimileque ſit, eum genus id dicendi ſecutum fuiſſe, quod in primis ipſi probaretur: neque enim ignoratione inſcitiaque harum rerum peccare potuit, cum omnia cognita haberet, ac quid boni malique in ſingulis notis poſitum foret, egregie teneret: non poſſum omnino indicare, quam potiſſimum formam ille ſecutus ſit, quodque dicendi genus ſibi aptum iudicarit, cum orationes ipſius perierint; nec quicquam Demetrij habeamus, quod ſignificare hoc vllo pacto valeat: nam hoc in libro nihil tangit, quod aperte id dilucideque demonſtret:

monſtret: neque enim ſe magis hanc, quàm illam formam orationis probare vnquam oſtendit; neque cuius ipſe, dum in foro cauſiſque iudicialibus verſatus eſt, magnopere ſtudioſus fuerit, vnquam ſignificauit. Cicero tamen, dum oratorem illum ſuum perfectum fingit, hoc docuit, &, ne ignotum id nobis penitus eſſet, effecit: in media enim illa ſua forma, modica ac temperata, Demetrium collocauit, nec tantum dignum eum eſſe, qui in illam reciperetur, iudicauit, ſed etiam ceteris omnibus, qui aliquando in ea floruiſſent anteponendum exiſtimauit; quod cum de ipſo protuliſſet, ſui iudicij rationem ita reddidit: atque his verbis ſententiam ſuam conſtituit. Cuius oratio cum ſedate placideque loquitur; tum illuſtrant eam, quaſi ſtellae quaedam, tralata verba atque immutata. Vt autem, ſi poſſumus vllo pacto, traducamus illum ad vnam aliquam earum formarum orationis, quas ipſe celebrauit, & quas vere diſtinguere poſſe omne genus orationis credidit, ſecuti iudicium Ciceronis, planum eſt, nullo modo includi poſſe Demetrium in eam notam, quam δεινότητα vocauit: neque enim in ipſa quicquam adhibetur ſedatum ac placidum; contra; omnia concitata atque turbulenta; eodemque pacto non magno negotio intelligitur, ipſum notam dicendi magnificam, excelſamque non coluiſſe: in oratoribus enim illis Cicero ipſum enumeraſſet, quos amplos, copioſos, graues, appellat: non omnino praeterea ipſum tenuem demiſſumq; eſſe Ciceronem putaſſe perſpicitur: remouit enim aperte illum à forma orationis humili atque ſubtili, & in altiore aliquantum, ornatioreque collocauit. Vt opinor igitur, mixtus quidam ille fuit è forma ſummiſſa atque venuſta; eademque florente ac modice ornata: nam plurimum etiam ſtudij diligentiaeque Demetrium hic in ea nota exprimenda adhibuiſſe notum eſt; delectatumque ea ipſum fuiſſe ſignis non malis intelligitur: neque enim potuiſſet tam appoſite ſedes atque elementa lepôrum illorum & elegantiarum tradere, ſi animo ab ipſis ac voluntate abhorruiſſet. Idem etiam alio loco planius apertiuſque Cicero teſtatur: cum enim in Bruto, quid ſui iudicij eſſet de Demoſthene, quem perfectum oratorem, & omni virtute cumulatum ſemper putauit, oſtendiſſet; & vt de illo, ita etiam de aequalibus ipſius Hyperide, Lycurgo, aliiſque non nullis, in ipſis naturalem lepôrem, non fucatum fuiſſe, affirmauit; ſtatimque, cum illis ſenibus adoleſcentem ſucceſſiſſe Phalereum dixiſſet, de ipſo etiam quid ſentiret, indicauit, &, vt intelligere licet, nitorem ſane in eo plurimum fuiſſe; ſed illum cura factum, nimiſque exquiſitum exiſtimauit, ad extremumque, quod perſpicue hoc doceret, de illo inquit. Hic primus inflexit orationem, & eam teneram molſemque reddidit; & ſuauis, ſicut fuit, videri maluit, quàm grauis: ſed ea ſuauitate, qua perfunderet animos, non qua perfringeret, & tantum vt memoriam concinnitatis ſuae, non quemadmodum de Pericle ſcripſit Eupolis, cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum à quibus eſſet auditus. Videndum igitur accurate, an poſterius hoc ipſius de Phalereo iudicium diſſentiat aliquantulum à priore: melius enim mihi videtur in oratore de ipſo exiſtimare, cum reliquis illic eum anteponat, qui in ea forma, quae valde frequentata eſt, laudemque ſaepe inuenit, nomen aliquod dignitatemque conſecuti ſunt: in Bruto vero ipſum videatur notare, tamquam orationem eneruarit, & dum nimis ſuauem ipſam, politamque efficere ſtudet, eam languidiorem reddiderit. Sed hac quaeſtione relicta, de qua nihil certi & explorati praeter ſuperiora Ciceronis teſtimonia adferri poteſt: nam inutilem prorſus illam fuiſſe non arbitror; quia ſi Demetrio nos addicimus, opinionemque eius, quam habuit de hac re, ſequimur, eam formam orationis eum putaſſe optimam, exiſtimare debemus, quam exprimere conatus eſt, & ad quam totum ſe finxit atque informauit, hac inquam, quaeſtione omiſſa, ea quae reſtant, ſiqua illa ſunt, explicemus. De vtilitate huius operis, & quantos fructus ferre poſſit illis, qui diligenter ipſum legerint, nihil attinet diſputare: etſi enim alia quoque ſunt munera oratoris, & non ſolum oratione vti, arſque ipſa dicendi conſtat pluribus partibus, qui tamen praeclare hoc facere potuerit; didiceritque apte & copioſe eloqui, non male ad ea inſtructus erit: excellet enim profecto ipſa inter ceteras, vnde etiam ſola nomen oratori dedit: vt autem in reliquis, quas ſibi vendicat orator, iuris aliquid ſe habere putant aliae non nullae artes ac ſcientiae, ita eloquentiam propriam eſſe oratoris fatentur, atque ipſam illi ſine vlla controuerſia relinquunt: hanc igitur, quae tantam vim habet, in primis ipſum tenere & validam vndique, omnique ratione auctam exornatamque poſſidere oportet. Quantum vero lepôrem venuſtatemque auctor admiſceat ſubtilium harum rerum ac ſaepe minutarum expoſitioni, non facile aliquis narraret: nam & exemplis illuſtribus cuncta illuminat, & locos plures optimorum poëtarum declarat, & voces non paucas acutorum hominum commemorat; quae omnes res ſplendore, & varietate ſua plurimam ſuauitatem gignunt; atque omne faſtidium, quod aliter inde naſceretur, expellunt, &, ne exoriri illic poſſit, efficiunt. Cum autem contingat aliquando aliquid conſtituere, ac

fidem

fidem, auctoritatemqne cuipiam ſententiae comparare, vtitur plerunque ratione illa, quae & maguam lucem rebus incertis dubijsque adfert, & eodem tempore in memoriam redigit, quod notitia ſui vehementer oblectet, & quaſi noua quadam voluptate perfundat, ideſt ſimile aliquid arripit; ac quod illic fit planum omnibus atque exploratum, idem etiam vſu venire in eo, quod non tam perſpicuum erat, docet; quod facit etiam ſaepe Ariſtoteles in libris illis, quibus vitam & mores hominum excolit, ac de rebus bonis ac malis diſputat. Eſt igitur lectio huius libri & ſua ſponte iucunda; & propter condimenta etiam, quibus ipſius epulae commendantur, libentius voranda: ipſe quoque quacunque ratione valui; & quantum tenuis ingenij mei vires eniti potuerunt, ipſum exornare, & iucundiorem vndique reddere conatus ſum: quid autem effecerim, eruditi viri, & qui exiſtimare de his rebus poſſunt, iudicabunt. Sed cnm omnia, quae dicere in animo habebam, explicarim; ad ipſum auctorem tranſeamus, & quae faciunt ad hanc partem eloqnentiae expoliendam, ex ipſius ſuauiſſimis vberrimisque fontibus hauriamus, quos ego, cum propemodum aperuerim, ac turbidos, multisque faediſſimis rebus inquinatos olim purgauerim, nunc rurſus ſtudio magno in hac re poſito, infinitisque laboribus ea de cauſa ſusceptis, liquidos ipſos purosque vndique reddere elaboraui; quod, praeter quam quod toto animo prodeſſe cupio ſtudioſis litterarum; nec vllum vmquam laborem recuſaui, vt eorum vtilitatibus ſeruirem, libentius adhuc feci, vt fidem meam ſeruarem, ac quod aliqnando pollicitus eſſem, perficerem. Cuſtodiui autem hic quoque, non tam iudicium meum ſequutus, quàm voluntatem aliorum, quod in altero illo labore meo in librum primum Ariſtotelis περὶ πολιτικῆς ſeruaui, vt ſententias cunctas auctoris Latine exprimerem, quo facilius illae, ab ijs etiam, qui Graecam linguam non didicere, percipi ac cognoſci poſſent: qua etiam in re eadem ſimplicitate animi, quam illic adhibui, vſus ſum; nec tam elegantiam collocationemque verborum aptam, quàm veritatem, fidelitatemque ſententiarum ſpectaui. Sed cum eo loco accuratius de boc diſputarim, nihil nunc addere decreui, quod faciat ad hanc partem vigiliarum mearum, quae valde tenuis puſillaque eſt, conſtituendam: tantum rogabo doctos & diſertos viros, vt aequi bonique hoc faciant, & ne patiantur, vt vnde ipſe nullam vmquam laudem quaeſtui, inde aliquid maculae, iniuſtaeque reprebenſionis traham: nam ij, quorum inſcitiae eius ſermonis mederi volui, debebunt mihi opitulari, & qnod ſua illorum gratia non ſine periculo aliquo commiſi, videre, ne exiſtimationi meae aliquando obſit; ſed cum hoc etiam, quod vehementer me pungit, non omnino indefenſum reliquerim, deſinam; atque omnia in lectoris probitate, aequitateque animi, relinquam.

PETRVS VICTORIVS

Paulo Iordano Vrſino: S.

MITTO ad te, vir maxime illuſtris, tuorumque omnium amantiſſime, orationem à me nnper habitam in funere Ioannis Medicis Cardinalis; & mitto non ſolum, qnia ſtatim me rogaſti, vt tibi copiam illins facerem, verum etiam, quia tibi in primis illa debetur, & propter affinitatem, & propter mutuam ac ſingularem beneuolentiam, qua inter vos coniuncti fuiſtis. Quis enim maiore cum volnptate laudes eius audiet celebrari, quam ille, qui eas omnes in animo ſuo conditas habebat, & viuum adhnc anctorem illarum ob egregias animi dotes colebat? Quod ſi tantum in ſe boni illa haberet, vt valeret aliquid ad eum ornandum, cui miſſa foret, profecto tibi ipſi illa hoc etiam nomine maxime conueniret, qui funus hoc ipſum magnificentia tua mirum in modum decoraſti, & omni re, qua potuiſti: potes autem plnrimis, celebraſti. Si vero coniugis tuae, praeſtantiſſimae feminae, qnae dolore afflicta domi iacet, illa in manus venerit, & tantam aegritudinem leuare potuerit; vel ſaltem aliquam partem lacrimarum eius abſtergere, magis adhnc laetabor, & ſapienter me conſilium hoc cepiſſe arbitrabor. Quod enim officium tám hnmanum, & vnde maior fructus exoriatur, eſſe poteſt, quam ferre anxilium optimae, ac nobiliſſimae feminae, cui pietas, ac ſingularis amor in ſuos fraudi ſit, ipſamque prorſus conficiat, &

paenè

paenè ad interitum perducat? Aliquid igitur horum efficere volui; atque vtinam, quod cogitaui, praeſtare potuerim. Tu vale, & illam miſeram, omni nunc alio ſolacio deſtitutam, conſolare. Florent. V. Kal. Decemb. CIↃ IↃ LXII.

PETRI VICTORII EPISTOLARVM

Liber Quintus.

PETRVS VICTORIVS Bartholomaeo Marantae. S.

EPISTOLA tua, humanitatis & eruditionis plena, quam ad me per Theopinum Germanum miſiſti, valde grata, & accepta mihi fuit; delectatuſque magnopere ſum eximio iſto tuo amore erga me, nec ſane res vlla eſt, qua tantopere capiar, quam quum video me diligi & carum haberi a probis, & eruditis viris, quorum vt gratiam mihi conciliarem, nullum vmquam laborem recuſaui, ſuſcepique curas & moleſtias infinitas: gratias igitur tibi mirificas ago pro animo iſto tuo erga me; cupioque mihi facultatem dari compenſandi aliqua ratione egregiam iſtam tuam voluntatem, quam ſi nactus ero, docebo, non fruſtra te me amare coepiſſe: nulla enim re me aegrius vinci patior, quam humanitate & dignis honeſto viro officijs. Quod tam bene ſentis de ſcriptis meis in librum, quem habemus Ariſtotelis de arte poëtarum, eſt, quod valde gaudeam: video enim te poſſe exiſtimare de his rebus, & libere etiam, quae ſentis, vt decet probum & ſtudioſum virum, pronuntiare: eſt igitur teſtimonium iſtud tuum magni apud me ponderis, erit etiam (vt ſpero) apud alios, qui ſi, te auctore, putabunt, me non fruſtra in magnum illud & arduum opus incubuiſſe, ſed aliqua ex parte meis vigilijs intelligentiam eius libri adiuuiſſe, finem meum me adeptum exiſtimabo; alacriorque multo ad alia huiuſcemodi fiam. Loci, de quibus ſubtiliter diſſeris, obſcuri ſane ac difficiles, a me rurſus lecti, ac diligenter in vtramque partem ponderati ſunt; nec tamen mutaui ſententiam; quae vero illa fuerit, cum fatearis, mentem meam non omnino tibi perceptam eſſe, ſtatuereque te non poſſe, an iudicium tuum a meo aliquanto diſcrepet, declarabo, ac quantum in epiſtola fieri poteſt, accurate explicabo. Cum imitationem genus eſſe omnis poëſeos traderet Ariſtoteles, complexus eſt artes non nullas, quae (niſi fallor) poëſis non ſunt, quamuis imitentur: ideo autem id fecit, quia vtuntur ad imitandum duabus rebus, quibus vtitur etiam aliquando poëſis, ideſt harmonia & rhythmo: nam paulo poſt, cum oſtendere vellet, mirari neminem oportere, quod dixerat, diuerſa eſſe quaſi inſtrumenta imitandi, vſus eſt ſimili aliarum non nullarum artium, aut ſi non omnino perfectarum artium, quae tamen vmbram illarum aliquam retinerent, ac prope ad ipſas accederent: non enumerauit autem illas in ſuperioribus, quia nullum eſt ipſis commune inſtrumentum in eadem re efficienda cum partibus vllis poëſeos: illae vero ſunt pictura, quae ſtatuas fabricat,

fabricat, aut fingit aliquid è luto aut cera, nec non quae imitatur quippiam voce, vt faciunt non pauci, qui exprimunt cantus quarundam auium, & alios etiam ſonos: neque enim hi quoque eodem inſtrumento vtuntur, quo vtitur poëſis: aliud enim orationem eſſe, aliud vocem, perſpicuum eſt, cum vox ſit communis homini cum beluis: oratio vero nullo pacto. Non arbitror igitur, cithariſticam vocari debere poëſin, etſi contingit aliquando, vt ad citharam aliquid canatur: neque enim hoc in natura eius manet; cithariſtaeque etiam illi ſunt, qui ſine vllo vllius cantu fidibus vtuntur, eadem ratio (vt opinor) eſt ſaltatoriae: quamuis enim alicui, dum grex aliquis ſaltaret, praeſto eſſet, qui carmen caneret, & ad motus illos corporis cantum ſuum accommodaret, non tamen ea de cauſa dici poſſet ars illa orationis particeps eſſe: extra namque illa poſita eſt, ac ſine interitu eius artis inde remoueri poteſt; plurimaque ac frequens inuenitur ſaltatoria ſine oratione vlla aut cantu: nam teſtatur etiam Ariſtoteles, ipſam vti numero tantum ad imitandum. Argumento illi, quo ipſe vteris ad conſtituendum, ſaltatoriam eſſe poëma, ſupra tuo reſponſum eſt: ais enim, niſi res ita ſe haberet, quorſum de ea ab Ariſtotele mētio facta eſſet? meminit enim ipſius, quia imitatur, & imitatur rhythmo, ſiue vt ipſe loquitur in rhythmo, quo numero vtitur etiā aliquando poëſis. Quod idem affirmas, extare etiam harmoniam vacuam ab imitatione, quin hoc verum ſit, dubitari non poteſt: neque enim omnis, qui capit in manum citharam, vtiturque fidibus, propoſitum habet aliquid imitari, ſed Ariſtoteles reliquit has harmonias liberas ac ſolutas; diſſerit namque de varijs rationibus imitandi. Quod vero infra adiungis, ſatis eſſe, vt poëma ſit; ſi vnum tantum habeat è tribus imitationis inſtrumentis, non audeo dicere, verum non eſſe, repugnat certe id vehementer opinioni meae: arbitror enim, nullum inſtrumentum imitandi, opusve illius ſine oratione propria poëtarum habere eam vim, poſſeque vere vocari poëſin: neceſſaria enim eſt oratio, vt id fiat. Sola ſane oratio talis, ideſt incluſa pedibus, ſine concentu vllo, aut numero, ideſt reliquis inſtrumentis carens, quibus aliquando vtuntur poëtae ad imitandum, conficit poëma, quum ſcilicet aliquid ſedulo exprimit, atque imitatur, nec opus eſt attendere in Ariſtotelis ſcriptis enodandis, veraque inde ſententia elicienda, quid de his rebus exiſtimet, aut Athenaeus, aut quiuis alius recentior ſcriptor, qui eadem ſaepe nomina aliter capiebant, nec dubium vllum eſt, quin omnis ratio imitandi, quae vtatur voce aliqua, aut ſono, aliquo modo poëſis vocari poſſit, ſiue quum coniunctus eſt cum ipſa extra poſitus cantus aliquis; ſed non proprie, neque appoſite; cum contra eam, quam praecipit de arte poëtarum, veram & abſolutam poëſin, non inchoatam, & quae tantum vmbram quandam eius retineat, ita appellare oporteat. Demum omnis quaeſtio apta inde eſt, quomodo accipi debeat primus ille locus: nam ſi artes illae, ideſt quae tibijs vtitur, & quae fidibus, nec non quae ſaltando, & motu corporis imitatur, poſitae ſunt illic vt poëſis, non eſt dubium, quin tu vere ſemper exiſtimes, ſed ego longe aliter ſentio, vt olim ſignificaui, & nunc etiam in his meis litteris teſtatus ſum. Vt autem paucis repetam, ac confirmem iudicium meum; vocat eo loco diligens magiſter illas τέχνας non ποιήσεις, quia complectitur non tantum ſpecies poëſeos; ſed praeterea artes eas, ſimiles ſane aliquo modo illis, non tamen omnino poëſin; vt, quum inquit, ὅτι καὶ τὰς εἰρημένας τέχνας, & infra, πάντες μὲν δὴ λέγω τὰς διαφορὰς τῶν τεχνῶν, ἐν οἷς ποιοῦνται τὴν μίμησιν, vocat etiam μιμήσεις, idem prorſus intelligens, quas antea appellarat artes, vt apparet, quia propoſitum ipſis eſt imitari; in eoq; operam ſuam ponunt. locus, quem dico, eſt. τῶν λεχθεισῶν ἑκάστην μιμήσεων: nam praeter quam quod expoſitas a ſe prius oſtendit, ſe intelligere, verba haec, quae ſequuntur, ſignificant, in illis exiſtere tres has, de quibus omnis lis eſt. καὶ γὰρ ἐν ὀρχήσει, καὶ αὐλήσει, καὶ κιθαρίσει ἔστι γενέσθαι ταύτας τὰς ἀνομοιότητας: confirmat vero ſententiam meam, quia illic ſeparat has rationes imitandi ab illis, quae fiunt oratione: nam ſeorſum inquit, καὶ περὶ τοὺς λόγους δὲ καὶ τὴν ψιλομετρίαν, ad extremum etiam docet, ſe diſſeruiſſe, περὶ τῶν μιμήσεων, non περὶ τῆς ποιήσεως, & diuerſis ipſius generibus; quod (vt opinor) non feciſſet, ſi tres illae quoque ποιήσεις forent: illo ipſo namque nomine eas appellaſſet. Haec ſunt, quae mihi nunc in mentem venerunt ad tuendam ſententiam meam, & quae (vt recordari videor) me, cum commentarios illos confeci, impulerunt, vt ita locum acciperem, quae ſi tibi penitus, & alijs etiam quibuſdam non probantur, mirum non eſt in re tam obſcura iudicanda, ſtudioſos veritatis viros inter ſe aliquantum diſſentire: nam ſi forte ipſe in hoc parum vidiſſem, non tam me erraſſe doleret, quam angerer, ſiquos auctoritate mea de certa via deduxiſſem, cum propoſitum meum fuerit, quum durum illum, & moleſtum laborem ſuſcepi prodeſſe diligentia, & vigilijs meis ſtudioſis eius artis, non vllam in partem nocere, nec cum aliquo concertare: in poſteriore certe hoc puto, me naturam meam & mores omnibus probaſſe, prius praeſtare omnino non poteram, ne aliquando laberer, cum homo ſim, niſi penitus mihi ab hoc negotio temperaſſem; vnde (niſi fallor) &, vt tu etiam

amice

amice praedicas, maiora incommoda cupidis bonarum artium nata eſſent. Tu vale, & de me omnia tibi pollicere, quae a ſtudioſo tui viro, fidelique amico expectari debent, numquam fallam, quantum in me erit, ſpem atque opinionem tuam. Florent. XIIII. Kal. Ianuar. CIↃ IↃ LXII.

PETRVS VICTORIVS Coſmo Medici Duci Florentinorum, ac Senenſium. S.

ALTERAM etiam hanc curam ſuſcepi, Princeps optime, vt in concione dicerem de laudibus coniugis tuae, praeſtātiſſimae omnium feminarum; quod feci, neſcio, libenter ne dicam, an grauate: ſine dubio enim huic quoque tempori tuo aduerſo ac miſero, volens, libenſque inſeruiui; triſtis tamen atq; inuitus acerbum hunc caſum mente reuolui, ac de ipſius vi, & atrocitate copioſius verba feci: renouare enim magnopere recordatione hac & ſingularum partium diligenti tractatione in animo meo dolorem, atque aegritudinem coactus ſum, & res tuas malas, quas obſcurare, & extinguere maluiſſem, illuſtrandi, atque augendi neceſſitas mihi impoſita eſt. Deus igitur Opt. Max. faciat, vt ex hac die, ſiquid eſt in me ingenij ac facultatis, in tuis potius rebus laetis, ac proſperis mihi collocandum ſit; quam in vlla alia re, quae ſimilitudinem aliquam harum habeat, ipſum vllo pacto ſit exercendum. Quod ſi mihi contigerit, vt ſpero, & opto, & vt tua quidem certe virtute & integritate dignum eſt, tunc enitar, quantum potero, vt intelligas, quanta in me vigeat cupiditas tibi inſeruiendi, ac res tuas, cuicuimodi illae ſint, ornandi. Tu interim egregium meum animum, ac voluntatem erga te ſpectabis; & quid facere voluerim, non quid fecerim, cogitabis: in primis autem, de quo tecum etiam in extrema hac oratione mea egi; quodque noſtra magni intereſt, operam dabis, vt dolorem iſtum tuum ſedes, ac te vndique ſaluum nobis incolumemque conſerues. Vale. Florent. IIII. Non. Ian. CIↃ IↃ LXII.

PETRVS VICTORIVS Petro Maphaeo. S.

EPISTOLA tua valde grata mihi fuit: perſpexi enim ex ipſa id, quod etiam in primo illo noſtro congreſſu mihi cognoſſe viſus fueram, te probum iuuenem eſſe, amantiſſimumque tuorum; in quibus etiam me a te numerari mirum in modum gaudeo. Nam quod res tuas mihi curae eſſe arbitraris, certe non falleris: delector enim magnopere ingenijs elegantioribus, honeſtiſque artibus inſtructis, atque ipſis quacumque re poſſum, faueo & inſeruio. Theonem accuratum magiſtrum dicendi, quem pollicitus ſum cura mea multo emendatiorem, quàm circumferatur, me ad te miſſurum, propediem exſpecta. vtinam idem de ſcholijs illis in Iliadem Homeri tibi, ceteriſque ſtudioſis eius diuiniſſimi poëtae recipere poſſem: vereor enim, ne nimis lentum hoc negotium futurum ſit, quod tamen mea culpa non fiet; ſed librariorum, qui non libenter excudendos ſuſcipiunt libros illos, vnde non celeres eoſdemque ſatis magnos quaeſtus ſe facturos eſſe exiſtiment; ipſe tamen, vt hoc aliquando aliqua ratione efficiatur, curabo, & quemadmodum nulli ſumptui peperci, & infinitos paenè labores ſuſtinui, ne hae vetuſtiſſimae, eruditiſſimaeque declarationes perirent, ita omnia faciam, vt tandem ipſae in manus doctorum virorum perueniant. Vale; meque, vt tua ſponte facere coepiſti, perge amare. Florent. Idib. Februar. CIↃ IↃ LXII.

PETRVS VICTORIVS Bartholomaeo Riccio. S.

ACCEPI, humaniſſime Bartholomaee, ſuauiſſimum atque elegantiſſimum tuum munus; quod mihi per Bernardinum typographum miſiſti: tuo enim nomine mihi librum reddidit, affirmauitque, ſe id a te mandatum habuiſſe: ſine litteris enim venit. Ago igitur tibi gratias immortales, quod me cito voluptate hac frui voluiſti, quam ſpero, me ex ipſius lectione magnam prorſus hauſturum, vel potius confido, vt ex parte quadam ipſius, quam ſtatim perlegi, iudicare poſſum. Amabam ego ſane te antea non mediocriter, atque id quidem merito ac iure faciebam: quomodo enim non amare potui hominem de honeſtis artibus optime meritum, & qui ſtudia haec noſtra labore, induſtriaq; ſua plurimum expoliuerit? nunc autem vehementius amo, poſtquam te in tuis me numerare, amicorumque loco habere ſigno hoc cognoui: fructus namque hi ingeniorum amicis ſubito mitti ſoliti ſunt: nulla verò ego re tantopere delector, quantopere amore erga me, beneuolentiaque proborum & eruditorum virorum, eamque vt conſequerer, multum ſemper in omni anteacta vita mea laboraui. Vnum tamen fuit, quod ſtatim aperto libro, indiceque perſpecto, leuiter me pupugit: voluiſſem enim nomen meum illic ſpectari, & quaſi illis (vt verum fatear) doctis, & grauibus viris, ad quos epiſtolas miſiſti, quoſque ita facto hoc tuo non parum ornaſti, ſubinuidere coepi. Sed hoc nunc relicto (quod fortaſſe tacere debebam) volumen hoc tuarum epiſtolarum diligenter legam, crebroque in manibus habebo, vt cetera etiam, quae a te monimenta litterarum prodita ſunt, accurate, nec ſine aliqua vtilitate perlegi. Tu verò vale, ac quae a vero fidelique amico officia poſtulari debent, a me omnia expectato: dabo enim operam, vt intelligas, te non fruſtra me diligere coepiſſe. Floren. III. Kal. Mart. CIↃ IↃ LXII.

PETRVS VICTORIVS . . . . . S.

OMNI ſane tempore, quo mihi perſpectus es, vir ſuauiſſime, iam inde a principio notitiae, quae inter nos vetus admodum fuit, probum ego te hominem eſſe, & mei cupidiſſimum cognoui: non minimum autem ex eo, quod nuper a te valde amanter factum eſt: cum enim ego ad te miſiſſem duas illas meas conciones, quas paucis interiectis diebus habueram de laudibus duarum, quouis honore dignarum perſonarum, tu mearum rerum augendarum ſtudioſus, curaſti, vt iterum illae iſtic formis excuderentur, & epiſtola etiam tua ipſas ornaſti, &, vt honeſtiores in manus eruditorum peruenirent, effeciſti: cur enim ego illam tuam eſſe non putem, cum ſit elegantiſſima, & amoris illius tui, quo me ſemper magno proſecutus es, pleniſſima? puſilla quidem res haec eſt, & tenuis; ex leuibus tamen etiam rebus intelligitur ſaepe animus alicuius, & voluntas praeclara erga nos: non poſſum igitur hoc quoque non in beneficij loco ponere. Teſtimonium etiam iſtud tuum meorum ſtudiorum fuit mihi vehementer gratum, & aliquid dignitatis meis laboribus, vt ſpero, pariet, vt hominis eruditi, & qui in his rebus tractandis valde exercitatus ſis: quare nolui committere, quin tibi litteris his meis indicarem conſilium hoc tuum mihi acceptum, probatumque fuiſſe; neque tamen tam id feci nimio ſtudio laudis, quàm quòd delector huiuſcemodi officijs amicorum, quae proficiſcuntur ab animo ingenuo & integro; & eo magis ipſis capior, quo rarior eſt nunc, & infrequentior fides, & verus amor inter familiares, cum omnia his temporibus ſimulationis, ac liuoris plena ſint. Tu vir optime vale, ac parem animum, ſtudiumque erga res tuas, ſpectatas illas quidem certe omnibus, ac merito celebratas, quod tamen nouum in me non erit, a me ſemper expectato. Florent. Prid. Non. Mart. CIↃ IↃ LXII.

PETRVS VICTORIVS
. . . . . . S.

ETSI iis ipſis diebus epiſtolam ad te ſcripſi, qua tibi gratias egi, quod quiddam ad ſtudia mea ornanda aptum feciſti, tamen Theopino Rhodomontio Germano, in patriam poſt longam peregrinationem redeunti, atque iſtac tranſeunti, litteras non dare non potui; quibus a te ſedulo peterem, vt hominem complecterere, & quacunque re poſſes breui iſto ſpatio temporis, quo in iſta nobili vrbe manebit, adiuuares. Eſt ille quidem modeſtiſſimus omnium, nec tibi quicquam maioris oneris imponet: nullum autem maius beneficium apud illum ponere potes, quàm compotem ipſum facere tuorum ſermonum, & cum eo aliquantulum de ſtudijs bonarum artium, ſuauiſſimiſque fructibus ingenij tui colloqui: nulla namque alia de cauſa ille domo diſceſſit, multoſque annos in Italia vixit, niſi vt inſtructus vndique, ornatuſque meliore parte noſtri reuerteretur. Et, cum multam, aſſiduamq; operam dederit honeſtis artibus perdiſcendis, ſtuduit tamen non minus mores, inſtitutaque huius regionis perſpicere, claroſq; in ea viros, & illuſtri aliqua laude celebratos viſere; quo deſiderio politi hominis incenſus, Italiam penè omnem luſtrauit. Magno igitur munere me affeceris, ſi ipſi te comem iucundumq; praebueris: valde enim ipſum amo, & propter eximiam probitatem hominis, excellenſque ingenium mirificè carum habeo. Sed de hoc nimis multa; magnaque parte huius accuratae commendationis ſuperſedere poteram, cum ſit mihi compertum multis modis, quod mihi gratum eſt, idem etiam tibi cordi vehementer eſſe; id quod ab egregio tuo amore erga me, optimaque natura proficiſcitur. Vale. Florent. XVI. K. Apr. CIↃ IↃ LXII.

PETRVS VICTORIVS
Antonio Rainerio. S.

ACCEPI elegantiſſimum carmen tuum, Antoni ſuauiſſime; legiq; libenter: Cum autem illud huiuſcemodi ſit, vt quemlibet merito oblectare poſſit, non omnino rudem hominem, neque penitus auerſum a Muſis; quanto magis mihi iucundum fuerit, quem ornat, ac ſummis laudibus in caelum fert, facile iudicare potes. Vellem ſanè, quae mihi ingenio tuo tribuis, magis verè de me praedicari poſſent. Non enim tantopere mihi placeo; neq; ita gloriae popularis auidus ſum, vt non intelligam, vix vmbram quandam iſtarum virtutum in me manere, illas tamen te, cuiuſmodi ipſae ſunt, vt bonum poëtam, & ſtudioſum dignitatis meae, plurimum auxiſſe, vehementer laetor, teq; id amico animo feciſſe exiſtimo. Quare maximas tibi gratias ago, &, ſiquando etiam potero, non minores habebo. Cur enim eum non amem, ac toto pectore amplectar, qui, ſi nihil aliud, toto certè illo tempore de me acriter cogitauit, ac, quanto magis tenue argumentum, exileque cepit, tanto magis laborarit, neceſſe eſt, vt partem aliquam ſui muneris impleret, & aliquid ſimile ſimulachri faceret? Nam iſto genere carminis, aut Deos immortales, aut claras admodum, & illuſtres perſonas ſolitas celebrari ſcis, qui ipſum tam eximie, feliciterque colis, neque id etiam me fallit. Ego vero te amo, & me tibi valdè obligatum eſſe fateor. Exiſtimet de me quiſque vt vult. Sed non eſt nouus, & repentinus tuus iſte egregius animus in me; verum multo ante mihi perſpectus, & cognitus: iampridem enim, quantopere me diligeres, declaraſti, & amoris iſtius tui ſpecimen non paruum dediſti. Ego potius laborarem, ſi mihi cum aliquo acri homine, ac iuris ſui acerrimo defenſore res eſſet, cuius nulla adhuc extant merita erga te; nam amori me tuo praeclare reſpondere, Deus mihi teſtis eſt: nec te etiam hoc ignorare arbitror: recordaris enim, me olim quiddam excogitaſſe, quod ad fortunas tuas augendas facere videbatur, a qua tamen condicione te remouiſti, ne longe abeſſes a tuis, vt qui animum aequum habes, &, vt virum probum decet, paruo contentus es, nec longinquas ſpes perſequeris; cuius etiam animi, iudicijque ſimilitudo quaedam eſt in me. Sed non opus eſt nunc haec alieno tempore commemorare: redierunt autem mihi in mentem ea, cum omnino oſtendere vellem, me tua cauſa ſemper voluiſſe; nec non vel liberius a me peteres, ſiquid vmquam rebus tuis aptum facere poſſe putaris. Siquid enim huiuſcemodi aliquando mihi indicaris, omnem operam meam, ſtudium, gratiam, in eo conficiendo collocabo. Tu interim vale, & praeclaram iſtam tuam beneuolentiam erga me conſerua. Florent. Prid. Id. Mai. CIↃ IↃ LXIII.

PETRVS VICTORIVS
Antonio Auguſtino. S.

VENIT tandem in manus meas, valde quidem illud optatum, & a me diu fruſtra expectatum, volumen M. Tullij Philippicarum, quod Faernus noſter magno adhibito ſtudio emendauit: inueni autem illic multa auxilio antiqui illius libri, quem nactus eſt, fideliter reſtituta; non pauca etiam iudicio ipſius, quo plurimum valuit, coniectoraque correcta; in quibus etiam admodum delectatus ſum probitate hominis, qui contra conſuetudinem multorum, ſiquid vnquam tangit, ingenio alieno excogitatum, ſincere id narrat; admirabilique in hoc vtitur animi ſimplicitate: incidi igitur in locos plures, quod indicio ipſius cognoui, cura acumineque tuo illuſtratos, & ab omni prorſus macula purgatos: tu enim quemadmodum grauioribus ſtudijs egregiam operam nauaſti, ita etiam humaniores litteras induſtria, ſedulitateque tua plurimum expoliſti; in quo ſane merito tibi multum debent ſtudioſi earum, qui nullum vnquam laborem fugeris, vt ipſas ornares, & integriores formoſioreſque vndique redderes: In alijs autem pluribus locis, in quibus ſe a te adiutum ingenue fatetur Faernus, eſt ille, in extrema fere II. Philippica, qui prius in excuſis omnibus libris maculoſus erat: cum igitur ipſe vetuſtiſſimi illius ſui libri, quem ſequitur, lectionem indicaſſet, & ipſam profecto valde deprauatam, opinionis tuae ſtatim mentionem fecit; a qua ſane ſe alienum non eſſe oſtendit; ego quoq; mirifice illam probo, niſi quod voluiſſem, te poſteriore, quam reſtituis, voce contentum, priore illa, quae appoſita ipſi eſt, ſuperſediſſe, & hoc profecto melius veriuſque eſſe exiſtimaſſem, vt ita totus locus legeretur. Confer cum hac nundinatione tua, tuorumque: ita enim litterae ferè numero pares ſunt, vt ex primoribus corruptae illius lectionis elementis fiat nundi: ex ijs autem, quae ſequuntur, prima tantum littera immutata, reliquum eius vocis conſtetur; nam ſi ex illis facimus immaui, deſideretur, vnde poſſimus quaſi fabricare antecedentem partem conſequentis nominis: cum etiam pluribus locis hoc verbo M. Cicero vtatur, vt contra P. Rullum, & in C. Verrem, numquam, quod recorder, aliquid ipſi adiungit. Praeterea magis mihi videtur ſignificari, quod certe orator facere voluit, ac locus ille requirit, auaritia, turpitudoque Antonij, ſi declaratum non fuerit, magnam pecuniam ex ratione illa confici poſſe: nam ſumma ſine dubio grandis, immenſaq; erat, ſed ex multis minutis venditionibus coacta; quare arguebat animum tenuem ſordidumque: quanto enim maiorem ſingillatim quaeſtum illum fuiſſe audimus, tanto minor fit (niſi fallor) in animis noſtris foeditas illius facti, maioreq; venia dignus eſſe videtur M. Antonius, qui cum fines recti migrare ſtatuiſſet, non leui de cauſa improbus iniuſtuſq; fuerit. Sed haec ipſa quoque, de quibus tecum nunc ago, minuta puſillaque ſunt; nec tamen omnino in tanto ſcriptore negligenda: ego autem potius hanc occaſionem ad te ſcribendi arripui, quem ſuſpicio, & omni honore dignum iudico, quam quod exiſtimauerim, hanc idoneam cauſam fuiſſe conficiendae epiſtolae; praeſertim cum tu in multo maioribus rebus iſtic nunc occupatus ſis; quae vtinam fauſtum, felicemque exitum habeant. Vale, ac me, vt ſemper feciſti ob egregiam humanitatem tuam, ama. Florent.

PETRVS VICTORIVS
Petro Maphaeo. S.

ACCEPI litteras tuas, Petre ſuauiſſime, doctrinae, prudentiaeque plenas: quare fuerunt mihi quidē illae vehementer gratae: quòd autē in ipſis apparent certa, magnaq; ſigna egregiae cuiuſdā beneuolentiae erga me, tanto magis illis delectatus ſum. Cor enim mihi iucundū non ſit, intelligere, me amari, carumque haberi etiam a probo, praeſtantiſq; ingenij iuuene, quem omnes, qui multo prius, quā ego, ipſum cognouerunt, ſummo amore, laudeq; dignum iudicant, totoq; animo amplexati ſunt. Idem igitur me facere oportere exiſtimaui, ſtatim vt te vidi: neq; enim leuia apud me fuerūt teſtimonia cōmunium amicorum de virtute tua, quae tamē poſtea, quod ſanè raro vſu venire ſolet, aucta ſunt, neque ipſa maiora reperta. Sed vt ad epiſtolam redeam; quod petijſti a me, ſedulo feci,

Paulumque Spinulam, quem mihi commendaſti, libenter vidi; &, quibuſcunque rebus potui, adiuui. Manſit ille quidem apud nos ſpatio quattuor dierum, quorum bonam, magnamque partem mecum conſumpſit, ac ſemper quidem in ſermonibus, accuratiſque diſputationibus de illo ſuo ſtudio, quod vrget, ad exitumque perducere conatur; eiuſque rei cauſa, vt affirmabat, ſe, quum hinc diſceſſit, Venetias contulit, qua in vrbe maior eſt copia opificum illorum, qui vndiq; deſiderio ipſius ſatisfacere poſſint. Viſus autem ille mihi eſt multis in locis, iudicium meum probaſſe, nec ſe fruſtrà huc veniſſe, exiſtimaſſe. Quod ſi verum eſt, gaudeo magnopere, & quia cupiebam te illi ſignificare, commẽdationem tuam plurimùm apud me valuiſſe, & quia mihi viſus ille eſt homo ingenuus, dignuſque, in quem omnes omnia ſua officia rectè collocarent, optimoſque ipſius conatus, quantum poſſent, adiuuarent. De difficultate verò eius operis, quod ſuſcepit & tu ſubtiliter diſputaſti, & ego ſemper eodem pacto exiſtimaui, quod me arbitror multis modis oſtendiſſe. Nam praeterquàm quòd longè ab eo conſilio abfui; nihilque tale vnquàm attigi, niſi inuitus, & coactus, diffiſus ingenio meo, ac tot, tantiſque rebus aduerſantibus deterritus, non ſemel etiam iudicium de eo meum pateſeci, ac quid ſentirem, litteris mandaui, non vt perterrefacerem alios, qui maiore ingenio praediti ſunt, ab eaque laude reuocarem, quae magna in ea re poſita eſt; ſed vt me purgarem, doceremque non temere, ac ſine cauſa feciſſe, quòd munus illud ſemper defugerim, & adoleſcentibus etiam aliquando, quorum honori fauebam, auctor fuerim, vt ex alio quopiam potius ſtudiorum genere gloriam, commendationemque ſui ingenij ſperarent; quin etiam memini, me aliquando apud aliquos offendiſſe, qui a me diſſentiebant, & in id ſtudium toto animo incubuerant, qui fortaſſe multo melius famae, dignitatique ſuae conſuluiſſent, ſi in alia quapiam re induſtriam, vigiliaſque ſuas conſumpſiſſent; ſed fieri poteſt, vt tantopere hanc curam improbarim, quia incidi aliquando in ſcripta quaedam de graeco, aut latino verſa negligenter, & ab hominibus, qui nullo modo huic tanto oneri ferendo apti erant, propter inſcitiam illius linguae, vnde transferebant, qui ſtultitia ſua, & errore magno animi penitus me abalienarant ab eo incoepto: Non pauci enim ſunt hac aetate, qui nimis ſibi arrogant, & oſtentandae eruditionis cauſa, aut quaeſtus faciendi, maius opus aggrediuntur, quàm efficere poſſint, nec tamen non, qui etiam ingenio floruerunt, atque opinionem magnam doctrinae meritò conſecuti ſunt, cùm huiuſcemodi aliquid tentarunt, aliquando lapſi ſunt, & tamquàm in ſalebris haeſerunt. Nam quòd tu putas, niſi huiuſmodi M. Ciceronis vigiliae interijſſent, nos fortaſsè habituros fuiſſe exemplar quoddam huius rei, & formam vacuam ab omni labe, ac culpa, certè, ſi aliquis vnquàm hoc praeclare efficere potuit, veriſimile eſt, ipſum illum futurum fuiſſe; vt tamen argumentis quibuſdam perſpici poteſt, locisque, qui reſtant, non ſatis exquiſitè tractatis, ne ille quidem felix omninò ab hac laude fuiſſet, nec penitus ſatisfacere noſtrorum hominum iudicijs potuiſſet. Noſti enim profectò, inuentos nonnullos hac aetate, qui ipſum accuſare non veriti ſint, & locos aliquos ab eo conuerſos, e graecis poëtis, non planè ipſi perceptos fuiſſe, affirmare; Quòd ſi integer ille ipſius Thimaeus in manibus eſſet, multò magis, ne ob obſcuritatem eius libri aliquando peccaſſet, timeri potuit. Et fortaſsè etiam non ſine cauſa ex relliquijs illis ſuſpicari licet. Nam cum T. etiam Lucretius in ſaeua illa peſtilentia deſcribenda, quae incubuit in populum Athenienſem, incluſum, & conſtrictum ab hoſtibus intra muros ciuitatis, propoſuerit ſibi Thucydidem imitandum: ille enim in ſecundo libro hiſtoriarum prius ipſam accuratè expoſuerat: ac multos inde locos ſumat, vel potius totam eam exprimat, non inſcitè aliquis dubitare poteſt, ne aliquando ipſe ſententiam nobilis eius ſcriptoris perceperit. Cui tamen, vt poëtae magis ignoſci poteſt. Sed non diſſeritur de fide: manifeſtò enim ille multa de ſuo addidit, quorum apud ſcriptorem illum rerum graecarum grauem veſtigium nullum eſt, quemadmodum etiam non pauca reliquit; ſed omnis quaeſtio eſt, an verum quandoque ſenſum elicuerit ex illis locis, quos ſine vlla dubitatione reddere, & exprimere voluit. Quòd ſi hi ſummi auctores, qui illo tempore vixerunt, quo & graecus, & latinus ſermo vigebant, in dubium aliquando veniunt, ne in vertendis quibuſdam locis lapſi ſint, quanto magis id de noſtrae memoriae hominibus expectari debet, qua vterque extinctus eſt? Ac quicquid ipſorum tenemus, plurimo labore, & infinita cura in ea re poſita a magiſtris perdiſcimus, aut e libris eruimus. Declarat etiam ſatis difficultatem huius rei, quòd illa ipſa M. Ciceronis, quae reſtiterunt, huius generis, non reſpondent ceteris ipſius politiſſimis monimentis, nec perſpicitur in ipſis eadem dicendi copia, & ornatus. Id autem meritò, quia adſtricta eſt aliquo modo tunc eloquentia illius, & quaſi vinculis quibuſdam, compedibuſque illigata, praeter quàm quòd ſingulae linguae ſuos quoſdam ornatus, ac venuſtates habent, quae vix alio ſermone retineri poſſunt. Quod etiam auget magnopere moleſtiam hanc, tantamque vim habet,

vt non ſinat quempiam, qui hoc aggreditur, omni ex parte probari. Omitto ceteros, tamquàm ſcopulos, qui in hoc ſtudio ſunt, quos tu acutè vidiſti, & luculenter etiam explicaſti. Nec tamen ipſe reprehenderem quempiam, qui hoc exercitationis cauſa faceret; multis enim modis id prodeſſe poſſe, intelligo, vt etiam eum, qui auctorem quempiam tradentem artem, diſciplinamque vtilem vitae hominum in aliam linguam converteret: omnis enim ſermo eſt nunc de illis, qui expectant ex hoc ſtudio ingentem laudem, confiduntque, ſe penitus reddituros eſſe elegantias illas, ac lepôres, quos a ſummis ingenijs magno labore ſua lingua expreſſos inuenerint. Sed de hoc iam ſatis, vel fortaſsè plus etiam, quàm oportebat. Feci autem id à te inuitatus, eaque cauſa fuit, vt in tam lubricum, & ſcopuloſum locum inciderim. Facile namque paſſus ſum, me a te trahi eo, vnde aliter fugiſſem, oratione tua. Amo enim te, & omni iure voluntati tuae ſatisfacere cupio, cuius rei ſemper, cum potero, certum documentum dabo. Laelius Taurellius, vir ſummi conſilij in rebus gerendis, & magnae in ſtudijs litterarum eruditionis, quem me tuo nomine ſalutare voluiſti, laetatus eſt, ſuaui tua ſui recordatione, teque plurimum amat, idemque facit Varchius, de quo tu tam magnificè in epiſtola tua & ſentis, & praedicas. Sed, vt addam ipſe aliquid de ſtudioſis tuis, quos apud nos habes, Lottinus totus tuus eſt, mecumque ſaepe ex eo tempore, quo hac tranſiſti, de te valde amanter locutus eſt. Exiſtimat enim praeclare de indole, ac moribus tuis; quin etiam, cum epiſtolam tuam ipſi legiſſem, eam non parum laudauit. Poſſe autem illum iudicare, actique in primis ingenio praeditum eſſe, noſti. Vale, ac me, vt facis, ama. Florent.

PETRVS VICTORIVS

Ferdinando Medici Card. S.

FRATRI Ego tuo, probo adoleſcenti, ac multis, magniſque ingenij dotibus commendato, ſtatim vt ille eximium iſtum dignitatis gradum adeptus eſt, per epiſtolam gratulatus ſum, declarauique, vt potui, oratione mea, quantam voluptatem cepiſſem ex honore illo ſuo rectè, ordineque collocato, & qui mirificè conueniret virtuti ipſius, & incredibili expectationi, quam ille de ſingularibus ſuis bonis excitaſſet, ſimulque hortatus ſum, currentem illum quidem, vt tota mente properaret ad laudem, eamque ſemper ante oculos propoſitam haberet. Non mihi igitur viſus ſum, poſſe committere, quin eodem munere in te fungerer, cuius itidem optimae indoli faueo, atque ipſi, vt debeo, omnia bona exopto. Nec tamen multum temporis conſumam, vt oſtendam, quanta laetitia affectus ſim, quum audiui, honorem iſtum maximum ad te delatum, teq; ab optimo, ſapientiſſimoque patre delectum eſſe, qui damnum illud magnum reſarcires, & quod iniquitate fortunae ille praeſtare non potuit, aliquando tu ipſe efficeres, & ad exitum, cura, ſtudioque tuo perduceres. Exiſtimo enim, illam communem mihi fuiſſe cum multis: quamquam praecipua laetitia mea, multis de cauſis eſſe debuit; qui, ſi aliter feciſſem, & nō gaudio exultaſſem, affinis graui culpae, ſeu verius ſceleri fuiſſem. Potius igitur aliquid operae ponam, vt confirmem egregiam voluntatem tuam, teque ad iter iſtuc honeſtum praeclare animatum, magis incendam, ac ſi, quid impedimenti, difficultatiſque illic ſubeſt, id remouere, totumque frangere, ac labefactare coner. Neque enim magna vlla laus indè oriri poſſet, niſi aſperitatis aliquid in eo ineſſet, ac tibi tamquàm cùm hoſte aliquo ſaepè congrediendum foret. Non parum autem prodeſt cognoſcere quemlibet, cum quibus aduerſarijs ſibi res futura ſit; intelligereque ipſum inſidias eorum, ac petitiones, reddit eum cautiorem, & ad illas euitandas paratiorem. Occurret igitur tibi ſtatim labor, qui ſanè moleſtus eſt, & naturae noſtrae contrarius, ipſeque in primis deterrere a laude, virtuteque perſequenda conabitur, quae prorſus obtineri non poteſt ab eo, qui dolorem reformidat, nec partem vllam ipſius, vt virum fortem decet, perpeti, ac perferre vllo pacto poteſt. Quis enim ingenuus puer, quique primoribus ſaltem labris guſtarit honeſtiora ſtudia, non audiuit illam Graeci poëtae vocem, qui affirmauit, conſilio Deorum factum eſſe, vt ante virtutem ſudor collocaretur, nec poſſe ad eam perueniri, niſi longa via, & ardua. Quam etiam ſententiam non ignotam eſſe tenerae aetati, vel potius pueros nobiles, in ore ſemper eam habere debere grauiſſimus latinus ſcriptor teſtatus eſt. Cognitum igitur, atque exploratum habere oportet, non eſſe adoleſcentiae fugiendum laborem, omnemque hominem, qui loco, temporeque ipſum tolerare noluerit, neceſſariò non multo poſt incurrere in magnos, & perpetuos dolores,

eundemque illum carere ſummis, ſinceriſque voluptatibus, quae a vita honeſta, virtutique dedita abeſſe nullo modo poſſunt. Neque cuim adeo natura nobis inimica fuit, vt vellet, nos ſempiternis laboribus conflictari, nec aliquid vmquam ſuauitatis in vita ſentire: contra enim illae voluptates, quas virtus procreat, diuturnae, liquidaeque ſunt; quae verò a corpore proficiſcuntur, breues, & cum paena, moleſtiaque temperatae. Qui igitur reuocat a labore, auctorque eſt adoleſcentibus, vt dolorem fugiant, reuocat eoſdem tempore ipſos a laude, eripitque eiſdem omnem ſenſum verae, ac purae voluptatis. Hoc ipſum (vt exiſtimare licet) ſenſit vetus ille ſapiens, cuius iudicio, auctoritatique meritò ſemper multum tributum eſt: affirmauit enim, oportere eligere curſum vitae optimum: ipſum enim, quamuis primò viſum triſtem & aſperum, conſuetudinem tamen redditurum eſſe ſuauem: intelligebat cuim praeclarè acutus vir, cunctos mortales, ſua ſponte ad voluptates procliues eſſe: nec poſſe ipſis diutius facilè carere. Pollicebatur igitur, eos etiam, vnde minimè antea ſperaſſent, magnam, ſolidamque ſuauitatem hauſturos. Non ſunt igitur audiendi otij nobis, & ceſſationis auctores, ſed procul arcendi, & ab auribus iuuenum depellendi. Quanto rectius ſuaſit Peleus apud optimum poëtam, qui, cum filium, puerum adhuc, mitteret in graue, ac periculoſum bellum, mandataque ei diligenter daret, quae ſeruare ipſum toto illo tempore, quo apud ilium manſurus eſſet, vellet, nou praecepit, vt honeſta pericula vitaret, videretque, ne aliquid doloris, ac moleſtiae vmquam ſubiret, ſed contra cohortatus eſt illum, vt niteretur, ceteris omnibus in omni honeſto facto praeſtare, ac principem locum ſemper inter illuſtres, & claros viros tenere. Cui enim ignotus eſt, verſus hic Homericus αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. Quem ferunt etiam pronuntiaſſe doctiſſimum virum Poſidonium, & praecepti loco Cn. Magno ediddiſſe, cum ille ad bellum Mithridaticum proficiſceretur; rogaſſetque Rhodi philoſophum eum clariſſimus Imperator, haberetne aliquid, quod ſe facere iuberet. Vt autem hi, qui puerorum induſtriam, aſſiduitatemque in bonis artibus percipiendis poſitam reprehendunt, vehementer illi aetati nocent, omnemque curſum eorum ad laudem remorantur, ac tardant, ſic nou nulli, qui, cum ſe in eorum familiaritatem, honeſtis rebus inſinuare nequeant, blandicijs, & aſſentationibus, eodem penetrare conantur; qui finem etiam ſuum ſaepè ſimulatione beneuolentiae conſequuntur, ac, niſi diligenter prouiſum eſt, ſimplicem illam aetatem expugnant, & à recto itinere gloriae abducunt. Hi igitur multo plus, quàm veritas patiatur, ipſorum bona augentes, atque omni occaſione ipſos praeter modum celebrantes, corrumpunt eorum animos, faciuntque, vt illi inani ſpecie virtutis delectati, in vera perſequenda negligentiores fiant, exiſtimentque ſe ſatis adeptos, quod fortunae bonis ornati ſunt, atque ipſis copioſè referti. Quemadmodum enim haec deſpicienda non ſunt, magnumque ſplendorem adferunt ijs, qui munere quodam, benignitateque Dei, ijs cumulati fuerint, ita plena, abſolutaque exiſtimari non debent, nec magnos vllos, vberesque fructus vmquam ferunt, niſi diligentia, ſtudioque eorum, qui ipſa ſine vllo ſuo labore poſſident, factum fuerit, vt virtus ijs addatur, ſcientiaque illorum ipſorum bonorum rectè vtendorum: aliter enim ſaepè obſunt, ac iuuenes etiam arrogantiores, contumelioſioreſque reddunt. Quis enim vmquam magnopere Alexandrum Macedonem laudauit, quod illo patre natus eſſet, qui ſedulitate ſua, ſtudioque patrium regnum valdè auxit, & exiguos ipſius fines, mirum in modum dilatauit; ac Graeciam denique ipſam, gloria belli florentem, domuit ac vexauit. Hae namque Philippi ipſius propriae laudes ſunt, nomenque illius meritò illuſtrant. Contra autem filius praecipuè ornatur, & in caelum ſummis laudibus fertur, quòd rebus illis contentus non fuit; neque ſe otio, ac voluptatibus tradidit, ſed opibus patris, copijſque vſus eſt in maiore gloria, laudeque adipiſcenda, & dum nullum laborem declinat, caputque cotidie, ac vitam multis, magniſque periculis obijcit, vniuerſum paenè orbem ſubegit, ac longo quidem interuallo fortunam patris, gloriamque ſuperauit; nulla enim tanta alicuius induſtria eſt, cui cumulus addi non poſſit; neque opes tantae, & amplitudo rerum exiſtit, quae non ſolum adaequari, verum etiam vinci ſe patiatur, & amplificari, ſi, qui verſatur in hoc honeſto certamine, vtitur rebus partis virtute illius, cum quo contendit, in eo ſuperando, ac primo dignitatis loco ſpoliando. Non debes igitur tu quoque ſatis te adeptum putare, etſi magna multa, & praeclara alieno labore adeptus es, & ad quae pauci admodum aſpirare poſſunt, & inani etiam ſpe, cogitationeque ferri, ſed totis viribus conari addere aliquid, vel plurimum potius, ſi poſſis, patris tui ſummi Principis laudibus, & cum ipſo in hac honeſta palaeſtra pugnare, è quo certamine, ſi forte ille victus a te, ſuperatuſque diſceſſerit, laetabitur; nec aliquid de ſua laude, gloriaque diminutum, ſed magis ipſi multum additum, arbitrabitur. Praeſertim cum tibi alius honoris curſus propoſitus ſit, in quo te exerceas, ac neruos omnes tuos contendas. Cui etiam curſui non deterius praemium propo-

ſitum eſt, nec minor etiam facultas adiuuandi mortales illic exiſtit, ſi eo perueneris, quo ſanè iam duo minoribus opibus freti è maioribus tuis, non magno labore peruenerunt. Sed haec, quae modo tetigi, & meliora etiam fortaſſe nonnulla, docti viri, quos domi habes, cotidie tibi praecipient, animumque tuum, in quo apparent non parua ſemina magnarum virtutum; nec tamen idem ob infirmam iſtam aetatem penitus corroboratus eſt, in vero ſenſu laudis retinebunt: viamque iidem illi diligenter obſtruent, omnibus rebus, quae ſi in pectus tuum irrumperent, maculae aliquid, ac vitij eo importarent, cuiuſmodi in primis ſunt, vt docui, fuga laboris, & malorum omnium mater, & altrix aſſentatio. Ego tamen quoque mea intereſſe putaui, ſiqua ratione id praeſtare poſſem, tibi prodeſſe, conari, cuius rei efficiendae magno deſiderio inflammatus ſum, nec vlli prorſus in hac re concedo. Quòd ſi in hoc aliquo modo peccaui, & inſolenter feci, quod tamen abeſſe plurimum ſolet a moribus, & natura mea, non video, quid me in errorem hunc rapere potuerit, niſi cupiditas tuae laudis. Quare ita etiam dignus eſſe videor, cui, praeſertim a te, ignoſcatur: finis enim omnibus in rebus exiſtimandis ſpectandus eſt, ac voluntas eius, qui facit, quae mea profectò eximia, ac ſingularis eſt, & ab omni labe vacua, vt nullo negotio ab ijs, qui legerint, intelligi poſſe, arbitror, cum ad ea horter, impellamque, vnde, qui placere, & obſequi adoleſcentibus ſtudent, retrahere ſedulo ipſos, & abſterrere ſolent. Vale. Florent. VII. Id. Sext. CIↃ IↃ LXIII.

PETRVS VICTORIVS
Petro Magno. S.

DILEXI ego ſemper magnopere Hieronymum Meium, propter ſingularem eius animi probitatem, excellenſque ingenium in ſtudijs bonarum artium; &, quacunque re potui, ipſi libenter gratificatus ſum. Is cum a me nuper tuo nomine petiſſet, vt mitterem ad vos, ſiquas haberem in ἐρωτικῷ Plutarchi emendationes, quia tu velles accuratè librum eum legere, ac multitudine macularum perterritus eſſes; ſtatui ſubitò vobis morem gerere, & quaecunque olim, cum ipſum diligenter euoluerem, & cum calamo ſcriptis libris conferrem, adnotaram, collegi, iſtucque, ſtudioſe deſcripta, ad vos miſi. Etſi autem non pauci loci ſunt, qui reſtituti, & ab omni labe vitioque opera, ac ſedulitate mea ſunt purgati, non pauciores tamen reſtant, quibus mederi nullo pacto potui: nam indicaui etiam, vbi forent apud poëtas ipſos teſtimonia non nulla ipſorum, quibus vtitur hic auctor in ſententijs ſuis confirmandis; quae nunc apud eum corrupta, aut mutilata ſunt, vt, quacunq; ratione poſſem, tibi prodeſſem, & laborem iſtum tuum leuarem. Illa vero maiora vulnera, quae partes aliquas huius pulcherrimi corporis aut foedarunt, aut omnino abſciderunt, vetera ſunt, ac vix poſſunt (niſi fallor) vlla vllius ope ſanari. Probo autem iudicium tuum, qui hunc eruditiſſimum, grauiſſimumque ſcriptorem ames, & ipſius varia, reconditaque doctrina vehementer delectere. Libellus certè hic, cuius tu nunc intelligendi mira cupiditate incenſus es, elegantiſſimus omnium, politiſſimuſque ſine dubio eſt: continetque in ſe vberem, ac copioſam multarum rerum hiſtoriam, diſputationemque ſubtilem: eandem tamen lepidam, ac venuſtam de motu illo animi, qui multos mortales ſollicitat, angitque, vel potius quem nemo vmquam, dignus, qui homo appelletur, non aliquando expertus eſt. Vale, ac me ama. Florent. Prid. Id. Febr. CIↃ IↃ LXIII.

PETRVS VICTORIVS
Mario Columnae. S.

CVM ſaepè mecum ipſe, Mari optime, cogitem de ſingularibus animi tui dotibus, ingentique cupiditate, qua flagras, omne virtutis genus perſequendi, ac non paruam ex ea re capiam voluptatem, volui ſemel tecum per litteras de hoc ſolido, ac iuſto gaudio meo diligenter loqui: nam, quum ſimul ſumus, & in ijſdem locis verſamur, non neceſſe eſt, me amplecti animo, quae ſint praeclara tua cuiuſuis generis bona: cotidie enim mihi licet inde aliquid haurire, ac maiores fructus ex te praeſente, integrioremque iucunditatem ex ſermone, colloquioque

tuo

tuo deguſtare, nec tamen nunc, quae in te ſumma ſunt, ex quibuſque poſſem facilè longiorem orationem contexere, externa, aut corporis bona valdè praedicabo, non quia ipſa deſpiciam, aut parui aeſtimanda eſſe putem: (contra enim eximium munus Dei ipſa arbitror, &, qui illis ornatus eſt, meritò ſpectandum, & fortunatum habendum iudico) ſed quia, ſi conferantur cum animi bonis, multum illa ſui ſplendoris amittunt, ac tota paenè iacent. Cumq; praeterea non vnum ſit genus virtutum, vt tu noſti optimè: nã alterum genus ipſarum in animi motibus ſuſtinendis, cupiditatibuſque coërcendis totum occupatum eſt: alterum verò rationem perficit, animique partem illam, quae διάνοια vocatur, planumque ſit omnibus, atque exploratum, te à nulla priorum illarum abhorrere, vel potius ſaepe aliquod ſpecimen ipſarum in vita dare: ſtatui, ne de his quidem nunc diſputare, teque, quod ſine vllo labore praeſtare poſſem, & fortem eſſe, & temperantem, & liberalem demonſtrare, & reliquis itidem eiuſdem generis quaſi habitibus animi praeditum: quod enim admiror in te, & ſingulari laude dignum puto, eſt, quod tu propè vnus hoc tempore, aut certe cùm paucis tui loci, ordiniſque hominibus toto animo incumbis ſtudijs bonarum artium, & nulli labori parcis, vt animum cotidie magis expolias cognitione rerum optimarum, & omni ſcientia, quae nobili, atque illuſtri viro digna eſt: tantumque iam in hac voluntate permanſiſti, vt non parum in hoc honeſto itinere progreſſus ſis; nec contemnendos inde fructus decerpſeris: hoc, inquam, eſt, quod ego ſuſpicio, & magnopere mecum ipſe laudo; praeſertim cum intelligam plurimos, qui & ipſi omnibus fortunae bonis copioſè inſtructi ſunt, nullam ſuſcipere curam de meliore ſui parte ornanda; totoſque ſe in corporis voluptatibus perſequendis volutare, ipſiuſque deſiderijs turpiter ſeruire. Deus igitur immortalis faciat, quod multis de cauſis optandum eſt, vt tu diutius per publicum otium, tranquillitatemque reip. viam iſtam tenere poſſis, nec aeſtu aliquo belli, perturbationeque quietorum temporum inde abripiare, ſpero te exemplum alijs futurum verae dignitatis, gloriaeq; hoc pacto comparandae: neque enim ſolum illa militari virtute, armiſque belli quaeritur (quam laudem tu à parente acceptam, fortiſſimo viro, ſummoque duce retines, ac ſtudioſè, cum opus eſt, recolis) verum etiam pacis ſtudijs, & ſcientia honeſtarum artium paratur: cumque multi tua illuſtriſſima in familia omni tempore extiterint, qui in ea diſciplina floruerint, commendationeque Martis ad ſummos honoris gradus peruenerint, vnum aliquem aliquando in ea exoriri, qui ipſam hoc eximio bono cumulet, laudemque illi plurimam, ac decus pariat artibus Mineruae, non mediocris laus eſſet, vel potius qui vtrunque ſtudium in ſe coniungat, ac varijs temporibus è diuerſa vita, diſſimilique palaeſtra mirificè laudatus, probatuſque omnibus diſcedat. Praetereo, quòd praeclara illa laus boni ducis, atque imperatoris non parum adiuuatur ſtudijs ſapientiae, fiuntque illi in illa ſua arte meliores, & ad omne conſilium de maximis rebus capiendum paratiores, ſi muniti fuerint hac praeſtanti ſcientia; cuius rei, praeterquàm quòd id à ſummis ingenijs confirmatum eſt, documento eſſe poſſunt clariſſimi homines, qui cum exercitus duxerint, & res omni laude dignas geſſerint, magnam tamen partem aetatis conſumpſerant in ingenuis artibus tractandis, philoſophiaq; colenda. Epaminondas profectò ille Thebanus huiuſcemodi fuit, de cuius gloria militari, ampliſſimiſque victorijs non opus eſt aliquid me longius praedicare, cum illae peruagatae ſint, & vno omnium veterum ſcriptorum ore vehementer celebrentur. Is certè philoſophiae deditus fuerat, & Lyſin illum Pythagoreum audiuerat, ex cuius diſciplina plures honeſtiſſimi viri, ac ſuis ciuitatibus vtiliſſimi profecti ſunt. Xenophon quoque ex vtroque diſpari ſtudio egregiam palmam domum reportauit; de cuius itidem imperatoria laude, maximiſque rebus geſtis omnes eodem modo exiſtimarunt: quis enim neſcit, ipſius virtute, ac conſilio factum eſſe, vt non magna illa manus Graecorum militum, qui Cyrum minorem ſecuti fuerant, cum fratri Artoxerxi bellum intulit, è medio Perſarum regno, inſtantibus vndique cum magnis copijs hoſtibus, conſeruaretur, ſaluaque, & incolumis in Graeciam reduceretur? Ipſum verò in altero quoque vitae genere ſtudioſè verſatum fuiſſe, praeclara ipſius ingenij monimenta teſtantur; praeterquàm quod cum ciuis Athenienſis ille eſſet, & honeſto loco natus foret, Socraticus paſſim ab eo, vnde diſciplinam acceperat, appellabatur. Poſſem alia etiam facile exempla colligere, quibus confirmarem hoc aliàs quoque factum eſſe, & coniunctionem hanc duarum maximarum artium mirificè vtilem fuiſſe, & fructus incredibiles tuliſſe: verum, cum id probabile ſua ſponte ſit, & ſit etiam à me duobus his certiſſimis teſtimonijs conſtitutum, non arbitror oportere amplius me in eo comprobando laborare. Quare reuertar ad ſuperiorem meum finem explicandum; teque cohortandum (etſi admonitore non eges) vt in eodem honeſto itinere permaneas, quod nunc ab his hominibus, à quibus in primis frequentari debebat, magno errore horum temporum paene vacuum, ac derelictum eſt. Vnum autem ego hac aetate cognoui honeſtiſſimum virum, & cunctis fortunae donis refertum, qui, relicta conſuetudine multorum, contemptiſq;

corporis

corporis voluptatibus, quibus expleri facile potuiſſet, totum ſe ſtudijs litterarum, honeſtiſq; ne artibus colendis inuoluerat, Ioannem Caſam, ciuem meum, de cuius ingenio tu non minus bene, quàm ipſe faciam, exiſtimas, & quem tibi in hac vitae parte, de qua tecum loquor, propoſuiſti ad imitandum. Ille igitur, cum toto animo properaret ad laudem, ſemperque veram dignitatem, ac gloriam propoſitam ante oculos haberet, perfecit ea non longo vitae ſpatio, quo vixit, & eo quidem multis, varijſque occupationibus impeditus, quae vix a quopiam noſtri huius ſeculi homine effici potuiſſe videbantur: coniunxit enim in ſe, ingenij ſui magnitudine, quae numquam fere alias in alio vllo mortali omni tempore copulata ſimul fuere, oratorum, & poëtarum ſtudis, & in ambobus illis enituit, &, quod illic optari potius poteſt, quàm obtineri, perfecit, ad exitumque non ſine magna omnium admiratione perduxit; quodque magis adhuc nouum, & inauditum eſt, hanc ſingularem naturae facultatem, vel diuinam potius, non in ſuo tantum, patrioque ſermone exercuit, ſed in Latino etiam profudit, qui ſermo cum ſuos habeat, vetereſque in vtroque genere valde laudatos ſcriptores, aliquid etiam dignitatis inde aſſumpſit, ſenſitq; laudem, & ſplendorem ſuum augeri non nihil doctrina, & elegantia huius ſummi viri. Quod niſi mora eum nobis citò eripuiſſet, &, ſi ille, quae inchoauerat, abſoluere potuiſſet, quemadmodum grauitate ſententiarum, & omni ornatu orationis, nulli nouorum ſcriptorum cedit, ita copia, & multitudine librorum inferior ipſis nullo modo fuiſſet: nam de iudicio ipſius, plurimaque arte, quam ſolitus eſſet adhibere in ſcribendo, quid me oportet longius commemorare? qui enim aliquid iudicio valent, & ipſius aliquando ſcripta in manus ſumpſerunt, hoc ſtatim ita ſe habere nullo negotio cognoſcere potuerunt. Sed nimis multa fortaſſe nunc de hoc, quem hoc tempore non ſtatui commendare, ac veris laudibus in caelum ferre. Sed cuncta tamen (vt opinor) apte, atque opportune: volui enim exemplo huius optimi ac prudentiſſimi viri iudicium tuum confirmare; qui & ipſe, quod tu magno animi ardore facis, menti excolendae omnibus viribus, atque opibus incubuit, nec putauit diuitijs, ac reliquis externis bonis vti oportere in corporis libidinibus ſatiandis, ſed hanc paenè deſertam viam a ſui generis hominibus coluit, ac celebrauit. Non poſſum igitur te quoque non magnopere laudare, qui huius animi ſis, vt cetera omnia prae virtute ac dignitate contemnas, paruique omnino ducenda eſſe putes: &, quemadmodum initio ſtatim demonſtraui, cum ſaepè, ac multùm mecum de hoc praeclaro conſilio tuo cogitarim, & cum communibus amicis accuratè locutus fuerim (in quibus primum locum tenet nobiliſſimus, ac ſpectatiſſimus iuuenis, Bartholomaeus Valorius, qui te plurimum amat, &, vt ipſe ab omnibus ametur, dignus eſt) non potui mihi temperare, quin ſemel ijs etiam, qui alibi viuunt, hoc iudicium meum notum facerem, ac monimentis litterarum mandarem. Te vero in bonam partem id accepturum ſpero, nec me vllo pacto accuſaturum, quod, quaſi in os te laudauerim, aut ſtimulo aliquo te egere in eo, quod toto pectore contendis, perſequendo exiſtimauerim: neque enim hoc me mouit, nec huiuſcemodi aliquid, quum calamum ſumpſi, mihi in mentem venit, ſed (vt ſaepe dixi) animo meo, & voluntati egregiae erga te non aliquando ſatisfacere non potui. Vale, ac me, ſummum amatorem tuum, (ſi mereor) pari amore proſequere. Florent. IX. Kal. Mart. CIↃ IↃ LXIII.

PETRVS VICTORIVS
Annibali Oricellario. S.

QVod mihi, ſuauiſſime Annibal, onus impoſuiſti, quamuis ſua ſponte magnum fuerit, numquam tamen graue mihi duxi: libenter enim id tuli, & in ſingulis ipſius partibus tractandis voluptatem non paruam inueni: nam, quod in primis alicui moleſtum eſſe potuiſſet, dubiumque ipſum habere, an edi haec ſcripta oporteret, mihi negotium non exhibuit, nec vllam in partem ſuſpenſum me tenuit: iampridem enim mecum ſtatueram tectum hoc eſſe, dolebamque potius tam ſero id fieri; ac de re, quae ſcrupulum non magnum in ſe haberet, tantopere deliberari. Impulit autem me in hanc mentem, fecitque, vt certi prorſus animi eſſem de omni hoc facto, iudicium, quod olim feceram de ingenio, doctrinaque huius eximij viri, in quo me ſocios comiteſq; multos habere praeclare intelligebam, qui & ipſi exiſtimabant, nihil limatius, ac politius his monimentis inueniri poſſe: nihil auctoris ingenio acutius, perfectiuſque. Quos certe fructus antea admirabilis naturae ipſius videram: videram autem multos; hanc profecto

ſecto opinionem de illo in animo meo excitarant. Poſſem autem multa de ſummo ingenio huius hominis, infinitaque cura, quam in hoc genere ſcriptorum poneret, vere praedicare, quae me ab omni reprehenſione, culpaque temeritatis (vt opinor) vindicarent, atque id non tam vt me tibi, cui haec omnia nota & perſpecta ſunt, quam vt alijs omnibus purgarem. Sed, cum res in eum locum iam venerit, vt cuncti mortales ex his praeclaris monimentis ſpecimen aliquod capere illarum rerum facile poſſint, vel potius perfecte de ipſis exiſtimare, iudicia ipſorum non praeoccupabo; nec crimen arrogantiae ſubibo. de his ſolum alienis ſcriptis illud ex animo pronuntiabo, quod M. Cicero aliquando de ſuo quodam libro, quem valde probabat, ac perfectum vndique eſſe arbitrabatur, in epiſtola quadam ſcripſit; me non recuſare, ſi forte aliter, quam ego ſentiam, de illis aliquando exiſtimatum fuerit, quin quantum de his libris, tantundem de mei iudicij fama (ſi vlla ipſa eſt) detrahatur. Nam non parui etiam ponderis, vt hoc ſecuro animo facerem, apud me fuit, quod videbam hos viros his ſcriptis ſempiternae memoriae commendatos, quorum laudem ac gloriam libenter omnes probi & honeſti homines audituri eſſent, ac ſiquid etiam maculae ac vitij aſperſum foret in eorum ſplendore, decoreque illuſtrando, ipſum illos dignitate eorum captos, & iucunditate illa perfuſos, non animaduerſuros: improbum vero fuiſſet, ac nefarij ſceleris profecto ſimile, tam praeclarum argumentum occultare, ac vitam horum honeſtiſſimorum virorum perpetuis tenebris dicare: quamuis enim ingenti ipſorum virtuti ſcriptores deeſſe potuiſſe non videantur, non tamen (niſi fallor) facile parem huic noſtro, & iudicio, & facultate dicendi, praeconem illa inueniſſet. Quod vero pertinet ad labores, quos magnos varioſque ſuſtinui, vt liber purgatus & ab omni macula vacuus exiret, omnemque ego hanc moleſtiam indignitatemque deuoraui, vt amici hominis laudi honorique ſeruirem; nec vmquam odioſos mihi labores illos eſſe cognoui: non modo enim ipſos grata memoria ſodalis condiuit, ſed omnem penitus inde triſtitiam amaroremque depulit. Leuauit quoque non nihil hunc meum laborem, quod eodem tempore me gratum tibi facturum eſſe cognoui, quem etiam perſpexi eidem rei toto animo ſtudere, ac curare quanta maxima diligentia poſſes, vt haec affinis tui monimenta integra prodirent; in quo ego officium hoc tuum vel pietatem potius, vehementer laudo: ac maius quidem te in illum beneficium contuliſſe iudico, cum memoriam ipſius ita viuam tenueris, quam ſi illum in vitam reuocaſſes: cum enim ille mortalis natus eſſet, neceſſario non multo poſt extinctus fuiſſet; haec autem (vt ſpero) aeterna erunt, & nulla iniuria temporis, vetuſtateque delebuntur. Remitto igitur ad te librum excuſum, & iam communem omnium, publicumque factum, qui prius tuus priuatuſque erat, vel potius magis nunc, quam vmquam, tuum, cum ornet plurimum, atque omni dignitate augeat eum, qui tibi auunculus fuit, ac veris proprijſque ipſius laudibus celebret, non ſuſpectis & aliunde, vt ſaepe contingit, aſcitis: quin autem redundet quoque in te aliquid huius gloriae, dubitandum non eſt; neque etiam parui illud aeſtimandum. Gaude igitur non parum eximio hoc tuo ac praeſtanti bono, contigiſſeque tibi in vita cum alijs multis animi & fortunae donis, vt naſcerere è ſorore huius praeclari viri, &, ſi es tuo nomine nobiliſſimus, non mediocri tibi laudi ducito, praeſtatoque te dignum, vt facis, tanta ſanguinis, égregiaeque virtutis coniunctione; quin certe te ille plurimum amarit, & ſumma cura ſtudioque mores ingeniumque tuum expoliuerit, dubium non eſt. Sed haec non ſunt huius temporis: Illud magis addendum eſt, & ipſo tota haec epiſtola concludenda. Gratum admodum, acceptumque mihi munus tuum fuiſſe, praeclariſſimum, honeſtiſſimumque munerum omnium, exiſtimareque me beneficio hoc valde honorem meum creuiſſe, poſtquam; de quo tecum prius ſedulo egeram, efficere noluiſti, vt perſonam aliquam tanto dono digniorem inuenires: ſatis enim me, ſatiſque teſtimonijs ipſius crebris in hoc volumine ornatum putabam; ac mihi aliquo modo aeternitatem partam rebar. Nam conſuetudinem illam antiquorum Graecorum non improbo, quam tu in tuis litteris attigiſti. vnde memoriae proditum eſt, quendam ex illis, ſapientiae ſtudioſum, habitum fuiſſe eo tempore contumacem, qui nullum vmquam ſuum opus ad principem aliquem virum miſerit, cum multa praeclare ſcripſiſſet, quaſi eos contempſerit, & illo honore indignos putarit. Romani vero ſcriptores illi veteres: & qui floruere ante, quam reſp. in vnius poteſtatem caderet, hoc non faciebant, neque inſtitutum illud ſeruabant, quia maiores nullos ſe, aut opulentiores habebant: quare ad amicos, familiareſque ſuos hoc traducebant, quos tu imitari voluiſti, cum tamen contra hac aetate magna copia ipſorum ſit. Sed poſtquam tu affirmas hoc etiam in mentem auctori ipſi veniſſe, vt me huiuſcemodi aliquo munere honeſtaret, non poſſum id, vt cetera ipſius omnia conſilia, factaque non magnopere laudare; eoque nomine immortales tibi gratias agere. Vale. Florent. IIII. Id. Iun. CIↃ IↃ LXIIII.

PETRVS

PETRVS VICTORIVS Lectori. S.

NON putaui alienum, humaniſsime lector, de non nullis te admonere, quae tibi cognita eſſe oportet initio huius noui operis perlegendi; non tam noſtri muneris ornandi cauſa, & auctoris ipſius celebrandi, quam, vt laborem tuum leuem, & inſtruam te ita, vt rectius iudicare de omnibus his paruis ingenij magni monimentis poſsis: praeſertim autem ijs ipſorum partibus, in quibus quippiam ignoratum, aut exiſtimationi ipſius labis aliquid adportare, aut ſenſum animi tui impedire poſſet, diligentius id faciam. Nam quaedam ſunt, quae nulla mea opera egent; nec ſuſpenſum te vllo pacto tenere poſſunt, quia non minus ipſe quam ego, ſtatim vt legeris, percipies, cuiuſmodi illa ſint, & quantum ipſis tribui debeat. Haec autem ſunt; primum carmina, quae primum etiam locum obtinuerunt. Illa vero varijs teporibus condita fuere: quamuis maiorem ipſorum partem ſcripſerit poſtremis vitae ſuae annis, cum ſe in Euganeos montes abdidiſſet, receſſumque illum coleret, in quo non paruo temporis ſpatio bene beateque vixit: nam & multo melius illic, quam alibi vmquam, valuit, & totum ſe litteris ſcriptionibuſque inuoluit; vnde ſi ſe auelli paſſus non eſſet, & viuum adhuc eum ſuperſtitemque haberemus, & volumen hoc plenius, copioſiuſque manibus tereremus. Sed multo plus apud eum conſilia aliorum valuerunt, quam verum ipſius iudicium, quod fecerat de fortunae varietate, inconſtantiaque rerum humanarum; quae non ſatis prudentia conſilia inuitum ipſum illinc retraxerunt, & quaſi de ſtatu mentis deiecerunt. Huius autem animi ipſius teſtis ego (vt opinor) non omnino leuis eſſe poſſum, qui cum eo illo ipſo tempore totum paene diem locutus ſum in itinere: cum ille, pontificijs litteris euocatus, Flaminia via Romam proficiſceretur: occurri autem ipſi Piſauri: viſus enim mihi eſt, non valde ſecuri animi fuiſſe de euentu illius conſilij, doluitque, ſibi inuito, ac recuſanti extortam fuiſſe bonam mentem, in qua manendum ſibi eſſe, quod reliquum erat vitae, ſecum deliberauerat. Quod ſequitur in editione hac, pertinetque ad vitam noſtram informandam, & multis grauibuſque moleſtijs liberandam, multo prius ab ipſo ſcriptum fuerat; cumque illud ſaepe Romae lectum & ponderatum eſſet ab eruditis & ingenioſis viris, quorum in ea vrbe omni aetate magna copia fuit, ſemper eorum iudicijs maxime probatum fuit, & ſummis laudibus in caelum ſublatum, & propter orationis elegantiam, & propter ſententiarum grauitatem, totiuſque illius diſputationis acumen & ſubtilitatem. Vita praeterea Petri Bembi, in qua ille litteris mandanda multum laborauit, vt amici hominis, & qui in iiſdem ſtudijs, quibus ipſe deditus erat, totus occupatus fuerat, atque in ipſis vitam cum ſumma laude conſumpſerat: (quamuis in ipſa nihil amicitiae dederit, & omnia ſumma cum fide vereque expoſuerit) perfecta ab eo, expolitaque fuit. Contareni vero vita, numquam ſatis laudati hominis, quamuis omnes graues & honeſti viri in eius doctrina, probitate, caſtitate, prudentia, pietate erga Deum celebranda inter ſe contendere videantur, non omnes numeros abſolutionis aſſecuta eſt, neque extremam auctoris manum obtinuit: vt, quemadmodum ille vir integer, & vndique perfectus abſolutuſque fuerat, ita etiam libellus, qui vitam ipſius explicat, & cuncta hominis conſilia factaque memoriae prodit, nulla parte mancus debiliſque foret. Inuidiſſe igitur tantae ipſius gloriae aliquo modo fortuna viſa eſt, nec paſſa fuiſſe, vt quemadmodum in huius ſummi viri vita nihil labis aut culpae ineſſet, ita etiam omnis macula notaque ab his politiſſimis ſcriptis abeſſet: quanto magis autem illa fini extremoque propinqua eſt, tanto magis rudis inchoataque eſt; quod ijs omnibus, qui legent, cognitum eſſe debere exiſtimaui; ne ſiquid forte illic incuriae vitijque aliquando oſtendatur, illud auctori aſſignetur; ipſiuſque inſcitia aut negligentia commiſſum eſſe credatur: nemo enim eſt ſcriptor eruditus, laudiſque alicuius & gloriae cupidus, qui non diligenter ſua ſcripta relegat, ac nouo quodam ſtudio, laboreque ſuo illa purgare ac nitidiora reddere conetur; cum hic noſter inprimis in ea re diligens accuratuſque foret, & plurimum ſtudij in ſuis omnibus laboribus emendandis adhiberet, quod morte praeuentus, aut ſubitis magniſque occupationibus inde abreptus, praeſtare in eo, quod maxime ornare & omni virtute expolire cupiebat, non potuit; cum argumentum ex ſententia nactus eſſet, & quod omnem ornatum lumenque orationis ſuſtineret: patet autem, quanto animi ardore aggreſſus hoc ſit, & quale quaſi veſtibulum aditumque huius praeclari operis ſtruxerit. Reſtat nunc, in quo maior adhuc ſcrupulus, mea ſententia, eſt: quodque magis me ſollicitat honoris cauſa huius praeſtantiſſimi

viri

viri labor, quem poſuit in vertendis in Latinum ſermonem contionibus Thucydidis: cum enim ſemper arduum eſſe ac difficile exiſtimauerim conuertere aliquid e Graecis ſcriptoribus (ſiquis recte & cum mediocri etiam laude munus hoc obire velit: nam, vt pleriqne hoc faciunt, qui nullo ornatu adhibito, nullo ſelectu verborum, nullo iudicio, quoquo modo ſententias expreſsiſſe contenti ſunt; ſi hoc etiam ipſum praeſtare poſſent, nihil eſt tam procliue & paratum) in primis ſemper durum & laborioſum putaui attingere hunc ſcriptorem, & aliquam ipſius partem in alium quempiam ſermonem comportare: contiones vero has propter obſcuritatem ſententiarum, orationiſque breuitatem, ne dicam aſperitatem & duritiem, maiorem adhuc moleſtiam in ſe continere non ſine cauſa (vt arbitror) credidi. Et tamen hic noſter tot tantiſque difficultatibus deterritus non eſt, ſperauitque, ſe poſſe ſtudio & diligentia ſua ipſas ſuperare, vel potius ingenij & induſtriae ſuae periculum facere voluit; experirique, vt fuit ſemper auidus verae laudis ac gloriae, an ex hoc quaſi certamine honeſte diſcedere poſſet, & tamquam palmam inde domum reportare: nihil enim ſibi vmquam facile pronumque propoſuit, ſed ſemper cum ijs, qui ſummum locum in qualibet laude tenent, contendendum putauit, & aliquos etiam ipſorum fortaſſe vicit & omni honore ſpoliauit: hoc enim verius eſſe puto; cum compertum habeam, maiorem partem horum laborum ab ipſo exercitationis cauſa fuiſſe ſuſceptam, cum maiora quaedam meditaretur, ac doctrina ingenioque ſuo digniora; ipſas tamen quoque edendas putaui, magis vtilitatis aliorum cauſa, quam illius ipſius decorandi, qui multum operae ac diligentiae in ipſis poſuit, quippe cum nihil, temptatum ab ipſo, iudicem negligendum; huiuſcemodique, vt nullum fructum ferre poſsit ſtudioſis, habendum. nec tamen hoc quoque (vt apparet) opus abſoluit: nam conatum hunc magnum ingenij ipſius ſummam laudem inuenturum fuiſſe, ſi exitum habuiſſet, dubitandum non eſt: feciſſe enim, vt prudentiſsimi grauiſsimiq; ſcriptoris orationes ſubtiliſsimae & magnorum conſiliorum pleniſsimae, eleganter & erudite ſcriptae, ab ijs etiam legi poſſent, qui illius ipſius ſermonis, quo primum ſcriptae fuere, rudes & expertes omnino ſunt: ac ne nunc quidem, etſi omnes illae expreſſae non ſunt, dici poteſt id non aliquo modo praeſtitiſſe, vel prope ſaltem ad id ipſum acceſſiſſe: qui enim primi ad rem aliquam arduam aggrediuntur, rationemque illius laboris ſuperandi ac viam monſtrant, ij aliquo modo illius negotij, difficiliſque operis confectores haberi & appellari poſſunt. Siqui autem extiterint, qui in aliquibus locis ab hoc noſtro interprete diſſentiant, atque alium fuiſſe ſenſum auctoris, quam qui ab ipſo expreſſus eſt, contendant, ij meminiſſe debebunt, ſemper habitas eſſe has orationes obſcuriſsimas, & ijs etiam temporibus, quibus ſermo Graecus vigebat, & hic luculentus ſcriptor in manibus diſertorum erat, negotium ipſas faceſſere ſolitas ijs, qui ipſas accurate legerent; quippe cum M. etiam Cicero ita de illis exiſtimauerit, & hoc ſuum iudicium monimentis litterarum mandarit: cum enim Thucydidem ipſum magnopere laudaſſet, quamuis, contra ſententiam quorundam, oratori nullo modo vtilem, nec forenſi generi dicendi accommodatum affirmaſſet, haec addidit. Ipſae illae contiones ita multas habent obſcuras abditaſque ſententias, vix vt intelligantur. Si igitur tanta caligo ipſas ſemper texit, vt vix luminibus penetrari ad multas partes ipſarum eo quoque tempore potuerit, quid mirum, ſi nunc, in maiore multo harum rerum caecitate, diuerſa ingenia, & ea quidem acuta & valde exercitata, diuerſos ſenſus inde eliciunt, & aliqua opinionum varietate diſtrahuntur? Nam iudicium huius noſtri auctoris nullo modo arbitror contemnendum, cum ſit notum omnibus & exploratum, quanta fuerit acies ingenij illius, & quantam curam diligentiamque ille adhibere ſit ſolitus in ijs omnibus, quae litteris prodebat, & in manus eruditorum peruentura videbat. praeter quam quod, cum ille natura conſuetudineque factus eſſet ad res magnas publicaſque & cogitandas & adminiſtrandas, multo melius ad occultos hos reconditoſque ſenſus peruenire poterat, quam qui numquam in re publica gubernanda adnerſatus eſſet: nec vllo tempore cogitationem aliquam talis hominis propriam ſuſcepiſſet. conſideret demum ſecum, ſi forte ipſe antea hoc opus aggreſſus eſſet, quam ſaepe multumq; ſecum dubitaturus fuiſſet, & non in paucis fortaſſe locis haeſurus, vt humanius clementiuſque poſtea de ſcriptis aliorum iudicet: nã hoc in primis genus exercitationis expoſitum eſſe vocibus maleuolorum, & facile ab obtrectatoribus reprehendi accuſarique poſſe, omnes nouerunt: nulli enim adhuc in hoc negotio ita felices fuerunt, vt non incurrerint in maledicta inuidorum; inueneriutque aliquos, qui ex eorum erroribus laudem ſibi comparare ſtuduerint. Sed hoc relicto, in quo ille aut vacuus eſt ab hoc omni periculo, maloque, aut ſiqua illic offenſio eſt, noſtra eſt, qui ea, quae ipſe animi cauſa exercitationiſque ſtudio ſcripſerat, edere, & in manus doctorum hominum tradere voluimus; cum ſciamus ipſum plures epiſtolas ſumma elegãtia & eruditione refertas varijs temporibus ſcripſiſſe, paucas tantum, quas ederemus, inuenire potuimus; cum bona pars illarum aut amiſſa ſit, aut vnà cum alijs quibuſdam ipſius diuerſi generis

PETRVS VICTORIVS Lectori. S.

NON putaui alienum, humaniſsime lector, de non nullis te admonere, quae tibi cognita eſſe oportet initio huius noui operis perlegendi; non tam noſtri muneris ornandi cauſa, & auctoris ipſius celebrandi, quam, vt laborem tuum leuem, & inſtruam te ita, vt verius iudicare de omnibus his paruis ingenij magni monimentis poſſis: praeſertim autem ijs ipſorum partibus, in quibus quippiam ignoratum, aut exiſtimationi ipſius labis aliquid adportare, aut ſenſum animi tui impedire poſſet, diligentius id faciam. Nam quaedam ſunt, quae nulli mea opera egent; nec ſuſpēſum te vllo pacto tenere poſſunt, quia non minus ipſe quam ego, ſtatim vt legeris, percipies, cuiuimodi illa ſint, & quantum ipſis tribui debeat. Haec autem ſunt; primum carmina, quae primum etiam locum obtinuerunt. Illa vero varijs tēporibus condita fuere: quamuis maiorem ipſorum partem ſcripſerit poſtremis vitae ſuae annis, cum ſe in Euganeos montes abdidiſſet, receſſumque illum coleret, in quo non paruo temporis ſpatio bene beateque vixit: nam & multo melius illic, quam alibi vmquam, valuit, & totum ſe litteris ſcriptionibuſque inuoluit; vnde ſi ſe auelli paſſus non eſſet, & viuum adhuc eum ſuperſtitemque haberemus, & volumen hoc plenius, copioſiuſque manibus teneremus. Sed multo plus apud eum conſilia aliorum valuerunt, quam verum ipſius iudicium, quod fecerat de fortunae varietate, inconſtantiaque rerum humanarum; quae non ſatis prudentia conſilia innitum ipſum illinc retraxerunt, & quaſi de ſtatu mentis deiecerunt. Huius autem animi ipſius teſtis ego (vt opinor) non omnino leuis eſſe poſſum, qui cum eo illo ipſo tempore totum paene diem locutus ſum in itinere: cum ille, pontificijs litteris euocatus, Flaminia via Romam proficiſceretur: occurri autem ipſi Piſauri: viſus enim mihi eſt, non valde ſecuri animi fuiſſe de euentu illius conſilij, doluitque, ſibi inuito, ac recuſanti extortam fuiſſe bonam mentem, in qua manendum ſibi eſſe, quod reliquum erat vitae, ſecum deliberauerat. Quod ſequitur in editione hac, pertinetque ad vitam noſtram informandam, & multis grauibuſque moleſtijs liberandam, multo prius ab ipſo ſcriptum fuerat; cumque illud ſaepe Romae lectum & ponderatum eſſet ab eruditis & ingenioſis viris, quorum in ea vrbe omni aetate magna copia fuit, ſemper eorum iudicijs maxime probatum fuit, & ſummis laudibus in caelum ſublatum, & propter orationis elegantiam, & propter ſententiarum grauitatem, totiuſque illius diſputationis acumen & ſubtilitatem. Vita praeterea Petri Bembi, in qua ille litteris mandanda multum laborauit, vt amici hominis, & qui in ijſdem ſtudijs, quibus ipſe deditus erat, totus occupatus fuerat, atque in ipſis vitam cum ſumma laude conſumpſerat: (quamuis in ipſa nihil amicitiae dederit, & omnia ſumma cum fide vereque expoſuerit) perfecta ab eo, expolitaque fuit. Contareni vero vita, numquam ſatis laudati hominis, quamuis omnes graues & honeſti viri in eius doctrina, probitate, caſtitate, prudentia, pietate erga Deum celebranda inter ſe contendere videantur, non omnes numeros abſolutionis aſſecuta eſt, neque extremam auctoris manum obtinuit: vt, quemadmodum ille vir integer, & vndique perfectus abſolutuſque fuerat, ita etiam libellus, qui vitam ipſius explicat, & cuncta hominis conſilia factaque memoriae prodit, nulla parte mancus debiliſque foret. Inuidiſſe igitur tantae ipſius gloriae aliquo modo fortuna viſa eſt, nec paſſa fuiſſe, vt quemadmodum in huius ſummi viri vita nihil labis aut culpae ineſſet, ita etiam omnis macula notaque ab his politiſſimis ſcriptis abeſſet: quanto magis autem illa fini extremoque propinqua eſt, tanto magis rudis inchoataque eſt; quod ijs omnibus, qui legent, cognitum eſſe debere exiſtimaui; ne ſiquid forte illic incuriae vitijque aliquando offendatur, illud auctori aſſignetur, ipſiuſque inſcitia aut negligentia commiſſum eſſe credatur: nemo enim eſt ſcriptor eruditus, laudiſque alicuius & gloriae cupidus, qui non diligenter ſua ſcripta relegat, ac nouo quodam ſtudio, laboreque ſuo illa purgare ac nitidiora reddere conetur; cum hic noſter in primis in ea re diligens accuratuſque foret, & plurimum ſtudij in ſuis omnibus laboribus emendandis adhiberet, quod morte praeuentus, aut ſubitis magniſque occupationibus inde abreptus, praeſtare in eo, quod maxime ornare & omni virtute expolire cupiebat, non potuit; cum argumentum ex ſententia nactus eſſet, & quod omnem ornatum lumenque orationis ſuſtineret: patet autem, quanto animi ardore aggreſſus hoc ſit, & quale quaſi veſtibulum aditumque huius praeclari operis ſtruxerit. Reſtat nunc, in quo maior adhuc ſcrupulus, mea ſententia, eſt: quodque magis me ſollicitat honoris cauſa huius praeſtantiſſimi

viri labor,quem poſuit in vertendis in Latinum ſermonem contionibus Thucydidis: cum enim ſemper arduum eſſe ac difficile exiſtimauerim conuertere aliquid e Graecis ſcriptoribus (ſiquis recte & cum mediocri etiam laude munus hoc obire velit: nam, vt plerique hoc faciunt,qui nullo ornatu adhibito, nullo ſelectu verborum, nullo iudicio,quoquo modo ſententias expreſsiſſe contenti ſunt; ſi hoc etiam ipſum praeſtare poſſent, nihil eſt tam procliue & paratum) in primis ſemper durum & laborioſum putaui attingere hunc ſcriptorem,& aliquam ipſius partem in alium quempiam ſermonem comportare: contiones vero has propter obſcuritatem ſententiarum ,orationiſque breuitatem , ne dicam aſperitatem & duritiem , maiorem adhuc moleſtiam in ſe continere non ſine cauſa (vt arbitror) credidi. Et tamen hic noſter tot tantiſque difficultatibus deterritus non eſt, ſperauitque, ſe poſſe ſtudio & diligentia ſua ipſas ſuperare, vel potius ingenij & induſtriae ſuae periculum facere voluit; experirique, vt fuit ſemper auidus verae laudis ac gloriae, an ex hoc quaſi certamine honeſte diſcedere poſſet, & tamquam palmam inde domum reportare: nihil enim ſibi vmquam facile pronumque propoſuit, ſed ſemper cum ijs, qui ſummum locum in qualibet laude tenent, contendendum putauit, & aliquos etiam ipſorum fortaſſe vicit & omni honore ſpoliauit: hoc enim verius eſſe puto; cum compertum habeam, maiorem partem horum laborum ab ipſo exercitationis cauſa fuiſſe ſuſceptam, cum maiora quaedam meditaretur, ac doctrina ingenioque ſuo digniora; ipſas tamen quoque edendas putaui,magis vtilitatis aliorum cauſa,quam illius ipſius decorandi,qui multum operae ac diligentiae in ipſis poſuit,quippe cum nihil, temptatum ab ipſo, iudicem negligendum; huiuſcemodique,vt nullum fructum ferre poſsit ſtudioſis,habendum. nec tamen hoc quoque (vt apparet) opus abſoluit: nam conatum hunc magnum ingenij ipſius ſummam laudem inuenturum fuiſſe, ſi exitum habuiſſet, dubitandum non eſt:feciſſe enim, vt prudentiſsimi grauiſsimiq; ſcriptoris orationes ſubtiliſsimae & magnorum conſiliorum pleniſsimae, eleganter & erudite ſcriptae, ab ijs etiam legi poſſent, qui illius ipſius ſermonis,quo primum ſcriptae fuere,rudes & expertes omnino ſunt: ac ne nunc quidem, etſi omnes illae expreſſae non ſunt,dici poteſt id non aliquo modo praeſtitiſſe,vel prope ſaltem ad id ipſum acceſſiſſe:qui enim primi ad rem aliquam arduam aggrediuntur,rationemque illius laboris ſuperandi ac viam monſtrant,ij aliquo modo illius negotij, difficiliſque operis confectores haberi & appellari poſſunt. Siqui autem extiterunt, qui in aliquibus locis ab hoc noſtro interprete diſſentiant,atque alium fuiſſe ſenſum auctoris,quam qui ab ipſo expreſſus eſt,contendant, ij meminiſſe debebunt, ſemper habitas eſſe has orationes obſcuriſsimas, & ijs etiam temporibus,quibus ſermo Graecus vigebat, & hic luculentus ſcriptor in manibus diſertorum erat, negotium ipſas faceſſere ſolitas ijs, qui ipſas accurate legerent; quippe cum M. etiam Cicero ita de illis exiſtimauerit,& hoc ſuum iudicium monimentis litterarum mandarit:cum enim Thucydidem ipſum magnopere laudaſſet,quamuis,contra ſententiam quorundam,oratori nullo modo vtilem, nec forenſi generi dicendi accommodatum affirmaſſet, haec addidit. Ipſae illae contiones ita multas habent obſcuras abditaſque ſententias, vix vt intelligantur. Si igitur tanta caligo ipſas ſemper texit,vt vix luminibus penetrari ad multas partes ipſarum eo quoque tempore potuerit, quid mirum, ſi nunc, in maiore multo harum rerum caecitate,diuerſa ingenia,& ea quidem acuta & valde exercitata, diuerſos ſenſus inde eliciunt, & aliqua opinionum varietate diſtrahuntur? Nam iudicium huius noſtri auctoris nullo modo arbitror contemnendum,cum ſit notum omnibus & exploratum,quanta fuerit acies ingenij illius, & quantam curam diligentiamque ille adhibere ſit ſolitus in ijs omnibus, quae litteris prodebat, & in manus eruditorum peruentura videbat. praeter quam quod,cum ille natura conſuetudineque factus eſſet ad res magnas publicaſque & cogitandas & adminiſtrandas,multo melius ad occultos hos reconditoſque ſenſus peruenire poterat,quam qui numquam in re publica gubernanda aduerſatus eſſet: nec vllo tempore cogitationem aliquam talis hominis propriam ſuſcepiſſet. conſideret demum ſecum, ſi forte ipſe antea hoc opus aggreſſus eſſet,quam ſaepe multumq; ſecum dubitaturus fuiſſet,& non in paucis fortaſſe locis haeſurus, vt humanius clementiuſque poſtea de ſcriptis aliorum iudicet: nã hoc in primis genus exercitationis expoſitum eſſe vocibus maleuolorum,& facile ab obtrectatoribus reprehendi accuſarique poſſe,omnes nouerunt:nulli enim adhuc in hoc negotio ita felices fuerunt,vt non incurrerint in maledicta inuidorum; inuenerintque aliquos,qui ex eorum erroribus laudem ſibi comparare ſtuduerint. Sed hoc relicto,in quo ille aut vacuus eſt ab hoc omni periculo,maloque, aut ſiqua illic offenſio eſt, noſtra eſt, qui ea, quae ipſe animi cauſa exercitationiſque ſtudio ſcripſerat,edere, & in manus doctorum hominum tradere voluimus;cum ſciamus ipſum plures epiſtolas ſumma elegãtia & eruditione refertas varijs temporibus ſcripſiſſe,paucas tantum,quas ederemus,inuenire potuimus: cum bona pars illarum aut amiſſa ſit, aut vnà cum alijs quibuſdam ipſius diuerſi generis

ſcriptis cuſtodiatur, quae in his locis collocata ſunt, vt his temporibus commode tractari, inueſtigarique non potuerint. Nam doctam illam & grauem epiſtolam, ſi tamen epiſtola ipſa appellanda eſt, quae ante hiſtoriam Petri Bembi ſine nomine iam excuſa fuerat, putaui auctori reſtituendam: quod enim ipſum tunc mouit, poſtquam vt ſcriberet eam coactus eſt, ne cuius eſſet eo tempore intelligeretur (noluit enim exiſtimari nimis honoris cupidus, ſi ſuum nomen in fronte alieni operis, & illius quidem valde illuſtris & clari, adfixiſſet; nec ſuae dignitatis id eſſe vllo pacto arbitrabatur) cum incommodi nihil nunc gignere poſſit, non putaui attendendum: contra enim hoc tempore nulli alij rei ſtudetur, niſi vt quantum fuerit ingenium hominis ab omnibus intelligatur, atque ita ope horum monimentorum viuum ipſum celebreque contra tenebras mortis vetuſtatemque teneatur: quare non putaui partum illum eſſe negligendum, qui & ipſe meo iudicio ad nomen ipſius celebrandum valde aptus eſt: quod autem narraui, verum eſſe nouit cuncta illa nobilis & beata ciuitas. Si ipſae igitur, quae adhuc latent & abditae ſunt, & haec, quae reddita ipſi eſt, colligi potuiſſent, non parum (vt arbitror) volumen hoc auxiſſent, & vtilitatem etiam non paruam ijs, qui legerent, attuliſſent. Idem etiam accidit de alijs non nullis, quae praeclare inchoauerat, vt alia de cauſa, quia ſcilicet plane perfecta non ſunt, ipſa coniungi cum his non potuerint, & ſpecimen quoque & ipſa dare cum reliquis magni ingenij, ſingulariſque doctrinae huius ſummi viri. Sed multo maior iactura fuit, quod ipſe mature extinctus eſt, qui non ſolum haec, quae inſtituerat, abſoluere & expolire potuiſſet, verum etiam alia maiora multo & grandiora conficere; quod ipſe, vt iam dictum a me eſt, & multis quoque notum, tota mente cogitabat, & magna cupiditate huius eximij operis efficiendi ardebat: is enim profecto fuit, & tali ingenio praeditus is vir, vt, ſi diutius vixiſſet, gloriam omnium, qui inferiore hac aetate vixerunt, omni genere ſuorum ſcriptorum, non ſolum adaequaturus, verum etiam ſuperaturus eſſet. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Cynthio Ioanni Baptiſtae Gyraldo. S.

ACCEPI litteras tuas, vir optime, meique ſtudioſiſſime, plenas amoris, ac ſuauitatis cuiuſdam incredibilis, quae me laetitia plane refertſerunt: delectatus enim ſum magnopere, quum vidi, te mei memoriam firmam in animo retinere: poſtquam enim me ſemel, nullo meo merito, diligere coepiſti, ſemper amor ille tuus in me auctus eſt, non ſolum cuſtoditus, & nullo interuallo temporis, aut intermiſſione litterarum deminutus. Quod profecto natum eſt à probitate animi tui, humanitateque ſingulari; cuius etiam rei certum argumentum eſt in his tuis litteris, quod honeſtos omnes, ac doctos viros, de quibus loqueris, valde probas, ac magnis laudibus in caelum fers; id quod non multi hoc tempore facere conſuerunt, qui exiſtimant, quantum alienae dignitati à ceteris tributum ſit, ſuae demptum, ne dum ipſi hoc munere fungi velint, dotem aliquam ingenij in alio poſitam celebrandi, ac teſtimonio ſuo augendi. Amo igitur naturam iſtam tuam, ac toto animo recipio beneuolentiam ingentem erga me, cui compenſandae quomodo par eſſe poſſim, non video. Si tamen aliquo modo vnquam potuero, dabo operã, ne penitus partes meae in hoc officio deſiderentur: tu vero animo tuo ſincero, & nulla inuidia ſuffuſo, gaudeto, & è tanto tamque praeſtanti bono veros vbereſque fructus capito. Conſilium autem, quod cepiſti, laudo, ac nihil melius pro re nata, te facere potuiſſe arbitror; contuliſti enim te ad Principem humaniſſimum, ac bonarum omnium artium cupidiſſimum (vt maiores eius & illuſtriores laudes nunc taceam) quis enim neſcit ipſum vndique euocare ad ſe, magnis propoſitis praemijs, doctiſſimos quoſque & honeſtiſſimos viros, atque ipſos omni amore ac beneuolentia proſequi? in quo coetu eruditorum hominum, & omni genere ſcientiae inſtructorum, cum tu honeſtum locum teneas, & ſingulis horis cum illis de ſtudijs litterarum familiariter loquaris, cur non contentus iſtic viuere debeas, ac te in μακάρων νήσοις poſitũ eſſe putare: quae enim vita magis remota eſt ab omni perturbatione? quae magis omni liquida puraq; voluptate referta eſt? quod eo magis cognoſcere, ac verum eſſe intelligere potes, quia in altera illa magnas moleſtias, perpetuaſq; animi ſollicitudines expertus es, ortas ex contẽtione, & parum grato animo (vt ais) eius, quem erudieras, & quem omni humanitate, ac morum elegantia expolire conatus fueras; quae ſollicitudines te diu vexarũt, & omni vitae fructu iucunditateq; priuarunt,

priuarunt. Si huc acceſsiſſes, quod tibi in mentem aliquando veniſſe narras, ego omni, quo potuiſſem, officio te proſecutus eſſem, nec ſolum ego, qui iam diu te amaui, ac totum in animum meum recepi, verum etiam ceteri omnes, qui in hac vrbe ingenuis artibus delectantur, apud quos nomen tuum clarum eſt propter multa valde pulchra ingenij tui monimenta, & Princeps noſter (vt opinor) te eo loco habuiſſet, quem virtus tua, & magnus vſus rerum, requirit. Arnoldus Arlenius, qui (vt video) tibi multa de mea vita ac moribus praedicauit, eſt vir probus, & natura [illegible]: quare, vt ingenium eſt talium hominum, auxit ille plus fortaſſe, quam res patiebatur, animi mei dotes, ſi vllae ſunt in me, quae vere hoc nomine appellari debeant, ac ſiquid vmquam feci, quod ſimilitudinem aliquam, aut ſpeciem virtutis retineret, ille tamquam abſolutum ac perfectum vndique iudicauit; quare indolem eius te intelligere oportebat, & cumulum aliquem de meis, ab eo prolatis, laudibus detrahere: gaudeo tamen, te in hanc partem peccaſſe, & in eo, quod honori meo prodeſt, non multum vidiſſe; ſum enim cupidus huius laudis, & in vmbra ſaltem aliqua tantae dignitatis adipiſcenda, omnes ſemper ingenij neruos contendam. Sed ad Arnoldum reuertar; eſt profecto ille vir probus, ac bene doctus, ſemperque in ſtudijs honeſtarum artium verſatus: habet autem hic honeſtiſsimos homines, qui valde carum ipſum habent, & fortunas eius ornare conati ſunt; aut ſaltem tantum illi commodi procurare, vt viuere apud nos poſſet mediocriter, vel potius victitare. nec tamen efficere vmquam potuerunt, quod ſtuduere: malo (vt arbitror) fato huius viri. Eſt ſane ille ei curae, cui praepoſitus iſtic eſt valde idoneus, & in ipſa plurimum exercitatus; maiora tamen ab eo (niſi fallor) expectari poterant, vberioreſque fructus ex ingenio & eruditione ipſius capi. Franciſcum Ottonaium, cum quo ſaepe te de me locutum fuiſſe ſignificas, meo nomine ſalutabis: illum vero ego ſemper amaui, & politum hominem, elegantibuſque in primis artibus ornatum cognoui. rebus igitur ipſius proſperis vehementer laetatus ſum; gaudeoque ipſum in honore eſſe apud iſtum optimum Principem, ac ſummum doctorum hominum & aliqua ingenij laude florentium, amatorem. Tu quoque laeto animo iſtic viue, & magnis iſtius regionis commodis libens fruere: ego certe tibi affirmo, ac vere, ſincereque praedico, niſi aetas mea iam grauis impediret, ac ſi id per Principem noſtrum facere mihi liceret, cui deeſſe nec poſſum, nec debeo, me libenter ad iſtum conſeſſum gregemque doctiſſimorum virorum, ad quem etiam inuitatus ſum, concurſurum fuiſſe, & alijs non nullis de rebus; & vt vterer conſuetudine multorum, qui in iſtis locis degunt, in ſinuque atque oculis iſtius Principis ſunt, & amicorum, & affinium hominum. Sed quoniam id effici nullo pacto poteſt, recordatione crebra eorum, ſuauique memoria, tuique etiam, qui non vltimum locum in illis tenes, deſiderium hoc meum leniam; atque hic, quoad natura patietur, cum alijs veteribus meis amicis, ideſt cum libris viuam, ac, quod reliquum eſt vitae, traducam. Quae mihi mandaſti, cum tempus earum rerum efficiendarum idoneum nactus ero, ſedulo efficiam, ac te in magna gratia apud Principem noſtrum, vt ſpero, ponam. Gentiles autem tui, nobiles in primis atque honeſti viri, te amplexantur. Vale, ac me, vt iam diu feciſti, ama, putaque, in quo numquam falleris, te mihi carum eſſe; multa alia, quae vellem, non magnopere polliceri poſſum: quicquid tamen omnibus opibus, ac viribus meis effici poterit, tibi praeſto ſemper erit. Florent. VI. Kal. Quint. CIↃ IↃ LXIIII.

PETRVS VICTORIVS
Fabio Segnio. S.

LEGI tuum carmen, amice optime, ac libenter quidem, & magna cum voluptate legi: non tam quia me illo, reſque meas valde commendari, & quaſi in caelum ingenio tuo ferri vidi, quam propter elegantiam, ſuauitatemque carminis ipſius; vel (vt verius dicam) propter amplitudinem & ſpiritum vere poëticum, ac dithyrambicum: nam in quodcunque argumentum iſto modo ſcripſiſſes, & quemcunque tibi hominem ornandum tanta magniloquentia cepiſſes, certe non parum me delectaſſes; vt profecto audiui non paucos, valde ingenioſos & eruditos viros, audito illo magnopere delectatos eſſe, ac ſummis laudibus ipſum celebraſſe, &, vt memini, me aliquando, huiuſcemodi aliquo tuo carmine lecto, voluptatis & admirationis ſtatim plenum factum eſſe; neque tamen negarim, mihi vehementer gratum fuiſſe, te in meis oblectationibus delicijſque laudandis ingenium tuum exercuiſſe: gaudeo enim quibus ipſe rebus capior, quaeque ſunt propriae voluptates, & amores huius meae aetatis, eaſdem alijs placere grauibus & honeſtis viris, vel potius te artificio tuo & induſtria feciſſe, vt merito illae placere omnibus debeant; neque ſolum hominibus huius aetatis, verum etiam alijs, qui poſtea naſcentur.

 quemad-

quemadmodnm eaſdem has perpetuo nunc manere neceſſe eſt, & ſtudio tuo ſempiternas fieri: quae enim ſata cultaque ſunt ingenio poëtarum, vt de quercu Mariana M. Cicrro memoriae prodidit, nnmquam intereunt, ſed caneſcunt ſeclis innumerabilibus. Feciſti igitur rem dignam bonitate tua, & vetere noſtra amicitia, quae longo temporis ſpatio, atque adeo a teneris, vt aiunt, vnguiculis, incoepta, vſque ad hanc diem integra inuiolataq; permanſit. Vellem autem, ſi poſſem, vt res ipſa poſtulare videbatur, beneuolentiam tuam pari munere compenſare, ſed, cum id minime praeſtare, ac ne conari quidem ſatis prudrnter poſſim, meo egregio erga te animo contentus eris; in quo tamen benignitate hac tua, vt paulo ante oſtendi, nullum lucrum feciſti: ſemper enim ille paratus promptuſque ad omnem tuam dignitatem tuendam amplificandamque, vt debuit, ſuit: non eſt autem cuiuis datum ad grande hoc poëma aggredi, ſed eſt aliquo modo tuum, tuique ſimilium, quem natura genuit omnibus in rebus celſum & erectum, ſed quid dico tuum; cum fratrem habuetis ſocium huius laudis, ac tecnm aliquo modo de ſummo loco in hoc honeſto, pioque certamine contendentem? qui, niſi adoleſcentulus, vel puer potius, extinctus fuiſſet, cum ingenio floreret, ac magnam de ſe in tenera illa aetate expectationem concitaſſet, profecto eximius in iſto ſtudio admirabiliſque euaſiſſet; non temere hoc dico, neque ornandi cauſa adoleſcentis, rem, pluſquam veritas patiatur, effero: cum enim Romae extremo tempore vixerit: & claro in ea nobili ciuitate, illuſtrique loco vixerit, ſatis nota eſt, teſtataque indoles ipſius: teſtant praeterea quaedam monimenta diuini illius ingenij, quae indicant, quid ſibi homines non ſine cauſa polliceri de ipſo potuiſſent, ſi diutius in vita manſiſſet, ac ſuam maturitatem ſingularis eius natura adepta eſſet; occupatus ſane ille erat in patrio ſermone, ac vim omnem ingenij ſui in eo conſumebat; quae via ad ſummam laudem conſeqnendam non mala & ipſa a multis exiſtimata eſt. Tu vero, magnus in omni re dignitatis amator, ad veterem, non noſtram ſolum, ſed omnium paenè gentium linguam colendam totum te tranſtuliſti; ac ſummos in ea poëtas, mirificeque omni tempore probatos, imitandos tibi propoſuiſti; ad quos quam prope accedas, ac verius fortaſſe totos illos exprimas, apparet. Sed mihi nunc propoſitum non eſt, te, ingeniumque tuum laudare; nec quantum valeas iu eo ſtudio patefacere: aut enim hoc praeclari tui labores praeſtabunt, & nomen tuum (vt ſpero) aeternitati commendabunt; aut nullum cuiuſquam ingenium, operaque in eo poſita docti viri efficere, & ad exitum perducere poterit. Sed potius tibi gratias agere cogitaui, quamqnam ne hoc quidem conſulto, ac toto animo, ſed tecum per literas familiariter loqni, vt ſaepe coram facere ſolemus, quum in vrbe ſumus: neque enim committere debui, qnin tecum aliqnantiſper de hoc nouo ingenij tui partu loquerer, cum mea potiſſimum interfuerit, te in eo laboraſſe, cum ad me allatum ſit, plurimum ſermonem de illo cum magna tua lande excitatum eſſe Florentiae, ab illis, ad quos id aliter non pertinet, niſi qnia muſis dediti ſunt, ac fructus optimorum ingeniorum amant, & amplexantur: ſed cum iam, quod volui, geſſerim, ſitimque loquendi tecum, qua ratione potui, explenerim, finem faciam, ac ſiqnid reliqnum eſt, in congreſſum aliquem noſtrum reſeruabo. Tu interim vale, ac cum tibi conceſſum eſt per odioſas ac moleſtas iſtas curas, quae te nunc importune premunt, in iſto tuo ſtudio verſare, ac laudem gloriamque non ſolum tibi ipſi, verum etiam patriae, ſeculoque huic noſtro para. Vale iterum. E Decimano meo. XVII. Kal. Octob. CIↃ IↃ LXIIII.

PETRVS VICTORIVS Horatio Cordanetto. S.

LEGIT mihi Titius noſter, vir probus & ſuorum amantiſſimus, litteras binas tuas, plenas amoris erga me, & humanitatis cuiuſdam incredibilis: quid enim ego dicam elegantiae, & eruditionis? Semper enim me magis ceperunt haec ſtudia beneuolentiae ac pietatis, profecta ab animo ſincero ac puro, quam doctrina aliqua recondita, & magno etiam ſelectu verborum ornata; etſi ne hoc quidem vnqnam contempſi, ac ſpreui: nam quod oſtendis in priore illarum epiſtolarum, te Florentiam veniſſe vnius tantum mei videndi cauſa, quam gratum mihi acceptumque eſſe debet? & quantum ſane valet hoc ad amicitiam conciliandam? Quod vero me non vidiſti, cum ruri eo tempore eſſem, damni nihil feciſti, quin potius arbitror, ſi id contigiſſet, te ſubito conſilium tuum reprehenſurum fuiſſe, dicturumque idem illud, quod ferunt, fortiſſimum virum, vel Deum potius, dixiſſe, cum in ſacellum introiſſet, atque illic ſimulacrum Adonidis collocatum

locatum vidiſſet; cuius erat apud multos magna opinio ſanctitatis. [illegible]. Sed hoc nunc relicto. Amo vehementer (vt ſupra quoque ſignificaui) officium hoc tuum, fateorque, me tibi valde obligatum eſſe: & cum ſit nihil, quod tantopere cupiam, quam reſpondere amicis, cupidiſque mei in amore; praeſertim ſi ijdem fuerint ingenioſi viri, & omnium honeſtorum hominum amore digniſſimi, vt tu certe es, polliceor tibi omnia officia mea; cupioque mihi occaſionem aliquam dari, qua demonſtrem, te non omnino ſine cauſa me diligere coepiſſe; quod ſi aliquando mihi obtigerit, gaudebo. Tu autem efficere potes, niſi fallor, vt cito id contingat, meque ſolidae veraeq; laetitiae participem prorſus facere. Suſcipies igitur aliquid cogitationis de hac re, meque interea amabis. Vale vir optime. Florent. III. Kal. Ianuar. CIↃ IↃ LXIIII.

PETRVS VICTORIVS
Gulielmo Sirleto Card. S.

NIHIL ego iam pridem tam libenter audiui, nec quod me tanta laetitia afficeret, quam quod nuper accepi, te in collegium ſummorum Cardinalium à Pio IIII. Pont. Max. cooptatum fuiſſe, atque id quidem merito, veriſque de cauſis: nam & vetus noſtra, fideliſque amicitia requirebat, vt honore tuo, magno ac iuſto, perinde atque meo laetarer; & praeterea gaudere (niſi fallor) debui, cum cognoui, ac vidi probitatem animi, ſcientiamque artium honeſtarum, qui ambo in te non mediocriter ſunt optimi habitus animorum, ornari; praemioque ſibi debito affici, quod raro vſu venit his malis miſeriſque temporibus. Sed non ego tantum, qui te ſemper amaui, eximiamque tuam virtutem penitus perſpexi, & quum occaſio aliqua data eſt, etiam praedicaui: verum multi etiam, qui te numquam viderunt, ſed tantum aliquid ſubito de ſumma bonitate tua, & ſingulari eruditione audiuerunt, nuntio hoc vehementer laetati ſunt, iudiciumque Pont. Max. optimi ac ſapientiſſimi viri, probarunt, vel potius ſummis laudibus in caelum tulerunt. Magnopere igitur laetari debes tot praeclaris iudicijs hominum de virtutibus tuis; haec enim vera eſt ac ſolida voluptas, vt ſcis, & qua nulla purior maiorque ab hominibus guſtari poteſt; cum, quantum infirmitas naturae noſtrae patitur, nos ornet, ac paenè dijs immortalibus ſimiles faciat. Non ita temere agerem cum alio quopiam mortali, metuens, ne oratio haec mea, plena dignitatis in illum, ipſum deprauaret, & inſolentiorem forte redderet. ſed nullum periculum eſt de hac re in aequitate animi tui, qui toto pectore (vt aiunt) abhorruiſti ſemper ab omni inanitate, nec vmquam paſſus es, te abduci teſtimonijs etiam de te ampliſſimis fortunatorum hominum, aut praeclara ipſorum voluntate erga te, ſed quantum tibi licuerit, omnem eorum benignitatem fugeris ac repudiaris: ipſe quoque non fidenter locum hunc attigi: verebar enim, ne apud te eadem de cauſa offenderem. ſed munus, quod ſuſcepi, me coegit, atque id non tam tua cauſa feci, quam aliorum: intereſſe enim ipſorum exiſtimaui, exemplo tui propoſito, oſtendi, quae ſit via virtutis conſectandae, & quae ratio verae gloriae adipiſcendae: tu namque nulla alia re adiutus, ſed tantum bonis artibus inſtructus, dotibuſque animi commendatus, adeptus es honorem illum, qui merito maximus ſemper exiſtimatus eſt; & quem etiam non pauci, plurima cura, ac diligentia in ea re adhibita, cum opibus & gratia non careant, conſequi numquam, ac ſibi parare potuere. Gaude igitur non tam ſummo hoc dignitatis gradu, quam ijs bonis, quae in te poſita ſunt, quae cum ipſa tibi cauſa fuerint huius honoris conſequendi, parient etiam tibi alia non minora commoda: in primis autem beneuolentiam & amorem honeſtorum hominum gloriamque demum veram, ac perennem conciliabunt. Ego autem cum alia nulla in re tibi magnopere prodeſſe valeam (nam ſiquid a me proficiſci poſſet, quod ad nouum iſtum florentemque ſtatum rerum tuarum magis ornandum aptum eſſet, id in tua manu poteſtateque totum ſitum foret) rogabo Deum Opt. Max. vt te diu incolumem ſeruet, ac de tuis magnis veriſque laudibus numquam conticeſcam. Volebam has litteras, vt moris eſt, per publicum tabellarium ad te mittere, cum ſubito mihi redijt in mentem ciuem, & familiarem meum, Fabium Segnium; eundemque probum, & honeſtum hominem, & multis magniſque animi dotibus inſtructum: in primis autem poëtam eximium, iſtuc proficiſci: quare mutaui conſilium, ipſaſque ei dedi: tu vero, cum illum arbitrer dignum amicitia tua, ipſum beneuolentia complectere, quod ſi feceris, vt ſpero, facies mihi gratum, neq; diſcedes quicquam ab ingenio inſtitutiſque tuis, qui ſemper eruditos viros, & ſtudioſos bonarũ artium vehementer amaſti. Vale. Flor. IX. K. April. CIↃ IↃ LXIIII.

PETRVS VICTORIVS
Angelo Nicolino Card. S.

TE modo cooptatum fuiſſe a Pio IIII. Pont. Max. in collegium ſummorum Cardinalium; neq; in ea re totius ciuitatis ſpem vel deſiderium potius inane atque irritum fuiſſe, audiui libenter, magnamque ex ea re, vt debui, voluptatem cepi: cognoui enim te ſemper mei amantiſſimum fuiſſe, laudique atque honori meo, quacunque ratione potueris, fauiſſe. Habebis igitur, in qua eximia tua virtus prudentiaque eniteat, vberiorem ſegetem; quamquam ſtudium tuum, & praeclari ingenij indoles numquam ceſſauit, neque in tenuibus curis verſata vllo tempore fuit, quo minus adhuc mirandum eſt, illam ad ſummum perueniſſe, ac perfectam vndique, abſolutamque redditam eſſe. Arbitror igitur, atque id non leuibus argumentis ductus ſpero, quemadmodum principem locum diu inter veteris tui generis honeſtiſſimos homines, ipſiſque peritiſſimos tenueris, ita etiam te inter noui huius ordinis ampliſſimos viros, & omni laude digniſſimos, facile eundem gradum honoris adepturum: magna enim vis eſt ſapientiae, nihilque praeſtare, & efficere non poteſt excellens natura, ad quam acceſſerit longa exercitatio, & aſſidua cura meditatioque rerum honeſtarum, ſed de hoc hactenus: confido enim tempus ipſum iudicium hoc meum, ſiue augurium aliquis appellare malit, confirmaturum. Auxit autem vehementer meum gaudium, quod vidi: & quaſi praeſens adfuerim, oculis perſpexi, laetitiam, quam merito ferre debes, ob hunc magnum iuſtumque honorem, quem nunc adeptus es, communem tibi fuiſſe cum reip. noſtrae Duce, qui, vt hoc fieret, omnibus viribus opibuſque conatus eſt; non quia res ſua vi difficilis arduaque foret, aut in ſe impedimenti aliquid maioris haberet, ſed vt expleret animum ſuum opuſque illud adiuuaret; vnde ſperat non ſine cauſa ad ſe plurimum laudis & commendationis perventurum. Magnum eſt autem, & toto pectore expetendum, talem quempiam eſſe, vt in ipſo ornando grauiſſimus & opulentiſſimus vir ſponte laborarit; putaritque ad res ſuas honeſtandas dignitatem eiuſdem pertinere. Voluptas vero animi huius optimi Principis, & qui tanta cum prudentia, felicitateque clauum noſtrae ciuitatis tenuit, grata omnibus nobis acceptaque eſſe debet. Habes igitur, vnde merito pluribus de cauſis laetere: ego autem de omnibus illis vere, & ex animo tibi gratulor, optoque, & a Deo Opt. Max. precor, vt perpetuum iſtud gaudium in animo tuo ſit, fruareque diu rebus tuis ſecundis. Vale, Florent.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Medici Florentinorum, ac Senenſium Principi. S.

CVM participes nos eſſe volueris, Princeps optime, tui magni, ac ſolidi gaudij; idque per honeſtam ac grauem perſonam nobis ſignificaris; in quo geſſiſti te humaniter ac beneuole, feciſtique rem ſimilem ceteris omnibus tuis factis: benignitate enim & amore erga tuos vincis ceteros omnes, qui principem locum aliquando aliqua in terra obtinuerunt; volui quàm gratum id mihi fuerit, puſillo hoc ingenij mei monimento declarare: nam reliqui noſtri ordinis verbis tibi gratias egerunt. Non poſſum igitur non magnopere laudare conſilium tuum, qui laetitiam tantam, & tam veram nobis nullo temporis ſpatio celares, nec oportere duxeris, te illa tacitum diu frui; ſed contra ciuibus tuis ſtatim ipſam patefeceris, & tibi communem eſſe cum omnibus, qui imperio tuo parent, decreueris: cum enim ex hac re ſperare poſſimus, naſci debere plurima, & maxima commoda; in primis autem quietem, & tranquillitatem temporum, quo nullum maius ac certius bonum priuati homines optare, ac guſtare poſſunt; recte factum eſt, ſubito ſentire illos appropinquare ſibi eximiam felicitatem, ac vitam prorſus beatam. Ego autem, quum cogito mecum dignitatem huius matrimonij, teque video affinitate coniunctum eſſe cum tam florente, & opulenta familia, & qua nulla noſtra aetate vetuſtior, clariorque

tiorque habetur, non ſine cauſa videor mihi polliceri poſſe, & ſuperiora illa bona, & alia etiam, ſiqua exiſtunt ipſis maiora ac diuiniora; praeſertim cum cognitam habeam prudentiam tuam, & ſummam animi virtutem, quae vti illis bonis ſciet, & verum inde fructum capiet: nam, ſi de probitate, & induſtria tua mihi ſolitus eram antea etiam, multa & praeclara promittere, quanto nunc magis, poſtquam acceſſerunt ad illas tantae opes, & tam magna auxilia, quae inde omnibus temporibus apta proficiſci poſſunt? Sed video, me ſine mihi propoſito exire, ac ſi omnia perſequi voluero, quae in mentem veniunt, nimis longum futurum, & nimis magnum volumen effecturum: quare illa in aliud tempus, maiuſque otium reſeruabo: ſtatui enim nunc quaſi ſententiam de ſcripto dicere; & tibi gratias agere, quod facio ſincere, & ex animo, quod me cum alijs maximo & veriſſimo gaudio impleuiſti; optoque & a Deo Opt. Max. omnibus votis precor, vt haec laetitia tibi perpetua ſit, ac cotidie creſcat, naſcanturque ex hoc fauſto, feliciqúe coniugio ea bona, quibus ipſum gignendis inuentum eſt; quaeque inde expectari merito ab omnibus debent. Vale. Florent. Prid. Id. April. CIƆ IƆ LXV.

PETRVS VICTORIVS

. . . . . . S.

PETIISTI a me per litteras, quas ad Bartholomaeum Valorium, communem amicum, ſcripſiſti, adoleſcens ſuauiſſime, & tuorum omnium amantiſſime, vt ad te mitterem verſus illos, quibus Achilles Statius ornauit memoriam Michaelis Sophiani, & deſiderium ſuum illius mortui leniuit, miſſos ad me aliquanto antea Roma, cum hic eſſes, ab auctore ipſo, qui ſciebat, me valde honore ipſius & commodis ſemper laetatum fuiſſe: cum enim aliter nequiret, vir probus, & ingenioſus, antiquae amicitiae ſeruire, hac vna, quae reſtabat, via, deeſſe ei nullo pacto voluit: qua enim re magis aliquis vita functos poteſt ornare, quàm vitam eorum, honeſte actam, & cogitationes grauibus, & doctis viris dignas, celebrando? Probo igitur conſilium iſtius, boni profecto, & eruditi viri, quicunque ille eſt: neque enim nomen eius nobis notum feciſti; animumque egregium hominis vehementer laudo, qui ſcripſit orationem de laude Sophiani, & partes vitae ipſius, ingenijque dotes multas, quae vere celebrari poſſunt, vno loco complexus eſt, ac monimentis litterarum prodidit: Fuit enim Sophianus talis, vt ample magnificeque commendari poſſit, atque omni honore verborum fide optima affici, cum moderatus vir & integer extiterit, idemque ſuauiſſimis moribus praeditus, & eleganti variaque doctrina excultus: fidelis praeterea amicis, vel potius cupidiſſimus, quacunque re poterat, ipſorum iuuandorum, dignuſque demum vetere illa Graecia; in qua ille poſtremis his, miſeriſque ipſius temporibus, bono loco honeſtiſque parentibus natus erat; quae Graecia, cum olim floreret liberalibus artibus, vel potius mater, inuentrixque omnium diſciplinarum fuiſſet, totaque referta foret eximijs, praeclariſque ingenijs; nunc, quod non ſine magno animi dolore dico, ſi non caret penitus his veris ſolidiſq; bonis, ſaltem ob iniquitatem temporum ipſis non abundat. Sophianum igitur, his moribus, & vita praeditum, totq; ac tantis ingenij luminibus ornatum, in ea nunc ortum ſemper admiratus ſum: durum enim eſt, & arduum admodum, in terra, graui & aſpera ſeruitute oppreſſa, quempiam exoriri, qui animum erigat ad honeſta ſtudia, ac toto pectore virtutem ſequatur, ac colat. Ipſum autem honeſtum virum fuiſſe, inſtructum plurimis ac maximis virtutibus, cum alijs multis ſatis certis huius rei indicijs, declarat etiam multitudo amicorum, qui valde ipſius interitu perturbati ſunt, indeque ceperunt dolorem acerbiſſimum; quot enim cenſes mecum de morte illius, eruditos ſane omnes & claros viros, egiſſe? qui ingenti moleſtia tali caſu affecti ſunt: primus autem mihi rem narrauit, & quod vulnus proxime acceptum eſſet, expoſuit Ioannes Vincentius Pinellus tuus, qui me, cum ruri eſſem, vt eſt ſingulari humanitate praeditus, viſit: cum enim mecum prius non nulla de communibus ſtudijs locutus eſſet, meque ſuauiſſimo ſermone ſuo non parua voluptate affeciſſet, ad extremum aperuit hanc plagam, ac quod damnum litterarum ſtudia, ingenuaeque artes non multo prius feciſſent, ſignificauit, idque non ſine aegritudine magna, atque ita, vt lacrimas vix teneret. Quanta vero ſit infirmitas generis humani, & quam ſemper huiuſcemodi aliquod incommodum expectare debeamus, paratoſque nos eſſe oporteat ad hos caſus aequo animo tolerandos, teſtatur etiam, quod tu in iiſdem illis tuis litteris, quas ſupra ſignificaui, mandabas, vt Benedictus Varchius tuo nomine rogaretur, vt ſcriberet aliquid,

quod

quod faceret ad Sophianum honorandum; qui tamen duobus tribusve antea diebus extinctus erat; cum paenè ſubito ille, ſaeua ἀποπληξίᾳ oppreſſus, nobis ipſius amicis ereptus eſſet. egebat igitur Varchius eo tempore potius beneuolentia, & grato animo amicorum, qui interitum eius lugerent, & de graui illo calamitoſoque caſu miſerabiliter quaererentur, quam ipſe poſſet erga alios ſe talem praebere, ac pio hoc munere fungi; nec tamen deerunt bona, & acuta ingenia, quae ipſum quoque, vt doctiſſimus ornatiſſimuſque poëta inquit, poſtremo hoc munere mortis donent, praeſertim cum ille ſemper aduerſus alios in hoc genere ſatis benignus ac liberalis extiterit; & praeterea ita ornatus non vulgaribus animi dotibus fuerit, vt merito ab omnibus celebrandus, & in caelum ſummis laudibus tollendus videatur. Quod vero ad Sophianum pertinet (vt eo redeamus, vnde abrepti valde ſimili caſu fuimus) ſemper ego eum, vt ſcis, amaui, & doctrinam ipſius non parum ſuſpexi, nec non aliquando etiam, quid ſentirem de ingenio eruditioneque hominis, litteris mandaui; quod teſtimonium vetus meum de illo, nunc confirmo, & ſiquid addi poteſt laudibus illius, id libenter & ex animo adiungo, nec vmquam ceſſabo, cum occaſionem aliquam huius rei nactus ero, id facere, nec putabo, me vllam in partem peccare poſſe, cum etiam magnum aceruum laudum ipſius omnibus ſtudioſis ingenuarum artium ante pedes extruxero. Nunc autem, vt initio dixi, laudo mirifice eum, qui hoc munus accurate laudandi ipſum ſuſcepit, & in oculis fero. At tu mihi cariſſime vale, & perge viam iſtam virtutis, cui totus deditus es, colere, & te penitus philoſophiae, ac vitae beatae conſecrare. Quodque obliuiſci non debeo, ſaluta diligenter meis verbis Pinellum, quem ego valde diligo, & merito carum habeo, propter ſingulares ipſius, honeſti in primis, & docti viri, virtutes: reliquit enim ille, quum me ſalutauit, in animo meo magnum ſui deſiderium, ac ſi licet hoc quod ſentio libere dicere; maluiſſem hominem numquam vidiſſe, quam guſtata ſemel primoribus labris ſuauitate ſermonis ipſius, & reconditarum litterarum ſcientia, ſubito ipſo orbari, nec diutius tanta tamque ſincera voluptate frui poſſe: praeſtat enim eximium aliquod bonum numquam ſentire, quam leuiter cognitum idem illud repentè amittere. Vale iterum, ac me, vt ſemper ſtudioſe feciſti, ama. Florent.

PETRI VICTORII EPISTOLARVM

Liber Sextus.

PETRVS VICTORIVS Carlo Borromeo Card. S.

MITTO ad te, Borromee ampliſsime, poëtam elegantiſsimum, familiaris tui opera, ſtudioque olim expolitum: nunc autem non ſine cura aliqua mea, formis excuſum atque diuulgatum: cum enim domi tuae illum haberes, poſſeſque ſolus, aut cum paucis, labore & induſtria diligentis & eruditi viri frui, vt es omnibus in rebus publicorum commodorum ſtudioſiſsimus, maluiſti bonum hoc cunctis bonarum artium cupidis impertiri. recte igitur feciſti, conſiliumque hoc tuum laudent omnes neceſſe eſt, qui non ſunt penitus auerſi à muſis, nec ſuas tantum propriaſque vtilitates conſectantur: ipſe vero libenter ſuſcepi hanc curam, dediqne operam, vt fideliter imprimeretur, vt ſeruirem honori ac laudi Faerni; cum quo dum vixit, magna amicitia coniunctus fui: cum enim aliter nunc illum iuuare non poſſem, hoc, non paruum ſane, beneficium me in eum collaturum eſſe exiſtimaui, ſi memoriam ipſius coluiſſem, & quantum per me fieri poſſet, viuam, florentemque conſeruaſſem: Cognoui etiam, me veteribus, eius ſodalibus, cupidiſque, ſi hoc egiſſem, gratum eſſe facturum, hominibus honeſtis, & qui plurimum Faernum ob ipſius probitatem, eruditionemque diligebant, quorum etiam partim mei neceſſarij ſunt, partim vero, propter egregias animi dotes, & ipſi omnium amore digniſſimi, ijs igitur quoque placere volui, ſtuduique, nihil à moribus meis, dignitateque alienum gerens, beneuolentiam eorum mihi magis conciliare: nam quantopere etiam ipſe eodem ſtudio delectatus ſim, & quantum diligentiae adhibuerim in bonis auctoribus, & Graecis & Latinis emendandis, & ab omni labe vitioque expurgandis notum, teſtatumque eſt: quomodo igitur non debui eandem voluntatem in alijs fouere, qui in eodem curſu non ſine multa laude verſarentur; praeſertim cum quod moleſtiae in hoc munere obeundo omni tempore ſuſcepi, non oſtentandi ingenij, honoriſque magni adipiſcendi cauſa ſuſceperim, ſed veteres auctores illuſtrandi, & è corpore ipſorum turpes maculas eluendi; quare omnem hominem, qui in hoc ſtudio cum fide iudicioque aliquo verſaretur, ſemper adiuuiſſem; quod etiam arbitror, me aliquando feciſſe, nonnulliſque ſuppeditaſſe ea auxilia, quae in me poſita erant, & ad finem illum obtinendum magnopere pertinebant: quod alij fortaſſe, ieiuni animi homines, & nimis auidi laudis, non feciſſent. Valuit etiam aliquid ad me impellendum, &, ne declinarem hunc laborem, perſuadendum, quod & ipſe non parum

hoc

hoc lepido nobilique poëta delector; putoque, ipſum valde vtilem eſſe, & ad Latinam linguam puriter perdiſcendam, & ad vitam hominum ſuauiter excolendam: nam, quin accurata lectione Terentij mores emendentur, & politiores integrioreſque reddantur, ſiquis conſilium illius, finemque attendat, corrigique ſe patiatur, dubitandum non eſt: ſunt enim fabulae ipſius (quantum ratio eius poëmatis fert) honeſtae ac graues, remotaeque ab omni turpitudine verborum factorumque: talem autem ipſum fuiſſe natura moribuſque facile ſuſpicari poſſumus; cuius rei etiam indicium eſt, quod ille vſus eſt conſuetudine ſanctiſſimorum, moderatiſſimorumque ſuae aetatis virorum; qui non tantopere ipſum dilexiſſent, nec in amicitiam ſuam irrepere paſſi eſſent, niſi ſimilis ipſis, parque ingenio ac vita fuiſſet. Facit etiam (niſi fallor) vt merito ille hominibus grauibus carus, atque iucundus eſſe debeat, quia propoſuit ſibi ad imitandum Menandrum, cunctaſque ſuas fabulas, vna aut altera excepta, ex eo poëta expreſſit; de cuius ingenij ſuauitate, talibuſque ita multa & doctiſſimi & honeſtiſſimi viri memoriae prodiderunt, vt non mediocriter dolendum ſit, illum e manibus ereptum eſſe, & ita quidem deletum, vt ne veſtigium quidem vllum Graecum ipſius appareat. Nam cum extiterint olim grauiſſimi viri Graeci, quique ſuis praeceptis, ſcriptiſque magnopere pietatem noſtram Chriſtianam adiuuerint, qui vehementer Ariſtophanem amauerint, nec vnquam fere fabulas eius e manibus dimiſerint, Plutarchus tamen de illo poëta aliter ſenſit, longeque ipſi praeponendum eſſe Menandrum exiſtimauit: cum enim eum errorem ex animis quorundam euellere cuperet, ſedulo duos hos poëtas inter ſe comparauit; quorum alter veteris, alter vero nouae comoediae auctor fuerat, collectiſque diligenter eorum virtutibus, ac vitijs, vel potius alterius inſignibus vitijs; alterius ſummis virtutibus, praeferendum eſſe omnibus de cauſis Menandrum demonſtrauit, in cuius laudes celebrandas ita ſe effundit, vt modum nullum ipſarum tenere poſſe videatur. Non neceſſe eſt autem, me nunc argumẽta illa huc transferre; vnum tantum ponam, quod in primis aptum eſt ad Menandrum ornandum; ad alterum vero illum omni paene honore ſpoliandum, quod cum facetiſſimus praeter ceteros, lepidiſſimuſque comicus Ariſtophanes & habeatur, & dicatur, affirmat Plutarchus Ariſtophanis ſales, cum amari & aſperi ſint, vim quandam exulcerandi, mordendique habere: contra autem Menandri ſales ita lepidos ac venuſtos eſſe, vt ex illo ipſo mari, vnde Venus orta eſt, nati eſſe videantur. Sed vt, relicto Ariſtophane, ad noſtrum redeamus, qui Menandrum probant, ſummiſque laudibus in caelum efferunt, ijdem manifeſto Terentium commendant: illius enim Graeci Latinus hic imago quaedam, ſimulacrumque eſt; vel potius ille ipſe expreſſus, in aliumque ſermonem (hoc enim fere tantum diſcriminis eſt) conuerſus; quod intelligitur etiam teſtimonio quodam Ciceronis, verſibus notato: legitur autem illud apud Donatum in ipſius poëtae vita. Nec tamen me fallit, non nulla in vertendo mutaſſe Terentium, quibuſdamque in rebus iudicium quoddam ſuum adhibuiſſe, vt illud, quod è ſimplicibus duplices fere cunctas fabulas fecit; qua in re, cum placere voluerit ſpectatoribus, qui plerumque gemina compoſitione rerum, duobuſque ſimul ad exitum perductis argumentis capiuntur, diſceſſit non tantum a mente & quaſi praeſcripto Menandri, verum etiam a ſententia Ariſtotelis, arbitrantis, alterum illud melius eſſe, iudicantiſque vno in argumento, vnaque in perſona manere poëtas oportere, ſiue tragoediam, ſiue comoediam ſcribant: nam quaedam etiam ipſum variaſſe, inſtituta non nulla ad conſuetudinem moremque Romanorum hominum conuertentem, apud eundem etiam veterem grammaticum lectum eſt; neque tamen hoc, quin verum id ſit, quod diximus, facit, nullo inquam alio in loco planius ſpectari poſſe lepores venuſtateſque Menandri, quam in fabulis Terentianis, vt taceam maiores virtutes ab ipſo acceptas, quemadmodum cum Graecus ille fingat in meretricijs amoribus adoleſcentium libidinem exerceri ſolitam, nec feminae ingenuae pudicitiam expugnatam arte vlla in ſcenam referri, ſiquando tamen virgini ciui ſtuprum infertur, numquam non inde nuptias naſci ſolitas; vt ex principio illo malo turpique, res bona atque honeſta proficiſcatur; quod accurate, vt apparet, ſeruauit Terentius, neglectum ab recentioris memoriae poëtis, qui paſsim, & his, a bonis moribus alienis, & alijs turpioribus adhuc amoribus comoediam inquinant, &, ne dum vitam expoliant & corrigant, potius ipſam foedant, & omni dedecore contaminant. Eſt igitur omnibus his de cauſis, alijſque non nullis minime obſcuris, Terentius amandus, in ſinuque frequenter habendus, ac profecto bene omnis opera ponitur, quae in ipſo illuſtrando celebrandoque collocatur, quod ipſum etiam me hortatum eſt, vt diligenter eum imprimi curarem: ſtudeo enim prodeſſe quacumque re poſſum, cupidis honeſtarum artium, nec vllum vnquam laborem recuſaui, vt partem aliquam huius laudis adipiſcerer. Coeperam autem multo antea hunc Faerni conatum adiuuare, &, vt ex ipſius ſcriptis apparet, miſeram ad eum antiquiſſimum Terentij librum, quem domi habebam; cuius ille teſtimonio ſaepe vtitur: &

vnde

vnde ſe plurimum in iudicando adiutum fatetur: eſt autem is multis in rebus ſimilis ei qui Petri Bembi fuit: nam nomina perſonarum Graecis litteris notata ambo habent, non primis fere ſyllabis vocum illarum, quibus perſonae appellantur, cum ſtatim in fronte ſingularum ſcenarum declaratum ſit, quibus litteris perſonae, quae illic loquuntur, ſignificentur, quae omnia (vt opinor) diligenter a Faerno expoſita fuiſſent, ſi extremam manum labori huic ſuo admouere potuiſſet; & non ante iniquiſſima morte praereptus eſſet. Ordo etiam fabularum communis, peruulgatuſque à nobis ſeruatus eſt, qui fortaſſe verus non eſt, quod ſuſpicari licet etiam ex faſtis: quia quod iudicium de hac re ille feciſſet, compertum nobis non erat, nec quicquam ipſe de hoc litteris ſuis mandauit; in Bembi certe libro Adelphi poſtremum locum tenent. Quia autem Faernus ardebat cupiditate hunc optimum poëtam iuuandi, & omni ratione, qua poterat expoliendi, facereque multum ad eum reſtituendum intelligebat, rationem verſuum, qui in conſuetudine comicorum ſunt, tenere; ſcribere aggreſſus eſt librum de illo genere metrorum, quem tamen non abſoluit; quod ſi ad exitum opus hoc perducere potuiſſet, cum in primis eius rei peritus eſſet; multumque in hoc ſtudio verſatus foret, omnem illam materiam plene perfecteque tractaſſet, nec vllam quaeſtionem propriam eius loci omiſiſſet: illum tamen ipſum qualem reliquit, vel potius ipſius initium, & non contemnendi aedificij veſtibulum occultare non libuit, ne qua ingenij ipſius monumenta perirent: hoc autem rectum eſſe, & fieri debere illi, quibus memoria Faerni commendata eſt, iudicarunt, ſperantes omnia in bonam partem acceptum iri; & id boni, quod in illo libello eſt, ſtudioſos huius elegantis doctrinae prorſus laudaturos; ſiquid vero non omnino plenum perfectumque illic inuenerint, ei veniam daturos: nam quale opus ipſum integrum futurum fuerit, declarat, quod auctor ipſius in primo ſtatim aditu, minime glorioſus homo, nec inanis laudis cupidus, de ſua facultate non nulla praedicat, & quam haec doctrina hac aetate adhuc obſcura, tenebriſque multis inuoluta ſit, teſtatur. Hos autem omnes optimi ingenij fructus Cardinalis optime (vt initio ſcripſi) ad te mitto, vnde exierint, & è cuius copioſa bibliotheca in manus eruditorum peruenerunt, vt à cunctis ſtatim intelligatur, cuius beneficio ipſi aucti ſunt, in quo arbitror etiam me manibus Faerni gratum feciſſe, ſi haec poſt mortem curare hominibus mos eſt; qui te poſt Pium IIII. Pont. Max. veterem ſuum patronum, auctoremque ſuorum omnium commodorum colebat; nec ſane aliter facere poterat, niſi a iudicio ipſius, ſapientiſſimi viri, diſcedere vellet; quod numquam commiſiſſet: videbat enim cum reliquis omnibus, qui in iſta celebri vrbe ac regina omnium ciuitatum viuunt, quanto in honore apud ipſum eſſes, & quantum ille ingenio prudentiaeque tuae tribueret, cum bonam magnamque partem oneris eius, quod ſuſtinet, maximi omniū onerum, quodq; vere Aetna grauius appellari poteſt, humeris tuis impoſuit. Sed ſua ſponte etiam ille de te egregie exiſtimabat, ac quem coleret; & tamquam numen aliquod veneraretur, elegerat. Hos igitur tui magni amatoris labores fouebis, & ab omni iniuria, impetuque aduerſariorum defendes. Quod vero nunc de illis conſilium captum eſt, vt ſcilicet ederentur, quia vtiles illos magnopere auunculus tuus exiſtimabat, maluiſſet multo antea cœpi; ac memini etiam, quum ille, minore adhuc in fortuna conſtitutus, hic mecum queſtus eſt, quod negotium hoc nimis lentum foret, pluſque, quam oporteret, differret Faerni monimenta haec publicare: ſe namque illi ſemper auctorem fuiſſe, vt maturaret, praedicabat, &, vt id facilius facere poſſet, pecuniam etiam, auxilijque omne genus ſolitum polliceri dicebat. Hoc igitur quoque nomine labores hos amabis, caroſque valde habebis. Non ſum tamen neſcius, ipſos ad te erudiendum magnopere aptos non eſſe: nam aetas tua, & dignitas, & tantus vſus rerum longe aliam doctrinam requirunt, & quicquid temporis è magnis grauibuſque occupationibus eripere potes, in ſapientiae ſtudijs diuiniſque noſtris litteris perſcrutandis collocas, vna cum doctis & probis viris, quos domi habes, legens ſemper aliquid noſtrae inſtitutionis proprium, vt magis adhuc perſonam iſtam, quam ſuſtines, ornes, quae profecto ſatis iam ſatiſque ornata eſt, ſi modus vllus adhiberi, terminuſque in vita humana emendanda, omnique virtute expolienda conſtitui debet: cui enim nota non eſt probitas animi tui? cui non ſaepe audita vel ſpectata potius, incredibilis temperantia & caſtitas? quae cum in iſta aetate moribuſque horum temporum rara & infrequens ſit, domeſtica in te, & a natura prope ipſa inſita videtur. De pietate vero erga Deum Opt. Max. quae mirifica in te viget, in oreq; omnium populorum eſt, verbum facere non libet: metuo enim, ne, dum rem narrare velim, & oratione mea praeſtantiſſimam hanc, & diuinam virtutem, quae in te eſt, celebrare coner, ipſam potius conteram & extenuem. Sed, his maioribus virtutibus tuis nūc relictis, ad amorem, quo proſequeris honeſta ſtudia, atque artes has liberales reuertar; de quo ſi forte aliquis dubitaret, praeclarum ſpecimen his ipſis diebus dediſti, cum curaſti, vt Gulielmus Sirletus, vir haud magna cum re, ſed fide plenus, vt de Q. Ennio M. Tullius litteris mandauit, in ampliſſimum veſtrum Cardinalium collegium cooptaretur. Di-

gnus

gnus ille quidem per ſe erat omni honore, & praeclare de ipſo ſua ſponte auunculus tuus, optimus, ac munificentiſſimus Pontifex, exiſtimabat: iamque nonnullis eum beneficijs affecerat: ſed tamen exploratum eſt, illum tuae gratiae auctoritatique potiſſimum datum eſſe; teq; ipſum tuis humeris ad ſublimem iſtum gradum honoris euexiſſe, captum doctrina hominis egregia, & vitae honeſtate ſingulari. Perge igitur grauiora illa ſtudia colere, & diſciplinam, propriam Chriſtiani hominis, ſummique Cardinalis, amplexari: nec tamen imaginem humanae vitae, accurate expreſſam à Terentio, & puram ipſius orationem, deſpice; putatoque, quum ipſum legis, etſi multo minores perſonas in fabulis his inuenies, tenueſque demum homines, de rebus priuatis humilibuſque inter ſe loquentes, P. Scipionem, C. Laelium, L. Furium loquentes audire; qui (vt memoriae proditum eſt) a poëta perſonam mutuati, quae domi luſerant ipſi otij honeſte conſumendi cauſa, in ſcenam, Terentij nomine, poſtea deferebant. Florent. XVI. Kal. Iun. CIↃ IↃ LXV.

PETRVS VICTORIVS
Alexandro Farneſio Card. S.

PVTAVI ſuperioribus diebus prorſus fore, vel ſperaui potius, quod optaueram diu, ac tum maxime cupiebam, atque id non ſine cauſa, vt amplitudo tua, virtuſque in eum gradum dignitatis aſcenderet, quem ſemper ſapientes viri, ob egregium animum tuum erga Chriſtianam Remp. prudentiamque ſingularem; nec non ob multa, magnaque merita aui tui Pauli III. Pont. Max. tibi opinione ſua detulerunt, meque ex ea re laetitiam incredibilem (quòd certè factum eſſet) hauſturum, & vero, iuſtoque gaudio exultaturum. Quod quia non contigit, tua potius modeſtia, & animi probitate quam alia vlla de cauſa; quippe qui malueris alium ſanctiſſimum, ſapientiſſimumque virum deligere, cuius aetati cederes; euique perſonam iſtam grauiſsimam, honeſtiſſimamque perſonarum omnium imponeres, quam tibi ipſi honorem iſtum ſummum, dignitatemque omni arte ſtudioque comparare, non poſſum non ita quoque conſilium tuum laudare, qui contentus fueris iudicijs omnium mortalium, ſemperque te talem praebueris, vt dignus potius ſummo quoque honore ab omnibus hominibus haberere, quam ipſum feſtinatione tua praeripere velle ante tempus alicui, non ſatis prudenti, videreré. Nam ita quoque Reip. conſuluiſti, quae gubernatorem optimum, vigilantiſſimumque nacta eſt, & qui poſſit, eam è tot, tantiſque fluctibus, ac procellis, ſaluam, & incolumem in portu collocare, & inuidiam declinaſti, voceſque maleuolorum retudiſti, teque demum ei tempori reſeruaſti, cum vna mente omnes, animoque, omiſſis ſuis vtilitatibus, extinctiſque omnibus cauſis ſimultatum, nulla cupiditate honoris deprauati certatim ad te concurrent, tuiſque fortiſsimis humeris onus iſtud imponent, qui in primis illi ferendo apti ſunt, nec periculum vllum eſt, ne ipſo vllam in partem deprimantur, cum tu adoleſcens, ac paenè puer, ipſum ſubieris, ac te in ipſo regendo, tolerandoque diu cum magna omnium laude, & admiratione exercueris. Quod tempus ſi vmquam veniet, vt opto, atque etiam confido, verè tunc illud aliquem de te, in ſede iſta diuina caeleſtique poſito, multum videntem illum quidem hominem dicturum arbitror, quod memoriae proditum eſt, dixiſſe, Demaratum Corinthium, veterem amicum Philippi Macedonis: totiuſque illius domus hoſpitem, quum aſpexit Alexandrum ipſius filium in ſolio Perſarum Regis ſedentem. Magna laetitia caruiſſe Graecos ante eam diem mortuos, qui non vidiſſent Alexandrum in throno Darei ſedentem. Vtinam ipſe ille valeam eſſe, qui haec verba effundam: Deuſque. Opt. Max. vitam mihi ad id tempus producat, vt ſolidam hanc, puramque voluptatem capiam, & quemadmodum ille, ſenex itidem, vt ego, fertur feciſſe, lacrimans prae gaudio, veram illam vocem, & quae mihi manet ex intimis viſceribus ac medullis, edam, aequo animo tunc, laetuſque moriar: quod illi quoque non multo poſt fertur contigiſſe, vt me parem vndique, ſimilemque Demarato faciam, non parum ſanè laudato viro, & magnae fidei, probitatiſque meritò exiſtimato. Vale, vir optime, ac me, vt ſemper feciſti, tua mirifica humanitate impulſus, ama. Florent V. Kal. Febr. CIↃ IↃ LXV.

PETRVS VICTORIVS

Mario Columnae. S.

AVDIVI tecum, Mari optime, ſtudijſque bonarum artium deditiſſime, vnaque nobiſcum Bartholomaeus Valorius, familiaris vtriuſque noſtrum, Leonardum Saluiatium, laudantem copioſa, & ornata oratione Benedictum Varchium in eius funere, multaſque ac magnas animi, & ingenij ipſius dotes explicantem; quod munus ille recte obiuit, & in alio laudando magnam ipſe quoque laudem, gloriamque conſequutus eſt: hoc enim de illo liberius praedicare audeo; quia vidi, te ipſum eo tempore valde probantem, & in non nullis eius orationis partibus facultatem ipſius dicendi, & ſcientiam multarum rerum mirum in modum celebrantem, & prope clamorem tollentem. Sed certe argumentum ille bonum nactus: Varchius enim magno ingenio a natura praeditus fuit; factuſque erat ad artem illam colendam, quam primis vitae temporibus frequentauit, nec vmquam poſtea, grauiore etiam aetate confectus, dimiſit, ideſt ad poëma pangendum, quamuis ad longe aliam curam, ſtudiumque grauius traductus eſſet ab eo, qui & ipſi, & nobis omnibus iure optimo imperare potuit, &, vt ſemper poſſit, optandum eſt, qui ſane (vt eſt ſummo, & ſingulari iudicio praeditus, acerrimuſque ingeniorum exiſtimator) de illo egregie ſentiebat; magnamque ſpem in ipſius eruditione ac memoria omnium rerum habebat. Sed alijs etiam honeſtis artibus Varchius inſtructus erat, nec vllam diſciplinam, quam non attigiſſet, & in ipſa non parum etiam progreſſus eſſet, reliquerat. Sed haec me nunc tecum agere non neceſſe eſt, vel importunum potius, qui ipſa praeclare cognita habebas, & hominem ſane ipſum diligebas, mirificeque eius ingenio delectabare; praeſertim cum ipſa amicus ipſius ſummus accurate cũcta complexus ſit, & in illam ſuam laudationem non ſine multa induſtria incluſerit. Gauiſus autem ſum eo tempore (etſi triſte illud officium ac luctuoſum erat, ceteriſque omnibus ſuis partibus maerorem meum paenamque angebat) quum vidi tantam manum nobilium & ingenioſorum adoleſcentium conueniſſe, vt ſuos illud celebraret, & laudes Varchij, vel potius ingenuarum omnium artium, quae vna cum ipſo commendabantur, & in caelum ferebantur, audiret; ex eaque re non paruam ſane voluptatem cepi, & eam quidem ſinceram ac ſolidam. Quis enim non gaudeat, atque animo etiam exultet? cum videat ſuos ciues ingenuarum artium ſtudio incenſos: in primiſque arti poëtarum, diuinae prorſus ac caeleſti deditos? praeſertim cum hoc ſtudium in hac noſtra terra, cum penitus extinctum illud foret, aut tenues admodum ipſius reliquiae alicubi reſtarent, reuixerit, nec reuixerit tantum, ſed valde etiam floruerit; primoque ſtatim ipſius ortu fructus vberrimos tulerit, ac perfectum vndique abſolutumque extiterit. Auxit etiam tunc laetitiam meam: (libet enim mihi nunc hoc quoque commemorare) quum aſpexi, mulierem praeterea praeſentem orationi illi adfuiſſe, & quantum potuit, prope ad eum locum acceſſiſſe: ſed nullam tamen id mihi admirationem mouit: cur enim non debuit femina illa locum eum viſere, in quo virtus induſtriaque poëtarum celebraretur? quae ſtudio illo inflammata eſt, & quam praecipue muſae diligunt, ac ſaepe lepidum, venuſtumque carmen ſcribentem, adiuuant. Quin etiam ſcio, te vocem illam meam, quam tunc edidi, recordari, cum tecum dolui, atque id non ſine cauſa, illam feminam legibus loci inde excludi atque ſegregari; cogique demum, quaſi poſt ſiparium, ſpectare: putabam enim eam ob ingenij magnitudinem, facultatemq; egregiam condendi carminis, è numero mulierum eximi debere, ac pro viro prorſus haberi, quemadmodum de Platone memoriae proditum eſt, aliquando exiſtimatum fuiſſe, ciuem Athenienſem eum non eſſe, ſed philoſophum, cum propter acerbiſſimum odium in ipſum Dionyſij tiranni in Aeginam adductus eſſet, in qua terra plebiſcitum antea factum erat, Athenienſem omnem, qui primus in eam inſulam pedem poſuiſſet, indicta cauſa, necari; atque ita denique ſententijs iudicum doctiſſimum, ſanctiſſimumque virum ſaeua illa, iniuſtaque paena liberatum. Non arbitror autem, quempiam me reprehenſurum, quod in muliere ornanda, ſimilem ipſam propemodum fecerim Platoni; idemque ipſi aliquo pacto tribui, concedique debere cenſuerim, quod illi ſapientiſſimo homini, & qui fuit Graeciae totius lumen, origoque, ac fons omnium ſcientiarum, in maximo periculo capitis

conſtituto, conceſſum eſt: Neque enim tam genus ipſum, ſexumque ſpectandum puto, quam ingenium, ſtudiumque ponderandum. Sed hoc etiam exemplo illuſtris, grauiſque ſcriptoris tuto facere poſſum, & qui plurimum ſtudij curaeque in vita hominum expolienda & ab omni labe, vitioque purganda poſuit: is enim nullam huiuſcemodi culpam veritus, auſus eſt admirabilis naturae feminam cum praeſtantiſſimae ſapientiae viro comparare, collectiſque vndique rationibus multis iudicium ſuum confirmare: intelligo autem Maximum Tyrium, politiſſimum, eruditiſſimumque auctorem, qui docuit, Sapphonem poëtriam in ſuis inſtitutis, ſtudijſque Socrati parem fuiſſe, ſimillimaque multa & maxime gemina ambobus in vita contigiſſe; quod ſane omnium aures primo reſpuerunt, ac falſum prorſus, inaneque eſſe ducerent; cum tamen ille rem aliter ſe habere, nihilque tam par ac ſimile, quam illi inter ſe forent, inueniri poſſe, declararit, ac non contemnendis, leuibuſue argumentis comprobarit. nec tamen te fallit, hanc noſtram (vtinam autem vere noſtram ipſam mihi dicere liceret: neque enim hic nata eſt, ſed tamquam peregrina, ac nobilis ſtirps ex alieno ſolo huc tranſlata, in quod tamen vna cum viro, & ipſo ſummo opifice, ac paene nouo quodam Phidia, radices iam egit) non, inquam, te fallit, Lauream Battiferriam (cur enim nomen eius non ponam?) quemadmodum Sapphone animi dotibus, & facultate pangendorum verſuum non inferior eſt, ita vita & moribus ipſam viciſſe, ac longo interuallo ſuperaſſe: nam Graecam illam à Platone etiam laudatam fuiſſe, & diuinam ſemper appellatam cognitum omnibus, atque exploratum eſt. Lauram autem nunc ſtudioſe laudare, & partes animi ipſius, omni honore dignas, nunc commendare, mihi propoſitum non eſt; quippe qui Varchium etiam hoc tempore ſumma cura celebrare noluerim, quem magis videbar debuiſſe in hoc ſermone meo ornare, atque id, quia ſatis eum ab eloquente & erudito iuuene laudatum puto, & quia monimenta ipſius, ſcriptaque praeclara, quae reliquit, ſatis ſuperque ipſum commendatura confido, ac nomen eiuſdem poſteritati omnium ſeculorum conſecratura. Tecum autem nunc, nobiliſſime Mari, atque omni genere laudis florentiſſime, hunc ſermonem inſtitui, quia cum dies ille mihi iucundiſſimus fuerit, ac pura, veraque voluptate refertiſſimus, volui hoc pacto voluptatem illam meam augere, atque ipſi cumulum aliquem addere; quem finem meum eximie conſecutum me putabo, ſi tibi longiſſima hac epiſtola mea moleſtum me non fuiſſe cognouero. Neque tamen putaui, quum calamum ſumpſi, me tam longum futurum, ſed eadem illa voluptas ex commemoratione harum rerum, & ſuauitas, quam capio, quum tecum familiariter loquor, me decepit, & iuſtum modum epiſtolae tenere non ſiuit. Vale igitur, & mihi ignoſce. Florent. Prid. kal. Feb. CIↃ IↃ LXV.

PETRVS VICTORIVS

Ludouico Beccatello. S.

INTELLIGERE potuiſti, Beccatelle optime, cum primum guſtaui eruditionem tuam, & multarum rerum ſcientiam, me vehementer te diligere, & obſeruare coepiſſe: omni enim illo tempore, quo Florentiae manſiſti, crebro te ſalutabam; cuius officij mei ſtatim mercedem magnam accipiebam, ſi praemium vllum huiuſcemodi ſtudia erga claros, & honeſtos viros expectant: capiebam enim incredibilem voluptatem ex tuis ſuauiſſimis, & refertis omni genere doctrinae ſermonibus; quare creſcebat mihi cotidie cupiditas te viſendi, & eadem illa laetitia pura, & integra perfruendi: contigit autem, vt tibi a noſtra vrbe diſcedendum eſſet, liberalitate noſtri Magni Ducis, qui ſimul graui aetati tuae requietem, & fructum, quo dignitatem tuam tueri poſſes, dilargitus eſt; & in quaſi receſſum iſtum migrandum; quo in loco tu, vt audio, poſtquam diuinam curatam, impletumque munus tuae fidei commiſſum ſumma cum pietate, totum te tradis lectioni veterum ſcriptorum, nec ceſſas vnquam in quaeſtione aliqua difficili, & obſcura toto animo verſari, nodumq; aliquem philoſophiae diſſoluere. Laudo igitur te, ſenex ſanctiſſime, & fortunatum iudico, qui relictis, ac ſpretis inanis gloriae imaginibus otium honeſtum falſo honori antepoſueris, ſumpſeriſq; tibi locũ iſtum, tamquam ἐγγώνιον in quo reliquam vitam tranquille traduceres, ego etiam, cum mihi per otium licet, eandem iſtam rationem ſequor, & libenter in praedio meo Caſsianenſi ſum, in quo ruſticis operibus ſpectandis delector, & in agros meos ſumma arte colendos incumbo; nec tamen dimitto

mitto ex animo ſtudia litterarum, diemve vllum praeterire patior, qno non aliqnid ſcri-
bam, quod video etiam te facere; cum Muſas etiam Etruſcas laceſsiueris mei ornandi ſtu-
dioſus, & praeter aetatem iſtam, & dignitatem tuam, apto tameu ad id praeſtandum carmi-
ne, valdeque eleganti, me celebraris, quo teſtimonio tuo tenuium meorum meritorum val-
de laetatus ſum, magnique, vt debeo, ipſum aeſtimo: gratias praeterea tibi immortales ago,
ob tam praeclarum animum erga me, quem in illis verſibus oſtendiſti, & deſiderium acre
meorum commodorum. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Antonio Giganti. S.

NON mihi nunc primum, quum in manus meas venit nouum carmen
tuum, vel meum potius, cognitum fuit, & perſpectum elegans ingenium
tuum, Gigas ſuauiſsime, & naturae bonitas ſingularis, qua impelleris ad
ornandos amicos, & in caelum ſummis laudibus ferendos: legeram e-
nim multo antea non nulla tua carmina plena venuſtatis, & artis, quibus
celebrabas honeſtos viros, & magna virtute praeditos; in ijs fuit grauis
ode, qua laudaſti clariſsimum virum, & tuo praeconio digniſsimum, Lae-
lium Taurelium, cuius ſane carminis nou facile dixerim, argumentum ne fuerit verius, an
facultas ſcribendi ipſum, & omnibus artis coloribus pingendi maior: iam tum igitur mihi
placuiſti, & ijs omnibus de cauſis in animum meum amanter irrupiſti; non minus enim
delector laude amicorum, quam mei ipſius: ſemper autem amaui optimum hunc, & doctiſ-
ſimum virum, & eximias ipſius virtutes valde admiratus ſum. Cepi igitur voluptatem
non paruam, qnum vidi ipſum digne ac meretur commendatum: vtinam materiem parem
nactus eſſes, quum induxiſti in animum me illuſtrare, ſed quanto minora ſuut, & tenuiora
mea merita, tanto magis apparet, atque illuſtrior eſt tua virtus & ingenij vis, ac poteſtas,
qua tractaſti hoc exile argumentum, vt ſi opimum amplumque foret, ſplendoriſque ipſi
plurimum attuliſti ob diuitias tuae naturae, & artificium mirificum pangendi carminis. Si-
milem igitur te iudico veteribus illis melicis Graecis, Simonidi, Steſichoro, Pindaro, &
vni Latino, Flacco; in quorum palaeſtram magno animo ingreſſus es, imitariſque illos egre-
gie, vel potius certas cum ipſis de loco honeſte, quod ſi in iſto itinere perſeuerraueris, hu-
manioreſque has muſas toto pectore colueris, ſpero fore, vt eandem gloriam, quam illi na-
cti ſunt, conſequare; quorum nomen adhuc poſt tot ſecula viget, ac ſemper florebit, quam-
uis ingeniorum monimenta iniquitate ſuperiorum temporum magna ex parte perierint.
Nou dubito autem, quin id facturus ſis: qui enim dulces hos fructus muſarum guſtauit,
non poteſt ab illis diſcedere, nec vllo caſu pati ſe iude abripi: eſſet namque laudi & glo-
riae ſuae inimicus, & eodem tempore ab honore, & fama excellentium virorum paene alie-
nus, quam poteſt facile augere, & dignitati eorum non paruum cumulum addere. Sed haec
tibi praeclare nota ſunt, nec neceſſe erat, curſui tuo ardenti ſtimulum admouere; ſed volui
tecum aliquantum per litteras loqni familiari hoc meo & humili ſermone, poſtquam pari
ſtudio, & poëtica vbertate compenſare beneuolentiam tuam me poſſe diffiſus ſum. Cum
autem te antea dilexerim ob dotes animi tui, & ſtudium, quo flagras dilaud-ndi claros, &
probos viros, putare debes, in quo non decipiere, me magis te amare, poſtquam cognoui
tam pronum eſſe in honorem meum, & effundere omnes ingenij vires in me commendan-
do: etſi enim me non magnopere auidum gloriae puto, praeſertim falſae, tamen fateor, me
delectatum, qnum legi carmen tuum, in quo vndique collegiſti, quae ſimilitudinem ali-
quam in vita mea ante acta honeſti facti habebant, & vmbram tenuem dignitatis. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Medici Florentinorum, ac Senenſium Principi. S.

CVm virtutem ſemper amauerim, Princeps optime; quotienſque ſpecies aliqua ipſius oculis meis obiecta eſt, quantum tenues meae vires facere potuerunt, ipſam coluerim; viſa ſaepe in templis vxore tua optima, & nobiliſſima femina, his ſanctiſſimis diebus, quibuſque noſtri ſacerdotes refricant memoriam acerbiſſimae necis Chriſti, qui ſalutem nobis ſuo interitu dedit; animaduerſaque diligenter modeſtia ipſius, & animo toto ad caelum, opificemque eius conuerſo, mirum me deſiderium repente inuaſit, laudandi alijs illam, qui haec aſpicere non poſſunt, ac dotes animi illius, & ſingularem probitatem commendandi: etſi autem me parem non eſſe intelligebam tanto oneri ferendo, tamen reſiſtere non potui huic meae cupiditati. Quare ſtatim, calamo ſumpto, ad hoc opus aggreſſus ſum; & quae notaueram in vita ipſius, a primo eius ad nos aduentu, fideliter expoſui, & paruo hoc meo libello incluſi. Accipies igitur hoc leue munuſculum ab optimo certe animo, & tibi deditiſſimo profectum; & aliquando a me maiora opera, & tuo nomine digniora expectabis; quamuis, qui diligenter attendet, fortaſſe non omnino tenue opuſculum hoc, tibi vero ſine vlla dubitatione conuenientiſſimum, exiſtimabit. Vale, felixque ſis. Florent. XIIII. K. Mai. CIↃ IↃ LXVI.

PETRVS VICTORIVS
Andreae Patricio. S.

HIs ipſis diebus cum hac tranſiret, Romam proficiſcens, Iacobus Gorſcius, tui nominis dignitatiſque ſtudioſiſſimus, me domi meae ſalutauit, mecumque non nulla de litteris, & honeſtis artibus communicauit; quae cuncta fuerant mihi grata, & valde animo meo accepta: nihil tamen tam gratum, tamque iucundum mihi fuit, quam quod idem monimentum mihi ingenij tui dono dedit, opuſque a te confectum multarum vigiliarum, tuas inquam declarationes in reliquias illas, quae ſparſae, diſſipataeque reſtant librorum eorum M. Ciceronis, quos vetuſtate amiſimus, & nimia negligentia, inſcitiaque ſuperiorum ſeculorum: Hoc enim mihi munus iucundiſſimum fuit; atque ita denique carum, vt nihil me magis hoc tempore oblectare potuerit: huius autem mei gaudij cauſas diligenter non adferam: notum enim eſt, me ſemper ſcriptorum Ciceronis valde ſtudioſum fuiſſe, atque operam etiam multam in illis emendandis, & a foediſſimis maculis purgandis olim poſuiſſe, a qua cura etiam nunc minime alienus ſum: cum autem in manibus habeam Aratum Graecum; verſuſque ipſius politiſſimos, & eleganti doctrina refertiſſimos auditoribus meis interpreter, ſubito me contuli ad partem illam tui laboris inſpiciendam, qua ſuſtuliſti plura menda è Latino a Cicerone facto, libenterq; legi animaduerſiones tuas, plenas diligentiae, & ſingularis cuiuſdam eruditionis; quibus cognitis, cum conſilium tuum laudaſſem, ingeniumque ac doctrinam vehementer probaſſem, non potui mihi temperare, quin, antequam cetera percurriſſem, ad te ſcriberem, gratiaſque tibi agerem, quod laborem hunc ſuſcepiſſes, vtilem magnopere Latinae linguae amatoribus. Simulque gratularer, quod egregie id, quod conatus eſſes, effeciſſes. ſpero, me idem iudicium de reliquis tuis caſtigationibus facturum; quae, cum diligenter examinaro, non me pigebit rurſus ad te ſcribere, & ſtimulum aliquem currenti admouere. Cum vero nunc officio meo iam ſatisfecerim, quod itidem aliquo modo huc pertinet, volo tibi narrare, me habere in animo volumen quoddam Hipparchi Bithyni edere, magni illius aſtrologi; cuius tantum nomen eſt apud veteres omnes, & Graecos, & Latinos ſcriptores, qui aliquid aliquando attigere, quod faciat ad ſcientiam ſiderum, aut orbis terrae deſcriptionẽ; quod volumen, tres libros continens, latet in theſauris Mediceae bibliothecae: ſunt autem in ipſo plures ſubtiles, & eruditae quaeſtiones contra nõ nulla percepta, quae tradita fuerant ab Eudoxo, & Arato in eadem materia docenda, ideſt in phaenomenis explicandis: nam, vt ipſe oſtendit, poſitiſque multis exemplis, confirmat, ſcripſerat quoq; Eudoxus

eodem argumento, & indice etiam librum, quem librum ſibi propoſuit Aratus, quum ad eam rem ſcribendam aggreſſus eſt: affirmant enim (vt tu optime ſcis) veteres omnes, Aratum non valde gnarum fuiſſe rationis aſtrorum. ſed, cum ſperem Hipparchum ipſum breui foras proditurum, non ero in hac re tibi demonſtranda longior. Quare vale; meque tui amantiſſimum, vt ceterorum omnium, qui ſuis vigilijs adiuuant grauiora ſtudia, colontq; artes ingenuis viris dignas, ama. Florent. III. K. April. CIↃ IↃ LXVI.

PETRVS VICTORIVS
Gulielmo Sirleto Card. S.

CVm Romam veniret ſummus amicus meus, Angelus Guicciardinius, vnus oratorum, quos mittit Dux noſter, vt ſignificent Pont. Max. publice; totoque ordine veſtro adſtante, illum ſemper ei obtemperaturum, totumque ſe nunc conferre ad auctoritatem ipſius: atque is potiſſimum ſit ille, qui eo munere fungi debet, viſum eſt mihi, ipſum amplitudini tuae commendare; rogareque diligenter, vt ei in eo officio obeundo faueas, & quacunq; re potes, ipſum teſtimonio, & auctoritate tua, quae merito magna apud omnes eſt, ornes. Spero autem, ipſum id onus, quod ſane magnum eſt, & Aetna grauius, fortiter laturum: eruditus enim eſt, meque multum, cum adoleſcens eſſet, audiuit. Eſt praeterea in ea familia natus, è qua plures prodiere, quorum humeris omni tempore idem onus impoſitum ſit, & poſtquam de nobiliſſima eius gente mentio a me facta eſt, ſiquid etiam hoc ad rem pertinet, eſt fratris filius Franciſci Guicciardinij illius, qui hiſtoriam ſcripſit, & luculenter quidem; eumq; magna omnium mortalium, qui de hac re iudicare poſſunt, approbatione, ſcripſit: ijs igitur omnibus de cauſis cupio magnopere, vt laudatus iſtinc diſcedat, cuius ipſius laudis, ac gloriae aliqua pars in tua humanitate poſita eſt. Sed de hoc ſatis. Velim etiam, atque hoc ſummis precibus te oro, vt quemadmodum ego ſaepe audacter, ſiquid mea meorumque intereſt, a tua amplitudine peto, ita tu mihi libere, ſiquid vmquam ego tua cauſa facere poſſum, imperes: hoc mihi tam gratum erit, quam quod maxime. Vale. Florent. V. K. Mai. CIↃ IↃ LXVI.

PETRVS VICTORIVS
Fuluio Vrſino. S.

EX meo, viae Romanae propinquo rure hoc capio commodi, Fului optime, & politiſſimis litteris inſtructiſſime, quod ſaepe, quum illic ſum, vbi ſane ſum libenter, praeſertim Septembri menſe, ab eruditis aliquibus viris, qui illac praetereunt, ſalutor, vt proximo ſuperiore anno factum eſt: Nam & alij non nulli, ſtudijs honeſtarum artium plurimum commendati, ad me acceſſerunt, ex quorum ſermone magnam voluptatem cepi, & tu in primis, quem antea etiam diligebam, & aliqua commemoratione familiarium quorundam meorum in amicis habebam, & bene doctum etiam ijs, quibus ego delector, litteris, eſſe ſciebam. Gratias igitur tibi ago, quod tamen multo antea facere debebam, ob officium illud tuum humaniſſimum, & magnae beneuolentiae indicium certiſſimum: etſi poſſem etiã aliqua ratione non minus libenter referrem. Quare gratum mihi feceris, ſiquid aliquando imperabis, quod iure optimo facere potes, quia ita volo, atque huius rei tibi poteſtatem trado; & occaſionem dederis commodis tuis inſeruiendi; & animo meo eodem tempore ſatisfaciendi. Rogo igitur te, vt hoc in memoria tua condas, & exploratum penitus habeas, me omnibus tuis temporibus praeſto ſemper futurum, quod ſi raro hoc contigerit, & poſt longa temporum interualla, ſermo tamen nobis deeſſe non poterit, argumentumque epiſtolae ſcribendae: confugiemus enim ad noſtra ſtudia, de quibus ſemper a te aliquid audiam libenter, & cum aliqua etiam vtilitate: perſpexi enim ex illo breui ſermone noſtro, quantopere in illis diligens, & eruditus ſis: & quam multa, quamque accurate legeris praeſertim Graecos auctores, ex quibus grauis, & recondita doctrina hauritur: ſed de his nunc hactenus. Hanc epiſtolam ad te dedi Angelo Guicciardinio, nobiliſſimo viro, Franciſci Guicciardinij illius, qui ſcripſit hiſtoriam, fratris filio, qui vnà cum reliquis honeſtiſſimis hominibus, orator ad Pont. Max. a noſtro Duce illuc miſſus eſt, vt oſtendat, illum ſemper ipſi dicto audientem futurum, vt mos eſt,

& vetus inſtitutum primis ſemper noui Pontificatus diebus : is autem potiſſimum eſt, qui hoc munere functurus eſt. Peto igitur a te, vt ipſum ſalutes, &, ſi recte etiam facere poteris, vt ſpero, teſtimonio tuo dicentem eundem ornes : amo enim hominem vehementer; & laudis dignitatiſque ipſius mirum in modum ſtudioſus ſum. Vale, & me ama. Florent. V. Kal. Mai. CIↃ IↃ LXVI.

PETRVS VICTORIVS
Gulielmo Sirleto Card. S.

SAEPE mihi vſu venit, Cardinalis optime, vt aliqui honeſti viri, Roma redeuntes, me tuo nomine ſalutarint, multaque mihi expoſuerint de tuo eximio quodam amore erga me, & ampla praedicatione laudum mearum : illa tamen ego teſtimonia magis ſemper putaui propria humanitatis tuae, ſingulariſque probitatis, quàm eruditionis, aut virtutis vllius meae : in his autem, qui fideliter, amanterque functi ſunt hoc munere: (multi autem omni tempore fuerunt) extitit nuper Bartholomaeus Concinius, cui ego occurri in via, cum rus meum Caſſianenſe proficiſcerer, a vobis reuertenti poſt comitia iſta praeclara, & quae pios omnes mortales magna laetitia affecerunt : hic enim quoque mandatum ſibi eſſe a te mihi ſignificauit, vt teſtaretur, quantopere me diligeres, cum longum accuratumque ſermonem ſecum de ſtudijs meis, egregiaque voluntate erga bonas artes, potius quam de interioribus litteris, doctrinaque exquiſita habuiſſes : ita enim ab eruditis, & prudentibus hominibus, in quibus tu regnas, exiſtimari debere de meis laboribus volo, qui ſane mei labores magni, longique fuerunt, neque adhuc remiſerunt, aduerſante etiam, & aliquo modo repugnante aetate. Cum igitur his tot, talibuſque nuntijs ſit mihi penitus perſpecta, & explorata mirifica tua voluntas erga me, duxi, me tibi reſpondere oportere atque gratias agere his litteris diligentius, quae perpetui teſtes erunt animi mei grati, tantique beneficij memoris : beneficium enim prorſus iudico; idque non mediocre a tanto viro amari, claroque praeconio ipſius perpetuo celebrari, qui cum merito ab omnibus laudetur, ſummoque quouis honore dignus exiſtimetur, me laudare, & in caelum ferre auctoritate ſua in animum induxerit; crebroque & ſtudioſe hoc faciat. Poſtquam autem contigit, vt mihi iſtic viuere cum aliqua dignitate non licuerit, quod aliquando ſperaui, &, niſi acerbus caſus extitiſſet, obtinui; quod ſi factum fuiſſet, humanitate & beneuolentia tua propius frui potuiſſem, ſtuduiſſemque itidem mea ex parte omnibus officijs tibi carus, & acceptus eſſe : conabor nunc hoc genere litterarum deſiderium meum lenire, crebroque ad te ſcribam, & de communibus noſtris ſtudijs tecum loquar, vt ſedulo faciebam, quod tibi in primis cognitum eſt, cum optimo illo & ſanctiſſimo viro, quem ambo colebamus, & tamquam exemplum quoddam verae virtutis venerabamur : etſi tu in hoc quoque felicior fuiſti, qui admirabilem cotidie integritatem morum, ipſiuſque ſapientiam guſtare, vel potius haurire potuiſti, cum te in familiaritatem eius dediſſes : vnde factum eſt, vt eundem gradum honoris conſequerere, quem ille diu maxima cum laude geſſit. Vtinam, quod ſpero, & opto, quae vna reſtat dignitas, aliquando adipiſcare, ſed aequiore parca, quam ipſe, quem in altiſſima ſede collocatum oſtenderunt potius terris fata, quam dederunt, vt ſummus Latinus poëta de cognomine ipſius magnifice praedicauit. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Iacobo Gorſcio. S.

LITTERAE tuae, VIII. Id. Iun. Roma datae, fuerunt mihi periucundae, videoque te memoriam mei firmam, ſtabilemque in animo tuo retinere. cogor igitur tibi, quemadmodum facio, gratias agere, & ob hoc ipſum, probi ſane hominis officium, & praeterea quod, cum primum in hanc vrbem veniſti, ſtatim me domi meae ſalutaſti : quare numquam obliuiſcar hanc humanitatem tuam, & quaecunque potero, ſemper tua cauſa faciam. Accepi autem, vnà cum tua epiſtola, litteras Andreae Patricij, plenas amoris erga me, & elegantia ſingularis; cuius, magni profecto viri, & valde

eruditi, tu mihi benenolentiam ſtudio tuo coociliaſti. Nam de cura, quam amanter hic itidem ſuſcepiſti in amico mihi reddeodo, optimo iſto & oobiliſſimo iuuene Andrea Noſcouio, cur noo te laudem, atque hoc quoque in beneficij loco ponam? nihil enim tam cupiu, quam amari me ab hooeſtis, & ingenioſis adoleſcentibus; quorum bonori & laudi ego ſemper ſedulo, & exanimo faui, oec vllum vmqoam laborem recuſaui, vt ipſi vndique ornati, & optimis artibus exculti, a me diſcederent; in quo puto, me non tantū noſtrae iuuentuti, ſed alienae etiam, & abſenti laboribus & vigilijs meis non nihil profuiſſe: etſi negare non poſſum, quin maiores, & vberiores praeſentes, & qui hic vixerunt, fructus ex me tulerint: ob baec igitur tot & tanta officia, a te breui tempore, externo homine, in me collata, quibus maiora ne a familiari qoidem homine, & apud nos nato, expectare potuiſſem, debeo tibi plurimum, ac ſi potero etiam, vt boc alienum aes aliquando diſſoluam, operam dabo. Liber tuus eruditus mihi, & ingenioſus viſus eſt: laudoque te mirifice, qui tantum ſtudium in arte diſſerendi ornanda poſuiſti, cuius artis auxilio ceteri mortales & acutiores & copioſiores euadunt. Sed de bis rebus coram inter nos accurate loquemur, ſi forte, Roma diſcedens, hac iter feceris. Tu vale, & perge me amare, amore iſto tuo incredibili: ego certe nomeo tuum, mibi merito iucundiſſimum, numquam ex animo meo effluere patiar.
Florent. III. Kal. Quint. CIↃ IↃ LXVI.

PETRVS VICTORIVS
Mario Maphaeo. S.

QVANTOPERE te diligam, puer optime, atque id multis, honeſtiſque de cauſis, facile intelligere potuiſti: in primis autem te amo, & cotidie magis animo complector; quia video, te ſtudijs bonarum artium plurimum delectari, quas ego omni vita mea vehementer colui, & quas etiam nunc, quamuis ſenex, & iam grauis annis non dum ex animo dimiſi, vel potius pro viribus maiore, quam antea vmquam fecerim, cura, & diligentia proſequor. Lando igitur te magoopere, & alacritatem tantam ad virtutem, quae in iſta aetate rara eſt, & in hoc etiam ſeculo, moribuſque infrequentior, commendo, nec tamen, quod probo, & tota mente recepi, fooere, & ornare, quacunqoe re potero, ceſſabo, ſed dabo operam, vt indolem iſtam tuam, eximiumque ingeoiuo expoliam, & omnes neruos in hoc contendam: cum enim ſtudium meum nihil vmquam defuerit ſtudioſis litterarum, atque externae etiam iouentuti, praeſtoque ſemper fuerim commodis & vtilitatibus proborum adoleſcentium, praecipue me oportere arbitror, laudi atque honori tuo ſeruire, a principioque ſtatim, quum ad nos veniſti, mecum ſtatui, ac deliberaui, mihi ita de hac re facieodum eſſe: Donec igitur tu huius animi fueris; eris autem perpetuo, vt confido, ſperare potes, te in tua manu poteſtateque operam, ſtudium, diligentiam omnem meam habiturum. Perge igitur, ac viam iſtam dignitatis plenam, quam ingreſſus es, noli deſerere: ducet eoim illa te nou ſolum ad verum decus, atque honeſtatem; ſed parier etiam tibi ſolidas, ac puras aliquando voluptates, quod ſi ſtimulo aliquo te putarem egere, redigerem tibi in memoriam virtuteio, & dignitatem maiorum tuorum; quorum ego alienus doctrinam & vitae ſanctitatem admiror, & ad egregias ipſorum animi dotes exprimendas, quacunque re poſſum, incendor: quanto igitor tu magis hoc facere debes, ex ipſorum ſanguine ereatus, & non ſolum patrimonij, ſed laudis etiam & gloriae eorundem heres: ſuot enim propriae tuae partes, illos optimos, & ſapientiſsimos viros imitari, atque eorum imaginem & honeſte actam vitam ſemper ante oculos poſitam babere: cogit etiam te aliquo modo (neque tameo arroganter boc a me dici puto) & neceſſitatem tibi ad ingennas artes toto animo capeſſendi noo paruam imponit voluntas mea, in te propenſa, & adiumenti non parum ad hanc rem efficiendam, quod tibi ego adferre poſſum; cuius ſi aoimum praeclarnm erga tuam laodem parui duceres, aut auctoritatem etiam contemneres, fortaſſe peccares, ſed nimis multa de hoc locutus ſum: non enim tãtum minime neceſſaria fuit haec oratio, quae pertinet ad hortandum, ſed etiam ſibi ipſi contraria & repugnans eſt: docui enim ſupra, & plane ſignificaui, te ſatis tua ſponte ad laudem inflammatum eſſe, & curſum vitae tibi boneſtiſsimum propoſuiſſe, in quo vt permaneas, tibi ſnadeo, & omnes labores, qni neceſſario in ipſo cooficiendo ſuſtinentur, magno animo feras, vel potius ſpernas: non poteſt enim perueniri ad ſummam laudem ſine aliqua moleſtia, vt non ſolum ſapientes viri, qui vitam hominum inſtituendam ſuſceperunt, docent: verum etiam poëtae graues teſtantur,

ſtantur, quorum ſententiam luculentis verſibus expreſſam, tibi notum eſſe, exploratum habeo. Vale. Florent. XII. K. April. CIↃ IↃ LXVI.

PETRVS VICTORIVS
Bernardino Briſegnio. S.

MOLESTAE meae occupationes, vitaque, quam totam in reconditis litteris traduco, me ſaepe multis magniſque honeſtis voluptatibus priuant: neque enim facile poſſum frui ſermone, colloquioque amicorum, neque perſonas etiam eas colere, quas vellem, atque etiam deberem. Accedit huic impedimento aliud quoque non minus incommodum, vel potius multo maius, quod proficiſcitur ab aetate iam graui, & vergente ad ſenectutem, & praeterea non ſatis firma valetudine. haec igitur omnia vt mihi ſaepe, inuito, ac moleſte ferenti, plurimas eripuerunt, quas ex familiaribus capere poteram, ſuauitates, &, vt aliquando etiam fortaſſe nimis durus & agreſtis ab ipſis haberer, effecerunt, ita non ſiuerunt me amplitudinem tuam obſeruare, & intereſſe tuis amantiſſimis & eruditiſſimis ſermonibus, cuius rei deſiderio non paruo tenebar: atque id non ſine cauſa: numquam enim tecum fui, quin melior diſcederem, & prudentia tua cognitioneq; multarum rerum inſtructior a te abirem. Omitto nunc humanitatem tuam, ſummam erga me, & beneuolentiam ſingularem: non enim me tantum ſemper libenter vidiſti, & ad domum tuam frequentandam, doctiſſimis honeſtiſſimiſque hominibus plerumque refertam, inuitaſti, ſed etiam aliquando conſilio & gratia tua in meis rebus plurimum adiuuiſti, atque id ſemper beneuole & fideliter, non tantum large ac liberaliter; quae commoda ego, adiumentaque a nullo alio noſtro homine, aut raro admodum, accepi: a te vero ipſa, externo viro, ſed probo, & magna dignitate praedito, ſemper, cum res tulit, cumulate mihi praebita ſunt. De animo igitur hoc tuo, praeclaro erga me, ſaepe (vt debui) cogitans, laetatus mirifice ſum, me talem hominem nactum eſſe, qui me tantopere diligeret, atque id egregiae cuidam meae felicitati tribui: idem tamen non multo poſt non mediocriter dolui; tanta eſt laetitiae in animo quoque, aegritudiniſque, contrariarum inter ſe rerum, coniunctio. quod in corporis motibus iiſdem vſu venire, vt ſemper alter alteri ſuccedat; nec vmquam penitus voluptas a dolore diſtrahatur, ab eo, qui hoc ipſum expertus fuerat, ſapientiſſimo & optimo viro, Socrate, in diſputando olim prolatum noniſti. valde igitur ſtatim dolui, me non parem eſſe iis meritis compenſandis, neque poſſe vllo pacto debitam tibi gratiam referre: nihil autem eſt, quod ego tantopere cupiam, & quod magis dies noctesq; a Deo Opt. Max. omnibus precibus petam, quam memor, gratuſque beneficiorum intelligi eſſe: nam, quod in me eſt, vt ipſa nullo tempore obliuiſcar, numquam patiar, in me deſiderari; non tamen hoc mihi omnino ſatisfacit, neque animum meum, flagrantem deſiderio huius laudis, vllam in partem explet: audiui enim prudentem veterem poëtam, & humanae vitae non malum profecto cultorem, praecipientem, gratias eadem menſura, qua acceperis, reddi debere, vel potius cumulatiore, quam acceperis; quod etiam ab inferioris aetatis doctiſſimis hominibus valde probatum eſt, & ſeruari diligenter debere demonſtratum: nec non a pictoribus quoque & opificibus, imaginibus harum dearum, ſimulachriſque exprimendis ſignificatum. Idem tamen, vt hos minores auctores relinquam, me grauis ille poëta Heſiodus aliquantulum conſolatur, qui ad extremum addidit, ſi tamen valeas, atque id vlla ratione efficere poſſis. Putarem igitur, me ita culpa omni liberatum, niſi ſcrupulus non paruus in animo meo reſtaret: non enim ſecuri penitus animi ſum; appendix ne haec ſolum purget eos, qui par tamen pro pari reddunt, nec vt ipſe vellet, atque aequum eſſe cenſeret, pleniore manu gratiam referunt: nec ſane ipſam duplicant; & non ſubleuet eos, qui prorſus nihil contra largiuntur ac praebent; in quorum hominum numero ego certe aduerſus benignitatem amplitudinemque tuam ſum: quare vndique premor, nec inuenio, quomodo poſſim, notam hanc meam delere, niſi tenuitate quadam ſingulari, & penuria omnium huiuſcemodi bonorum, qua praeter ceteros conficior: vt autem hoc potiſſimum nunc efficerem, & me tibi excuſarem, calamum ſumpſi: volo enim, epiſtolam hanc meam indicium eſſe animi mei grati erga te, eandemque firmum teſtimonium eximiae tuae virtutis, ac liberalitatis aduerſus omnes: cunctorum enim, hominum temporibus, atque vtilitatibus vidi te omni hoc tempore, quo apud nos fuiſti, & perſonam iſtam honeſtiſſimam apud Ducem noſtrae reip. ſuſtinuiſti, diligenter conſulere, etſi ipſa praeconio meo, cum ſua ſponte ſatis nota, illuſtriſque ſit, & in excelſo gradu dignitatis locata,

non

non eget. Sed tamen in hoc obtemperare animo meo volui, &, quod ille ardenter cuperet, modice ſaltem moliri. Quod autem leuiter nunc feci, & aliud fere agens, id opportuniore tempore, & quaſi cauſam hanc agens, accuratius aliquando & vberius perſequar, atque eximias omnes animi tui dotes, non tantum hanc, haud ſane puſillam, meritoque valde gratam mortalibns; factaque honeſta, quantum vires ingenij mei ferent, praedicabo. Tu interim valebis, & me ſingulari illo tuo amore, beneuolentiaque fouebis. Florent. X. Kal. Apr. CIↃ IↃ LXVI.

PETRVS VICTORIVS
Mario Maphaeo. S.

NON potui non magnopere laetari, cum viderim, operam meam ſtudiumque, quod in te erudiendo, & ad honeſtas artes toto pectore impellendo poſui, a te contemptum non fuiſſe: perſpexi autem id ex duabus his epiſtolis, quas ad me nuper miſiſti, atque id dnobus etiam modis; primum ex ipſarum elegantia & candore, deinde ex cura, quam ſuſcepiſti, vt breui temporis interuallo ad me iterum ſcriberes; nec non ex aſſeueratione iſta tua, & animo, quem plane vidi commotum, ac vehementer ad ſtudia doctrinae inflammatum. Gandeo igitur, atque id quidem non ſine cauſa: quid enim mihi iucundius accidere potuit, quam auctoritatem meam apud te plurimum valuiſſe; meque id, quod maxime deſiderabam, facile conſecutum eſſe? Optaui autem omni vi mea, cupideque expetiui, prodeſſe probis, & ingenioſis adoleſcentibus, & iilos omni re, qua potui, ſedulo ſemper adiuui: cur igitur non eiuſdem animi ſim aduerſus te? qui in ea familia natus es, in qua plures floruere docti viri, & magnis virtutibus commendati? quare poſſum ſperare, te ipſos, vt debes, imitaturum, & parem illis aliquando vitae, eruditioniſque gloriam adepturum, quod etiam ad meam aliquam laudem pertinebit, quam ego, quum bonis artibus obtinetur, numquam putani parui eſſe faciendam, vel potius me acri amore ipſius teneri numquam inficiabor. Omitto praeterita quaedam tua officia erga amicos meos, qui ſe aliquando Volaterras, vetuſtam & nobilem admodum vrbem, viſendi cauſa cótulerunt; ſed vnum eſt, quod ego ceteris omnibus antepono, amor tuus magnus erga nomen meum, quem multis varijſque rebus cognoui: in primis autem, quod lares tuos familiares, vbi omnibus commodis vitae abundas, vt mecum ſaepe eſſes, reliquiſti: quomodo igitur poſſum non te diligere, & ſtudia tua honeſta non fouere? feci autem hoc, vt vidiſti vſque ad hoc tempus fideliter, & accurate: cotidie autem magis me huius voluntatis inuenies; ſed hoc nunc commemorare, & oratione velle demonſtrare, minime neceſſe fuit, cum rem ipſam ſpectaueris, aut, ſi opus fuerit, id ſuperiore epiſtola tibi ſatis indicaueram, & plane ſpoponderam. Quod vero nunc beneuole, largeque mihi omnia tua polliceris, facis tu quidem liberaliter, nec aliud expectari poterat a tua eximia probitate; compertum tamen habere debes, te nihil mihi gratius facere poſſe, quàm ſi ſpem meam, quam de tua optima indole concepi, non feſelleris, & te dignum maioribus tuis, qui tibi ſemper haerere debent in medullis, praebueris. Vale. Florent. Prid. Kal. Apr. CIↃ IↃ LXVII.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Hieronymo Aquauiuo, Duci Hadriae. S.

LEGIT mihi Alfonſus Cambins Importunus epiſtolam tuam, eruditionis & amoris erga me tui pleniſſimam, qua mirifice laetatus ſum: quis enim non voluptatem magnam capiat ex teſtimonio tanto ſuarum laudum? quamuis etiam ipſae, ſi non omnino inanes ſint, à beneuolentia tamen maiore ex parte, naturaeque bonitate profectae, quam à veritate intelligantur. Amo igitur humanitatem iſtam tuam, ſingularemque in me beneuolentiam in oculis fero, nec vmquam, donec viuam, obliniſcar; vellem etiam, vt meae partes forent, tam egregiam erga me voluntatem officio aliquo poſſe compenſare; ſed quoniam id mihi conceſſum non eſt, ego potius conabor hoc aequo animo ferre:

mo ferres (ſentio enim ex hac re, nouitateq; mea dolorem incredibilem) quã tu inde aliquo incommodo detrimentoque afficiare; cuius dignitas ſua vi firma ſtabiliſque eſt, nec vlla alicuius ope praeſidioque eget, quo melior ſit, atque hominum memoriae ſempiternae commendatior. Nam de animi tui magnitudine non dubito, quae cuncta aequi bonique faciet; nec à ſuis vmquam (in quorum numero me quoque haberi cupio) aliquid requirit, quod ſupra vires ipſorum poteſtatemque ſit. Sed, his omne relictis, veniam ad ſermonem illum, vnde ferme argumentum epiſtolae, omniſque haec orta diſputatio eſt. Cum enim ego ſuperiore aeſtate valetudinis cauſa in noſtro flumine eſſem, cuius aquae illo anni tempore valde ſalubres putãtur, id quod ego ſaepe in me ipſo expertus ſum, vnaque forent plures honeſti, & ingenioſi viri, in quibus etiam communis noſter amicus, omni honore dignus adoleſcens, Alfonſus, quaeſtione nata de perdicibus; huiuſcemodi enim plerunque ſermonibus tempus illud terebamus, dixi, alterum ipſarum genus, illas inquam, quas nos vulgo ſtarnas appellamus, non ſine cauſa vernaculum huius tellutis non eſſe, ſed peregrinum, & aduenticium poſſe exiſtimari, cuius rei argumentum ego ducebam à nomine, tenui ſane & incerta coniectura, cum viderentur illae ſtarne noſtro patrio ſermone, quaſi externae vocatae; quod antiquitus, vt veriſimile erat, aliunde huc aduectae fuiſſent, & in Italiam ex alijs ſedibus, quod contingit in alijs pluribus, vt tu optime nouiſti, & arboribus & auibus, comportatae; cum alterum genus earundem domeſticum & natiuum huius terrae putari deberet, id eſt illae, quas nos coturnices vocamos: conſuetudo enim noſtri ſermonis nominat ita perdices, grandiores aliquantum, quae roſtrum ac pedes rubros habent, vt maculas etiam eiuſdem coloris quaſdam in pennis, nõ quas veteres illi Latini illo nomine, id eſt coturnices: Graeci, ὄρτυγας appellabant: nos vero nunc vulgo qualeas, quae ſine dubitatione vlla ſunt aduenae, ac certo anni tempore in Italiam aduolant. Cum igitur dixi, me arbitrari coturnices eſſe peculiares noſtrae terrae, intellexi perdices illas, quas ſignificaui: cumque idem ſuſpicionem illam animi mei leuem aperui, quae tamen ab eo tempore ac loco aliena non foret: ludebamus enim, de alteris perdicibus, quae olim huc inuectae fuiſſent, locutus ſum, cum tempus extitiſſet, vt opinabar, quo nullae huius generis in Italia reperiri potuiſſent, oſtendereque volui ipſas aduenas eſſe, non quod ſingulis annis hoc ſe conferrent: hiemeque nullae apud nos viſerentur, id quod vere dé coturnicibus veterum praedicaretur: hoc autem nomen, vt video, vos adhuc aliquando in illis appellandis vſurpatis. Sed quod olim huc, vt exiſtimare licet, nouae veniſſent: vnde poſtquam ſemel hoc factum eſſet, numquam hinc abire, auolareque cõſueſſent: ſed toto anno apud nos manerent. Athenaeus in nono libro δειπνοσοφιστῶν huius quoque generis perdicum, quod in Italia inueniri tradit, mentionem facit: atque ipſum diligenter deſcribit. nũ opus eſt autem, me totum locum huc transferre, aut etiam ipſum in Latinum ſermonem vertere, cum tecum loquar, viro doctiſſimo & ad huiuſcemodi labores, ſtudiaque bonarum artium valde impigro. Videre autem poteris ipſum ita hoc tradere (niſi ego fortaſſe fallor) tamquam genus hoc perdicum non commune tunc fuerit omnium terrarum, ſed quaſi vernaculum noſtrae; id eſt totius Italiae, cum tamen in alijs multis locis ipſum frequens hodie ſit: animaduertendum igitur, quomodo id verum eſſe poſſit. Non eſſet etiam dubium, quin, ſi hoc ita ſe haberet, vt ille affirmat, id repugnaret coniecturae meae: ita enim ex noſtra potius terra in alias, quis haec quondam importata, quam aliunde huc adlata fuiſſet? fieri tamen poteſt, vt poſtquam hoc ille commemoraſſet, communis ipſa aliorum locorum facta ſit; poteſt etiam fieri, vt id, quod ille ſe comperiſſe videri voluit, numquam cõpererit. Sed tu maiore ingenio praeditus, multoque magis totius naturae peritus, ſubtilius hoc indagabis, veritatemque huius rei è profundo tenebriſque erues. Ceſſaui autem ego ad tuas illas doctiſſimas litteras reſpondere: cum enim id primis diebus, vt decebat, non feciſſem, coepi poſtea expectare, donec Alfonſus ad vos reuerteretur, cuius profectionem maturiorem multo ex ipſius verbis fore putabam; nunc vero, cum videam iter eius cotidie differri; retineri enim ſe ait negotijs quibuſdam domeſticis; ego tamen vereor, ne potius arctioribus vinculis illigatus ſit, plagaque aliqua noua Veneris impediatur, ſed honeſta illa ac luculenta; volui ſemel aes hoc meum alienum diſſoluere, ne penitus à te rudis, & inhumanus haberer; erit autem nunc in ipſius poteſtate poſitum, ſiue has ad te mittere, ſiue ſecum, cum hinc diſcedet, portare. Tu vero, quae tua eſt humanitas, negligentiam praeteritam meam non magnopere accuſabis: polliceor autem, ſi vmquam mihi aliquid imperabis, quod ego à te fieri vehementer cupio, atque id in magni beneficij loco collocabo, me in tuis mandatis exequendis multo accuratiorem futurum, operamque daturum, vt hanc à me conceptam maculam deleam. Vale, Princeps optime, & me, vt tibi honorique tuo deditiſſimo homine, vtere. Florent. VIII. Id. April. CIↃ IↃ LXVII.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Hieronymo Aquauiuo, Duci Hadriae. S.

NON patiar, humaniſſime Princeps, Alfonſum ad te ſine meis litteris redire: accepi enim ab eo, ſe ſuperiorem meam epiſtolam ſubito ad te miſiſſe: multa autem ſunt, quae me, vt hoc faciam, hortantur: primum, quia valde cupio tecum de communibus ſtudijs loqui, atq; ita tuas ſuauiſſimas, & eruditiſſimas litteras elicere; quod ſi impetraro, magnum me, & honeſtum donum abs te accepiſſe putabo: deinde volo tecum aliquantum de moribus, & ingenio huius politiſſimi iuuenis agere, quem tu, vt video, plurimum diligis, atque id non ſine cauſa meo iudicio facis. Primum autem cum ille huc venit, putabam eum vnum aliquem eſſe è numero noſtrorum hominum, qui iſtuc ſe, rei quaerendae, mercaturaeq; exercendae cauſa, conferunt: paulo tamen elegantiorem, & qui non omnino a muſis (vt illi plerunque ſunt) auerſus fuiſſet: non multo autem poſt errorem meum cognoui, perſpexique, ipſum omni alij rei magis quam pecuniae cogendae iſtic incubuiſſe: quare ſtatim amare coepi: quanto autem maiore conſuetudine coniunctus cum eo fui (acceſſit enim ad me prope ille cotidie) tanto magis mihi carus factus eſt. Vt vero vidi ex ipſius ſermonibus (antea enim quoque fructus non nullos ingenij ipſius guſtaueram) eum tibi eſſe familiarem, ſtatim mirari deſij, ipſum talem euaſiſſe; nec vllum amplius teſtimonium expectaui virtutis, & probitatis ipſius: poteſt enim ita ille vere dici in gremio muſarum nutritus, & è matre omnium leporum ac venuſtatum profectus. Magnas igitur gratias habere debet ciuitas noſtra iſti telluri, vel potius principibus ipſius, quae Alfonſum huc adeo ornatum, atque omnibus honeſtis artibus tinctum remiſit, ac maiores multo, quam ſi, vt ceteros fere facit, bene nummatum, & patrimonio vndique auctum remiſiſſet: ſunt enim haec veriora multo ac firmiora bona, quamuis imperiti, & omnis, quae, diuitias tantum admiratur, multitudo de hac re longe aliter exiſtimet. Vtinam autem plures hodie tales haberemus, maiorum noſtrorum laudi, gloriaeque plane reſponderemus; quae tota paene euanuit & è manibus iampridem elapſa eſt: ſed haec fortaſſe plura, quam oporteret de eo, tecum praeſertim, nec tamen ego ſolus ipſum hoc tempore vehementer dilexi, atque hoc iudicium de natura ipſius eximia feci: plures enim ſocios habeo huius opinionis, & ipſos illos quidem ingenioſos, & acutos viros: vt autem ad te veniam, ac de tua eruditione, ſingularique morum ſuauitate aliquid tangam (dabis vero mihi hoc, & aequo animo feres, me tecum quaſi coram de tuis animi partibus, quod ſentio loqui, & in eo deſiderio meo magis, quam pudori tuo ſatisfacere) indicauit mihi Alfonſus, cum ſtudioſe ex eo quaeſiſſem, curſum ſtudiorum tuorum, ac quibus maxime litteris caperere, quae ſunt eaedem fere, quas ego ſemper ſuſpexi, & dignas omni honeſto, ac nobili viro iudicaui: cum autem ipſae ornare poſſint quemlibet hominem, quamuis obſcurum, & tenuem, & perſonam ipſius valde honeſtare; quanto magis eas claros, & illuſtres ſua ſponte viros decorare exiſtimandum eſt? cuius inſignis ornatus, ac veri ſplendoris tu, imitatus maiores tuos, ac veſtigia illorum, plena dignitatis ſecutus, ſemper ſtudioſus fuiſti, & bonam etiam magnamque copiam ipſius ſtudio ac diligentia tua tibi comparaſti. Habes igitur in tua manu poſita ſemina verorum, liquidorumque gaudiorum, cotidieque decerpas, neceſſe eſt, fructus vberes ex tua iſta honeſta, & praeclara vita; quos etiam, ſi aliquando guſtaſſent ceteri iſtius loci, atque ordinis mortales, qui toti voluptatibus corporis dediti ſunt, atque inanem ſplendorem falſamque gloriam ſectantur, profecto, & ipſi amaſſent, ſuamque omnem praeteritam vitam magnopere reprehendiſſent: Tu vero non tibi tantum hos fontes puriſſimarum voluptatum aperuiſti, optimaque hac ratione animum tuum diu oblectaſti, ſed etiam hominibus, qui tibi parent, populiſque tuis eodem tempore conſulere potuiſti: vnde enim maiora bona expectari poſſunt, quam ab his, qui cognitione honeſtarum artium pectus ſuum muniuerunt ac ſapientiae ſtudio inflammati ſunt? Quis neſcit ſententiam fuiſſe hanc veterum, doctorum virorum, & qui de hoc exiſtimare recte potuerunt, alteram hanc viam eſſe efficiendi ciuitatem beatam, ſi, qui illam regunt, ac clauum ipſius tenent, ſapientiam colere inceperint: ſeque ita dignos tanto gradu honoris, auctoritateque reddiderint. Tu vero philoſophiae, poſtquam imperium adeptus es, vt recte id munus obires, te dare non neceſſe habuiſti, ſed cum a teneris vnguiculis

plurimum

plurimum ſtudij in doctrina, & ſapientia collocaſſes, doctus ad imperandum veniſti. Quae vere legitimeque coniuncta ſunt in te poteſtas, & ſapientia, & vtraque perfecta ac cumulata, quod paucis mortalibus omni memoria contigit, a moribus certe inſtitutiſque huius aetatis valde alienum, ac remotum eſt; in qua (quod vehementer dolendum eſt) vix pauci priuati etiam homines reperiuntur, qui philoſophiam, optimarum omnium artium parentem, ament. Recte igitur feciſti, multumque profecto in hoc etiam ipſo vidiſti, qui ad inſignes ceteras tuas, illuſtreſque laudes, hanc quoque minus celebrem, minuſque peruagatam doctrinae adiunxiſti, quae tamen magno & ipſa honore digna eſt, & a veris rerum exiſtimatoribus fortaſſe non inferior illis haberetur: cui enim inaudita tua eſt bellicae virtutis gloria, magnumque decus, quod tibi ea diſciplina militari, fortitudineque animi peperiſti? Vnum autem ego cognoui, ſummo & ipſum natum loco, Marium Columnam, qui eandem vitae viam ingreſſus ſit, &, cum tempora reipublicae poſtularint, nullum vmquam militarem laborem, periculumque pro dignitate, & commodis ſui Principis, noſtrique Ducis recuſarit; idemque poſtea otium ſuum conſumpſerit in politioribus ſtudijs, animoque ſuo purgando, & omni boneſta arte expoliendo; de quo tecum nunc aliquantiſper loqui non verebor: puto namque te laudibus ipſius laetaturum, omnemq; orationem hanc meam libenter auditurum, quia virtutem in alijs etiam amplecteris, & amas; nec non quia tecum ille, vt ipſe mihi aliquando narrauit, affinitate coniunctus eſt, valdeq; etiam diligit, & in omni ſermone plurimum commendat ac celebrat: eſt enim hic profecto iuuenis, exemplum quoddam humanitatis, viuaque effigies omnis elegantioris doctrinae: cum enim Muſae mirifice ipſum diligant, ipſe quoque illas, vt neceſſe eſt, toto animo veneratur, ac colit: nam carmen lepidum ſaepe, & Latino, & Etruſco noſtro ſermone ſcribit, & diſciplinam Ariſtoteleam omnem, quae vitam ac mores ornat, & qui ſit optimus ſtatus ciuitatis, docet, percepit; nec non reliqua etiam ipſius magis communia magiſque popularia ſcripta, vt omnem quoque veterem memoriam egregie cognitam habet, atque ita denique exploratam, vt nihil eorum ipſum fallat, quae vmquam a Graecis, Romaniſque populis, aut barbaris etiam nationibus geſta fuerint, & quod non minus in eo laudandum eſt, propter innocentiam, ſplendoremque eximium vitae valde carus eſt noſtris Principibus, ſapientibus viris; in oculiſque fertur a tota ciuitate ob patria etiam fortiſſimi viri; ſummique ducis, erga ſe merita, & praeclara facta. Sed ad te reuertar, qui in eodem ſtudio, militarique omni laude magna cum gloria verſatus es: admonet enim me recordatio huius virtutis, vt eo, vnde digreſſus fui, redeam, etſi mihi nunc propoſitum non eſt, de hac praeſtanti laude diſputare, ſed de ſtudio illo, quod mihi tecum, vt initio dixi, commune eſt: quamquam meliorem illius honeſtioremque partem tibi, vt debeo, concedo: nec tecum vllo pacto de ſummo loco in ipſo contendere auſim: nec, ſi vellem, etiam commode poſſem. Viues igitur in iſto tuo honeſto otio cum magna animi alacritate, & cum temporum quies, tranquillitaſque concedet, fruere iis oblectationibus, ſuauitatibuſque, quae è muſarum fontibus hauriuntur, & a paucis omnino mortalibus deguſtantur: ita enim quoque te a vulgo turbaque idiotarum ſegregabis. Vellem autem ego aliquando particeps eſſe poſſe tuorum iucundiſſimorum ſermonum, &, quod ſaepe contigit ciui illi meo Alfonſo aditum habere ad tuam familiaritatem: ſperarem enim, me inde ornatiorem multo abiturum, ſed quoniam hoc mihi propter longinquitatem locorum negatum eſt, enitar hac vna ratione, qua poſſum, ducere ad me aliquid tuae ſuauitatis; & è longinquo libare ſaltem guttas aliquas è tuo perenni flumine ingenij, quod faciam audacius, maioreque cum ſpe ſitim hanc meam aliquando explendi, ſi ſenſero, litteras has meas tibi moleſtas non fuiſſe: nollem enim me a te, dum honori meo, voluptatique ſeruio accuſari, & nimis cupidum inconſideratumque hominem haberi, vt qui omnia prae meis commodis oblectationibuſque deſpicerem. Vale. Florent. V. Non. Mai. CIↃ IↃ LXVII.

PETRVS VICTORIVS Antonio Auguſtino Epiſcopo Ilerdenſi. S.

MISIT ad me Laelius noſter Taurellius, vir optimus, & amicorum (quam ego maximam laudem iudico) ſtudioſiſſimus, cum turi eſſem, epiſtolam tuam, amoris erga ambos nos, & eruditionis plenam: ex ea igitur ego magnam voluptatem, & noo minorem fructum, cepi: factua enim ſum ipſa doctior, & ad loca veterum ſcriptorum exaſninanda, magis adhuc vigilans, & induſtrius: Laudo autem te, & iu oculis fero, qui cum in perſona tua tuenda, munereque iſto praeclaro obeundu, occupatus ſis, non tamen intermittis vetera ſtudia, quae tibi honori fuerunt, prodeſſeque conaris non ſolum ijs, qui viuunt, verum etiam priſcis hominibus iam pridem fato functis, qui & ipſi vt poſteros iuuarent, multum laborarunt. Animaduerſiouem igitur illam tuam acutam puto, qui videris apud Ciceronem Maſo, pro Marſo ſcribendum; argumentaque. quibus opinionem tuam confirmas, ita acnta, firmaq; iudico, vt non putem de veritate lectionis dubitari poſſe: ſed cum Florentiae in communi quadam bibliotheca ſatis antiquum exemplar eorum Ciceronis librorum ſit, cum iu vrbem rediero, illud viſam, ſi forte coniecturae tuae accedat auctoritas veteris ſcripturae, etſi, vt iam dixi, ſine ipſa etiam rem exploratam habeo. Eodem pacto, quae ſequuntur etiam illic fluuiorum nomina diligenter ſpectabo, an aliquid in ipſo diſcriminis contiueant, ac poſtea de tota re accurate rurſus ad te ſcribam. Quod tibi correctio illa mea Cicerouiaui loci, ſine vlla dubitatione deprauati, pro P. Seſtiu non probatur, mihi quoque ipſa audacior videretur, niſi totum locum ita citatum olim reperiſſem a vetere grammatico, vt tunc teſtatus ſum, quamuis nomen ipſum ne nunc quidem recorder: notaram autem hoc in aduerſarijs meis, auctoris nomine praeterito; idque tunc ſequutus ſum: non ſoleo enim opiuioni meae tautum tribuere, vt ſine teſtimonio aliquo firmo inuentum aliquod iu veteribus ſcriptoribus omnino probem; quin potius accuſo illos, qui hoc temere faciunt, nec ceſſo vmquam conſilium illorum reprehendere, ſi conſilium ipſum appellandum eſt, & non temeritas potius quaedam, & libido. Si vero librum aliquem ſcriptum ipſe vidiſſem, iu quo ita legeretur, aut huiuſcemodi aliquo firmamento mea illa emendatio niteretur (excuſus certe Lutetiae Pariſiorum Anno CIↃ IↃ XXXI. io officina Iodoci Badij hanc lectionem recepit, in quo multi praeterea loci recte reſtituti ſunt, auxilio antiqui libri, vt ille affirmat, & ego prorſus credo) optimam ipſam omnium, & appoſitiſſimam exiſtimarem: nam praeter ea, quae tunc a me allata ſunt, quae ſane, ſiquis acumen huius ſententiae attendat, inania & contemnenda nō ſunt, quis neſcit, quantum commodi, & vtilitatis capiatur in ſtudijs bonarum artium ex huiuſcemudi perſonis, & quantopere illae valeant ad minuendum laborem, qui neceſſario ſuſcipitur in doctrinis perſequendis, & rebus cognitu dignis memoriae prodeudis; quod oſtēdere voluiſſe arbitror Ciceronem, cum inquit. Nihil Attae iuuabant anagnoſtae: hoc enim ſolum vitioſum eſt iu illa Aſcenſiana editione, quod anagnoſtae interpunctione ſeparatū eſt valde ab antecedente voce iuuabant, quod tenue erratum ipſe correxi: iuuant enim profecto talia ingenia, & adiumenti, voluptatiſq; plurimum adferunt ei, qui ex animo amet honeſta ſtudia, incenſuſque ſit deſiderio reconditarum litterarum. Exemplum huius rei eſſe poteſt Tiro ille Tullianus, cuius opera ſtudioque erus vtebatur, & poſtea patronus in huiuſcemodi rebus: memini etiam ego honeſtum virum aetatis noſtrae vſum itidem fuiſſe diligentia, & induſtria ingenioſi adoleſcentis in hac re, qui & tunc merito ob ingenij artes, morumque elegantiam placere poterat graui viro, vt nunc floret omni laude ingenij, eruditusque in primis euaſit; ille tamen eo tempore, cum pauperculus foret, operam illi ſuam dabat in his rebus, & alijs etiam tenuioribus adminiſtrandis; ſed de hoc ſatis duobus valde diſtantibus temporibus diſputatum eſt. Sententia vero, quae ex iſtis modis, reſtituta lectione elicitur, frigidior mihi videtur, & Ciceronis acumine parum digna, vt quod ſentio de hac re, libere tecum loquar. Quod vero meminiſti de libris meis variarum lectionum, atque id amice, & magnifice feciſti, ſcire te volo, me in manibus habere plures alios illiuſmodi libros, quos cupio edere, ac, ſi inuenero, qui fideliter imprimat, ſtatim ipſos editurus ſum. Quia etiam in eadem epiſtola de M. Tullij locis diligenter, eruditeque diſſeruiſti, mittam & ipſe ad te vnum è multis, quos mihi videor non inepte apud hunc optimum auctorem emendaſſe, & in his nouis libris notaſſe; Sed vt ſpero non longe aberit, cum tu totum opus videre poteris: curabo enim, vt cito ad te perferatur, poſtquam non omnino deſpicis genus hoc ſcri-

ptionis, neque plane in eo operam & oleum perdere exiſtimas. Vale, vir optime, & omni eleganti doctrina politiſſime. E Decimano meo Prid. Id. Octobr. CIↃ IↃ LXVII.

PETRVS VICTORIVS
Hieronymo Mercuriali. S.

DVo primum fuere, Mercuriali humaniſſime, quae me ſcriptis tuis ſtatim reſpondere non ſiuerunt; alterum eorum fuit, quia nomen auctoris eorum in ipſis, vt moris eſt, additum non erat; alterum vero, quia arbitrabar, illum ipſum, quicumque foret, ludere mecum, ac iocari, cuius rei argumentum erat, quod nomen reticuerat: nunc vero, cum te pateſeceris, videareque ſerio mecum agere, ſimulq; pergas, opinionem illam meam oppugnare, non mihi viſum eſt amplius tacendum; ne forte ſilentium meum aliquid incommodi pareret, quod multis modis in iſta nobili ciuitate, & regina cunctarum aliarum vſu venire, ac contingere poſſet. Non poſſum autem non magnopere mirari, te, doctum hominem, ac ſummum medicum, eundemq; magni ingenij virum, vt ego accepi, ac facile credo, veritatem huius rei non videre, quae tam plana & aperta eſt: nam quid aliud te impellere poteſt, vt mecum tam vehementer contendas? neque enim ego cum Lucretio mihi bellum gerendum vmquam putaui, quem ſemper laudibus extuli, ac quacumque re honeſte potui, ornaui; quod parua ingenij mei monimenta multis locis teſtantur; neque tamen debeo, ſi quando ille lapſus eſt, & alicui errori affinis inuenitur, ipſum ſectari: cum enim hominem, quantum ratio patitur, diligam, putoque ipſius, & copioſo ſermone magis quam ſententijs delecter, non debeo tamen minus homines aetatis noſtrae amare, ac quacunque re poſſum illis non prodeſſe conari? Solus ne ego, aut primus hoc tempore docui, veteres illos, magnos auctores in exprimendis Graecorum ſententijs aliquando peccaſſe? nonne extitere, qui & M. Ciceronem, & Virgilium reos huius criminis aliquando egere? nec tamen ita aſtute aliqui ipſos aggreſſi ſunt, contraque eos tantus tumultus excitatus eſt (non accuſo te hoc loco Hieronyme, qui amice id, & moderate feciſti), ſemper enim veritas amicitiae anteponenda eſt: cunctoſque hoc facere oportere, ſententia & iudicio ſapientium teſtificatum eſt. Sed ad ipſum locum, his nunc relictis, veniam, de quo mihi tecum concertatio eſt. Scripſi ego, videri, Lucretium errasse, qui in ſententia Thucydidis vertenda, non viderit καρδίαν illic non cor, vt ille putauit, ſed ſtomachum valere: notum enim eſt, & teſtimonijs optimorum ſcriptorum confirmatum, in Graeco ſermone non vnum tantum oſtendere id nomen, ſed duplicem eius notionem eſſe, cum ſignificet etiā ſuperioris ventris principium, & quaſi os. ac totum quoque ſaepe illum: tu vero putas, cor etiam apud Lucretium idem eo loco valere; voluiſſeq; illum id Graecum verbum exprimere. Velim autem mihi indices, vbi forte, aut ipſe alio loco, aut alius quiſpiā bonus Latinae linguae auctor, ſiue etiam non ſatis bonus ita hoc nomen vſurparit: nam ſi Lucretius ita purus ſcriptor, candiduſque eſt, vt eſt, quod tu quoque fateris debuit magnopere cauere, ne noua hac inauditaque notione huius nominis patrium Latinumque ſermonem inquinaret. Notum eſt etiam, ipſum de egeſtate ſuae linguae vehementer queri, quod ſi huiuſmodi aliquid moliri ſibi licere putaſſet, nō oportuiſſet, eum tantopere paupertatem Latinae orationis accuſare: cuncta enim ita ipſi facilia dictu, procliuiaque fuiſſent. Nec poteſt etiam dici Lucretium more poëtarum id feciſſe: neque enim fuiſſet hoc vnum aliquod eorum verborum, quibus paſſim poëtae orationem ſuam illuſtrant, & grandiorem, honeſtioremque reddunt: aut enim translatis, aut externis, aut vetuſtis verbis vtuntur, quum aliquid dignitatis ſuae dictioni comparare volunt, aut aliqua huiuſcemodi ratione, quae cunctae diligenter traditae ſunt ab optimis huius artis magiſtris, ideſt immutant communem aliquam vocem, aut demendo inde aliquid, aut ipſi addendo. Nec tantum ſibi tribuerent, vt longe aliter caperent peruulgatam vocem, ac conſuetudo ipſa ſoleret: nulla autem aetas, aut gens, Latini ſermonis particeps, ſtomachum cor appellauit. Sed hoc relinquamus, quod ita certe firmum ſolidumque eſt, vt conuelli poſſe non videatur, videamuſque ea, quae ſequuntur; vnde manifeſto deprehendemus, quae ſit ratio illic eius vocis, conferamuſque inter ſe ſententias vtriuſque ſcriptoris: nam tu certe concedis, Lucretium illic propoſuiſſe ſibi exprimendum Thucydidem: aliter enim numquam diceres inuſitatam, penituſque nouam ipſum notionem huic nomini aſſignaſſe, niſi imitari Graecum ſcriptorem voluiſſet. Latinus igitur inquit. Inde vbi per fauces pectus complerat, ſignificans vim illam ſaeuam eius morbi, totum pectus oppreſſiſſe, quod non dixerat Graecus, qui tantum cōmemorauit ipſam in pectus deſcendiſſe. non potuiſſet igitur, ſi hoc feciſſet, non peruenire ad cor, quod illic quidem certe ſedem ſuam habet, quae ſequuntur vero,

&

-- & ipſum Morbida vis in cor maeſtum confluxerat aegris.
ſiquis accurate attendat, hoc declarant, &, quod obſcure prius dixerat, aperiunt: morbum ſcilicet illum ex omnibus pectoris partibus ſe coniecisſe in cor: neque enim noui aliquid addit: ad aliamve vllam corporis partẽ perueniſſe ipſum narrat, his verbis, ſed omne ſuum virus illuc effudiſſe: Eſt autem ἐμφατικώτερον, additum illud ipſum: quaſi enim dixit in arcem praeſidiumque vitae. Hoc praeterea verum eſſe teſtatur verſus, qui ſequitur.

Omnia tum vero vitai clauſtra lababant.

cuius verſus quis vmquam ſenſum hunc eſſe negaret? niſi qui veritati repugnare prorſus vellet, & obſtinatè ſententiam ſuam tueri, cum id factum eſſet; morbuſq; ille acer in cor confluxiſſet, tunc firmamenta vitae, quaeq; ipſam ſuſtinet, cuncta temptari, & labefactari coepiſſe, quod neceſſe erat fieri principio vitae, & quaſi domicilio fracto, ac debilitato. Tu vero putaſti ipſo interpretari voluiſſe Lucretiũ Graeca haec Thucydidis verba, μετὰ μεγάλης ταλαιπωρίας, quod cui probaturus ſis, videbis. Ego certe neminem te arbitror inuenturum, cui hoc perſuadeas: quis enim non videat, apta haec verba eſſe è ſuperiore nomine ἀποκαθάρσεις, quod oſtendit praenomen αὗται, ante ipſa poſitum, intellexiſſeque Lucretium varias illas rationes, quibus morbus è ſtomacho eijcitur, quae purgationes moleſtae in primis, & aerumnoſae eo tempore erant; perperam igitur, ac miſerè illa conuertiſſet, nedum feliciſſimè id facturus fuerit, vt tu exiſtimaſti, ſi illo modo ipſa reddidiſſet. Quod autem ſupra dixi, etſi ſatis ſua ſponte planum eſt, magis tamen adhuc perſpicuum foret, niſi duo illi verſus inter ſuperiorem illum, & inferiores hos, itidem duos, interiecti fuiſſent, non ſane ſuo loco; ſi verum ordinem Thucydidis, prudentiſſimi, & accuratiſſimi ſcriptoris ſpectamus, collocati, quod etiam aliter cognoſci, ac certo teneri poteſt, intelligo autem hos.

Spiritus ore foras tetrum voluebat odorem
Rancida quo perolent proiecta cadauera ritu:

ſecutum enim fuiſſet, quod comprobat, & auget ſuperiorem ſententiam

Atque animi prorſum vires totius, & omne
Languebat corpus leti iam limine in ipſo.

nam ſupra poſuiſſe verba Graecum auctorem, quae vertit Lucretius illis verſibus apparet; etſi poſteriore illorum imaginem expoſuit, vt rẽ magis illuſtraret, & quaſi ante lumina eorum, qui legerent, conſtitueret, καὶ πνεῦμα ἄτοπον καὶ δυσῶδες ἠφίει. Hoc etiam ſtrictim attingere alienum non fuit, vt perſpiceretur, quàm parum diligens fuerit in tota ea parte interpretanda Lucretius. Sed redibo iam ad ea, quae antea explicabam. Attende ſodes ſententias Graeci auctoris, qui tantum commemorat, morbum illum in pectus deſcendiſſe, neque adiungit ipſum cunctas pectoris partes peruaſiſſe: puto autem, eum oſtendere voluiſſe recta ſemper morbum iter feciſſe, atq; ita ad ſtomachum perueniſſe, quo cũ acceſſiſſet, illic tamquam in firmiore ſede manſiſſe, aliquantumque in eo loco reſtitiſſe: hoc enim aperte valet illud, καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν στηρίξειεν. vnde ſecuta ſunt ea, quae exponit, quae ſine vlla dubitatione ſtomachi propria ſunt, non cordis, ideſt euerſiones ipſius, vomituſque, & cuncta, quibus inde bilis eijci ſolet. Quis igitur iam non videat, perperam accepiſſe hanc vocem Lucretium, & quod apud Graecum ſtomachum valebat, ipſum cor appellaſſe: nam quod maeſtum ipſum vocat, ipſemet ſuo iudicio peritroeq; enim hoc, quod additum cordi recte eſt, nomen ſtomacho conuenit, durumq; eſt, ac nimis ab vſu remotum putare ſtomachum maeſtum vere poſſe appellari, quia aegritudo inde originem ducat: neque enim conſuetudo ſermonis haec tam ſubtiliter attendit, neq; etiam docti viri plerumque ita loquuntur. Eodem pacto nimis ſubtilis eſt tua iſta obſeruatio, & quae non ſolum a ceteris, verum etiam a veſtris ducibus cuſtodita minime ſit, intelligo, quod de propria notione καρδίας, & ſtomachi protuliſti, vbi affirmas non potuiſſe Lucretium recte ſtomachum καρδίαν vocare: video enim Celſum, non malum Latini ſermonis auctorem, vbi cardiaci morbi remedia tradit, ſemper partem eam, quam ille morbus vexat, ſtomachum appellare, quod vnum exemplum ambas illas tuas animaduerſiones euertit. Tu enim exiſtimas Lucretium tamquam coactum, & neceſſitate ſibi impoſita cor vocaſſe, quod apud Thucydidem erat καρδία: quia nullum inuenire Latinum vocabulum poſſet, quod aptius ipſam exprimeret. Quod ſi licentia, vt tu arbitraris, ipſi vtendum erat, magis certe ferri poterat, ſi vocem illam vſurpaſſet, quam Celſus partem eam corporis noſtri vocari conſueſſet, ideſt ſi ſtomachum ipſam nominaſſet, quam ſi inauditam notionem vſitatae vocis in patrium ſermonem intuliſſet, ſed nulla in eo licentia fuiſſet, in hoc vero tanta, vt veriſimile nõ ſit, ipſum vmquam id commiſſurum fuiſſe. Nullo autẽ negotio poſſent a me alia quoq; proferri, quibus omnibus ſuperſedebo, quia illa nullam in partem neceſſaria arbitror. Praeterea iterum infra in hac ipſa peſtilentiae deſcriptione cor maeſtum proprie appellat, vbi interpretatur ἀθυμίαν, quae, vt verbum ipſum oſtendit in animo eſt, nõ in ſtomacho: nam, quum ſtomachum hic intelligit, ſuo, ac proprio

nomine ipſum appellat, non inaudito auribus Latinorum, & quod nouitate ſua, duplicią; ſignificatu, merito poſſet quemlibet, qui legeret, perturbare, & caliginis multum menti ipſius offundere: nulla enim res eſt, quae tantopere fugienda ſit ei, qui plane, dilucideą; loqui vult, quam ὁμωνυμία, quamquam non poteſt haec ita vocari in Latino ſermone: nemo enim umquam aliter cepit hoc nomen cor; neque aliud maiores errores gignere poteſt in animis eorum, qui audiunt. vt autem ὁμωνυμία Graecae vocis, quod memoriae quoque prodidit Galenus, neminem fallebat, qui in veterum ſcriptis aliquantum verſatus eſſet, ita contra haec, quae nulla eſt, omnes & doctos homines, & idiotas fefelliſſet. Peccaſſet igitur magnopere Lucretius, ſi ita locutus fuiſſet, atą; a ſemet ipſo deſciuiſſet, qui ita facundus eſt, & eloquens, mirificuſque Latinae linguae obſeruator. Sed ad alterum Lucretij locum veniam, quem etiam leuiter reprehendi, ne mihi rurſus neceſſe ſit, de his rebus tecum, quod facere nollem, praeliari: addam autem nõ nulla, quae valent (vt opinor) aliquid ad iudicium meum vetus confirmandum; illa vero a me relicta tunc fuere, quia non omnia ambitioſe colligere volui, cum peccatum eius ſatis certum apertumque foret. Quod enim affirmaui tunc, velle de ea quaeſtione ſtare iudicio eruditorum, non mutaui animum, neque tamen arbitror, illis verbis me cogi a paucorum, & fortaſſe iniquorum iudicum ſententijs ad veriores, ac iuſtiores huius rei exiſtimatores non prouocare. Apud Graecum ſcriptorẽ eſt tantum ἐστερισκομένους, quo verbo ſignificatur ſolum, eos, illis partibus corporis orbatos, & quaſi mancos, ac debiles factos: impetum autem illum morbi id mali creaſſe apparet: nam ſi ferro id factum fuiſſet, tetigiſſet profecto aliquid Thucydides, quo id ſignificaret; ſed etiam Galenus hoc morbi genus id efficere ſolere teſtatur, vbi accurate diſſerit de crurum humanorum vtilitate; & quã apte pedum forma talis a natura fabricata ſit, ponit ante oculos, vt ſcilicet auxilio crurum & ſtare, & moueri poſſimus; quorum altero ipſorum munere priuantur homines, quibus pedes mutilati ſunt: id autem demõſtraſſe affirmat peſtilentiam, quae paulo ante, quàm ipſe libros eos ſcriberet, ingruerat: ſummam enim pedum partem illam in magno hominum numero putridam reddidiſſe narrat; vt alterum taceam, vt minime hic accommodatum, quo idem tunc perſpectum eſſe ſignificat. Praeterea quod addit Lucretius, inuentos etiam aliquos, qui oculis priuati euaſerint, quis non milies mori malit, quàm caecum in vita permanere? aut quãdo auditum eſt, effodere alicui oculos remedium eſſe alicuius morbi, certamą; ei ſalutem dare? In primis autẽ declarat, exiſtimaſſe Lucretiũ aegrotos volentes, illią; praeſidio fidentes, aequo animo paſſos eſſe illam iacturam membrorum, quod in extremo ab eo poſitum eſt,

Vſque adeo mortis metus his incuſſerat acer:

Hoc enim ἐπιφώνημα, id aperte teſtatur, miratur namque, repertos aliquos, qui tam cupidi vitae fuerint, vt ad hoc miſerum auxilium confugerint: ita enim vos quoque medici, ac vere quidem haec remedia morborum acerbiſſimorum vocatis, vt Celſus, vbi loquitur de cancraena: ſuo autem iure hoc facit Lucretius. Sciebat enim ducem ſuum auctoremque eius rationis optimum eſſe cenſuiſſe: cum homo in huiuſcemodi aliquem atrocem caſum incidiſſet, fugere è vita, in qua nihil amplius ipſi iucundi reſtaret; quaeque referta eſſet acerrimis continentibuſą; doloribus, praeſtoą; portum eſſe clamitare Epicurum ſolitum; vnde etiam Lucretius alio loco, inſimulat quoſdam, ac deſpicit, qui, cum grauibus malis, atą; omnibus denią; aerumnis affecti eſſent, tamẽ viuerent, quod numquam facturos fuiſſe illos putauit, ſi, quam falſo ipſe verã putabat rationem ab Epicuro inuentam, didiciſſent. Quod ſiquis ex me quaerat, vnde haec tanta Lucretij incuria nata ſit: nam poſſem etiam alia nõ paruae culpae affinia in eadem deſcriptione loca demonſtrare, dicerem, id factum fuiſſe, quia cum carmen illud pangeret, librum in manibus non haberet: nec accurate ſingulas ſententias, toto animo in verſibus faciendis occupatus examinaret: quod autem aliquando legiſſet, ipſum memoria tunc non tenuiſſe: non enim ita rudem ipſum fuiſſe Graeci ſermonis dicere auderem, vt vim etiã peruulgatorum vocabulorum non teneret. Quemadmodum, quum errauit etiam in numero dierum oſtendendo, quo acer ille morbus aegrotos abſumeret; quod profecto cum omnino naturae illius rei aduerſetur, non modo hiſtoriae, vos quidem certe medici ferre nullo modo debetis. Non dico praeterea ego, Lucretium cuncta, quae ſcribit eo loco, a Graeco hiſtorico accepiſſe, omnibuſque in partibus eum ſecutum fuiſſe: quis enim non videt προγνωστικὸν, quoque Hippocratis explicaſſe, vbi notas mortis exponit, ac de ſuo etiam non nulla illi narrationi aſperſiſſe, & non pauca quoque diligenter a Thucydide commemorata omiſiſſe, nec tamen non apparet, quando ipſum interpretari voluit, quamuis non ſemper id ei feliciter ſucceſſerit, vt contingit duobus his, quos ego notaui, locis. Sed iam finem faciam diſputandi, hoc tantum addam, cum initio litterarum tuarum ſignificaris, me debuiſſe ab incepta opera deſiſtere (his enim verbis vſus es) non video, cui tanto flagitio, vel ſceleri potius affinis ſim, vt tam grauibus verbis coherceri debeam, quaſi ego male ſentiam de pietate Chriſtiana, a quo nefario crimine longiſſime

longiſſime abſum, vide, ne tu potius ab iniquo aliquo huius criminis arguare; qui fateare, te Lucretij auctoritatem maximi facere; quod ſane ego, vt iocari deſinam, vehementer miratus ſum, nec mecum cogitare poſſum, quomodo hoc verum ſit: quaſi Hippocratis, aut Galeni dixeris, quos merito ſuſpicere, & quaſi venerari debes: non enim puto, te vllo pacto rationem, quam ille tradit, probare, vt philoſophi, quae ſemper a polito omni, eruditoq; viro contempta irriſaque eſt: non poteſt etiam ille, vt poëta, dignitatis plurimum habere, quippe cum in numerum, gregemque poëtarum a doctis non recipiatur; quod ſi aliquid ipſi auctoritatis reſtat, optimo ſcriptori, latinaeque linguae accuratiſſimo magiſtro, merito illi ipſi conceditur; quam laudem, vide, quaeſo, ne tu ei eripias, ſi pergis ipſius puriſſimum ſermonem huiuſcemodi notionibus verborum contaminare; quare magis laudaui, quod in extremis illis litteris a te moderate magis ſapienterque poſitum eſt, me debere hoc Lucretio condonare, quod ego libenter faciam, ſi, vt videris illic facere, concedis ipſum erraſſe: non enim tantum condonabo ipſi hoc crimen: ſed ne pilo quidem ipſum minus amabo: neque enim corrumpunt huiuſcemodi lapſus id, quod ſemper in ipſo mirificè amaui, ac toto pectore colui, ideſt vbertatem, & elegantiam orationis; deque eximia Lucretij virtute, (ſic enim iudico) multo plura dicerem, niſi alijs in locis plene id, cumulateque feciſſem. Vale, Florent. VI. Kal. Ian. CIↃ IↃ LXVII.

PETRVS VICTORIVS
Auguſtino Paganellio. S.

LITTERAE tuae fuerunt mihi gratae, gauiſuſque ſum magnopere audiſſe, te humanioribus ſtudijs nuntium non remiſiſſe; quod praeter quam quod tu plane mihi verbis tuis ſignificaſti, facile etiam perſpicere potuiſſem ex elegantia & candore ipſarum: quid enim ſuauius venuſtiuſq; illis? quid autem ſtudijs his, quae nunc colis, horridius, & ab omni lepore remotius? intelligo, vt nunc illa vulgo tractantur: neq; enim me fallit, fuiſſe tempus, quo iuriſconſulti eleganter in primis loquerentur, ac veram Latinae linguae rationem ſoli paenè tenerent; nec etiam clam me eſt, inueniri aliquos hodie, ſed paucos, qui non abhorrent ab vlla polita, elegantique diſciplina. Sed, vt ad rem redeam, libenter legi tuam epiſtolam, valdeq; probo conſilium tuum, qui ſtatuiſti manſuetiores muſas non omnino deſerere. Capies tu vero ex his litteris aſſiduam voluptatem, & (vt ſpero) aliquando etiam honoris dignitatiſque non parum: non miror autem, te auelli non poſſe ab his ſtudijs, ſed contra potius ipſa vehementer amare: qui namque in ipſis tantum profecerunt, quantum tu olim feciſti, & ad reconditas ipſorum partes peruenerunt, non tantum primoribus labris ea deguſtarunt, non poſſunt ipſa facile dimittere, & tanta, tamque honeſta voluptate carere: ſed etiam iſtic eſt, qui rudes quunque homines, & ieiunos huius ſuauitatis, lepore atque vbertate orationis, variaque ſua ac venuſta doctrina facile ad illa vocare & allicere poſſet, Petrus Angelius, magnus poëta, nec minor orator, & omni denique eleganti ſcientia praeditus. Perge igitur iſta via progredi, & noli a temet ipſo deſciſcere: nam, ſi aliter faceres, & exiſtimationi tuae deeſſes, & ijs quoque, qui tibi prodeſſe voluerunt, & in ea re plurimum laboris ac diligentiae poſuerunt, doloris aliquid ignominiaeque inureres. Vale. Florent. IIII. Id. Ianuar. CIↃ IↃ LXVII.

PETRVS VICTORIVS
Mario Columnae. S.

MIRIFICVM amorem tuum erga me iam diu multis modis perſpexi, ipſoque vehementer, vt debui, delectatus ſum; nihil tamen magis mihi patefecit egregiam tuam in me voluntatem, quàm poſtremum hoc pium officium, quomodo functus es in me conſolando, in magno meo ac graui dolore; omneſq; hoc profecto numeros in ſe ſinceri animi, ac verae, fideliſque amicitiae habuit: auctoritas igitur tua magnopere me mouit, ratioq;, quam ſecutus es in hac re efficienda minime vulgaris, vtinam vera illa foret, multum valuit. Quare non irritum fuit ſtudium tuum, nec fruſtra laborem iſtum cepiſti: contra enim quemadmodum amanter, & humane tu feciſti, ita quoque fructum non paruum mihi ſedulitas tua, & beneuolentia tulit: cum

enim mihi hoc tempore non defuerint cognati omues, atque affines, vt relliqui quoque amici, probi homines, ac mei amantiſſimi; nullius tamen oratio tantam vim habuit leniendi doloris mei, quantam tua haec humaniſſima, & amoris pleniſſima epiſtola; gandeo autem: hoc enim verbo vti non verebor, etſi alienum videtur eſſe ab hoc meo acerbo caſu, ac luctu, atque id etiam audentiua vſurpabo, vt plane cognoſcas, verum eſſe quod dixi, litteras tuas valde mihi profuiſſe: gaudeo igitur, me talem, tantumque amicum nactum eſſe, qui omnibus meis temporibus praeſto ſit, totoque animo ſeruiat laudi meae. Mirari vero neminem oporter, me rantopere conflictatum eſſe interitu mulieris vetulae, & quae iuſtum curſum aetatis confecerit, quodque in primis ad mitigandum dolorem eorum, qui in vita reſtant, multum valere debet, quae aequo animo vitam hanc reliquit, & ad meliorem illam, beatioremque, ad quam ſibi viam honeſtis ſuis factis parauit, laeta profecta eſt: cum enim recordor longam aetatem, quam cum ea vixi, & quantopere ſemper ipſa mihi iucunda fuerit, quotque & quam magnas curas in ſe ſuſceperit, vt me omni moleſtia liberatet, non poſſum non magnopere dolere: ſcire enim te volo, me, qualis qualis in litteris ſum, ſtudiiſque bonarum artium, hoc totum non parua ex parte ipſi acceptum referre, quae laboribus ſuis effecerit, vt ego otioſus incumbere in ilia potuerim, eutamque omnem rerum domeſticarum in ſe paenè ſuſceperit, ac tempus mihi diiargita ſit ad honeſtas artes colendas. Omittam nunc maiores ipſius virtutes, quemadmodum pietatem erga Deum ſingularem, & prudentiam, quae mulieris captum ſuperaret: neque enim ipſam laudandam, doteſque animi ipſius celebrandas ſuſcepi, quae ſane multae, magnaeque ſunt, & illae quidem plurimis ſatis notae ac peruulgatae; ſed de maerore meo tecum aliquantulum loqui volui, qui idem hoc voluiſti, oſtendereq; nō omnino ipſum importunum ac ſine cauſa ſuſceptum eſſe. Magna praeterea vis eſt conſuetudinis, vt tu probe noſti: cum enim adoleſcens admodum ipſam vxorem duxerim, ſatiſque longum tempus cum eà vixerim, quomodo poſſum nō angi, & grauiter maerere, me ipſa orbatum eſſe nunc, quum maxime laetabar officijs ipſius erga me humaniſſimis, & colloquija etiam ſuauiſſimis? aetatem enim grauem, qualis eſt mea, egere huiuiceniodi aliquo ſolacio, nec poſſe infirmitatem ſuam ſuſtentare ſine auxilio fidelis, caraeq; perſonae notum omnibus & exploratum eſt: in primis tamen ego deſidero amorem ipſius, incredibilemque beneuolentiam, qua me ſempet proſecuta eſt: haec autem ego nunc commemoro, non quia remedium, quod mihi adhibuiſti huius ingentis mali, putem inane futurum: contra enim, ſiquid erat, quod me iuuare poſſet, & animum meum afflictum aegritudine excitare, tuae litterae fuere, ſed vt ſcires, conatum tuum in me ſanando neceſſarium extitiſſe, nec ſine opera, diligentiaque iſta, me facile terminum luctui impoſiturum fuiſſe, ac, ſi id aliquando fieret, ſero ipinm, & poſt longitudinem temporis me impetraturum. Gratias igitur tibi immortales ago, qui cito graui huic vulneri manus admouiſti, & antequam altius penetraret, neruos ipſius incidiſti; agnoſcoque ego in hoc, ſicut in alijs omnibus tuis factis eximiam tuam erga me humanitatem ac beneuolentiam. Cum vero, vt dixi, ſperem in poſterum quoque tempus valde mihi profuturam eſſe medicinam hanc tuam, atque omnem prorſus aegritudinem abſterſuram; hoc quidem certe omni tempore, quo ad tuas litteras reſpondi, omnem memoriam rerum aduerſarum ex animo meo eieci, atque exturbaui, totuſque in cogitatione tui honeſtiſſimi nominis ac beneuolentiae conquieui; quare vellem ipſum diuturnius fuiſſet, ac fortaſſe ea de cauſa a me longius ſentiente fructum, quem inde caperem, productum eſt. Vale, & omnibus tuis in rebus, quemadmodum mereris, &, vt tua maxima virtute ac vera bonitate dignum eſt, felix, fortunatuſque ſis. Florent. Non. Mart.
CIↃ IↃ LXVII.

PETRVS VICTORIVS
Coſmo Medici Duci Florentinorum, ac Senenſium. S.

CVM ſcirem te valde amare humaniores litteras, enitique, quacunque ratione poſſes, ſtudioſos ipſarum iuuare: nam ſupellectilem illam egregiam antiquiſſimorum librorum, relictam tibi a maioribus tuis, diligenter ſeruas; & ſemper aliquos, ſtudioſè conquiſitos, & magnis ſumptibus paratos, ipſi addis. Omitto eos, qui tibi a ciuibus, cupiditatis iſtius tuae rectiſſimae explendae deſiderio flagrantibus, dono paſſim dantur, qui multi ſunt, & lectiſſimi omnium.

Cum

Cum inquam haec ſcirem, ac praeterea in animo te habere, optimos quoſque ipſorum, qui adhuc peruulgati non ſunt, curare excudendos; volui, vt debeo, huic ſtudio tuo ſuffragari, & ſpecimen aliquod iam nunc dare cupidis bonarum artium tuae voluntatis. Quando igitur extabant illic duo praeclara Hipparchi Bithyni, ſummi aſtrologi, opera, ceteris eiuſdem ſcriptis vetuſtate conſumptis, iudicaui non male inde initium duci poſſe tanti in omnes mortales beneficij: quare, adhibita multa cura, ac diligentia, ipſa edidi: additus autem ipſi eſt Achilles Statius, propter ſimilitudinem materiae atque argumenti, antiquus & ipſe ſcriptor; non tamen tantae, quantae Hipparchus, dignitatis: ille namq; ceteros omnes ſcientia caeleſtium rerum ſuperanit, & principem diu locum in illis auctoribus tenuit; quod teſtantur crebra ſententiarum ipſius teſtimonia apud veteres,& Graecos,& Latinos ſcriptores cum magna tanti viri celebritate ac gloria. Poſtquam autem ipſe, mea ſponte, honori tuo ſeruiens, Princeps Illuſtriſſime, commodiſq; ſtudioſorum, aggreſſus ſum ad hoc opus; nobilemque in primis ſcriptorem, edidi, nobilem materiam, ac valde vtilem vitae explicantem, quanto maiores fructus expectare amatores honeſtarum artium poterunt ex ſtudio, & apparatu tuo. Nam conſilium tuum idem vetus, conatuſq; animi praeclarus eadem ratione ornandi optima ſtudia, culpa miniſtrorum interruptus fuit; quamquam ita quoque prodiere inde vtilitates non mediocres: ſed ipſe quoque illo tempore partem aliquam eorum laborum, ac fortaſſe non deteriorem ſuſtinui, cupiditate, qua incenſus ſum, adiuuandi elegantiores litteras. Perge igitur ſupplere bibliothecam tuam valde celebrem, ac copioſam; nec minorem diligentiam adhibe in cura iſta tractanda, qua communicetur tam pulcher, honeſtuſq; theſaurus cum omnibus nationibus: haec enim magis grata erit, & magis fructuoſa bibliotheca, quae nullis parietibus claudetur, ac breui per omnes terras, non omnino incultas, diſſeminabitur, & ab omnibus caſibus periculorum vacua ſemper erit. Cum vero alijs etiam rebus principes viri non magno negotio valeant multum prodeſſe hominibus, quin haec in primis vera ratio, certaque ſit, dubitari non poteſt, qua ſcientiae bonarum artium augentur, & antiqui ipſarum ſcriptores ab interitu vindicantur. Eos autem, qui ſedulo hoc faciunt, ſibi aditum ad immortalitatem aperire, & quaſi humanam naturam exuere, exploratum eſt: nam praeterquam quod nulla alia re mortales magis ſimiles Deo fieri poſſunt, quam beneficia hominibus dando, qui diſertos viros, & ingenioſos adiuuant in curſu honeſtorum ſtudiorum, facilius hoc conſequuntur: illud enim potiſſimum genus hominum colunt, quod monimentis ingenij ſui immortalitatem dare mortalibus conſueuit. Huius vero facultatis ipſorum domus tua maxime illuſtris, optima teſtis eſſe poteſt, quae cum ſemper fouerit ingenuas artes, honoreq; ac commodis affecerit ſtudioſos ipſarum, nacta eſt illos omni tempore beneuolos, ac cupidos ſuae gloriae; quique ipſius diuinas laudes ingenijs ſuis immortalitati conſecrarunt. Sed neque hoc tibi nouum, & inauditum eſt, neque ſtimulo aliquo eges ad recte omni in te faciendum. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Lectori. S.

QVA fidem meam omnibus probatam eſſe cupio, totam rem tibi accurate narrabo, ac quibus auxilijs in hoc munere obeundo vſus ſim, aperiam. Extat antiquus liber Hipparchi in Medicea bibliotheca, quem olim cum primum legiſſem, impulit me ſubtilitas huius ſcriptoris, vt ipſum cum ijs, qui cognitione ſtellarum caelique delectantur, communicarem. Antequam tamen impreſſori darem, quia audiueram in Vaticana bibliotheca alterum cuſtodiri, curaui, meum, è Mediceo expreſſum, cum eo diligenter conferendum: ſunt autem in illo tres tantum libri, quos ſcripſit in Eudoxi, & Arati phaenomena. huius igitur, qui ſequitur in excuſo inſcribiturque ἀστερισμοί, vnicum tantum exemplar habui. Achillis itidem duo exemplaria nactus ſum, non parum inter ſe multis locis diſcrepantia; quod facit tamen ad verba potius, & ipſorum ſeriem, quam ad ſententiam auctoris magnopere variandam. Miſſa quoque ſunt ad me Roma vna cum Achille, ſcripta quaedam mutilata veterum quorundam doctorum hominum, qui ſtudio, ac labore ſuo, aut Arati poëma, aut ſcientiam hanc ſiderum illuſtrare voluerant; & illa ipſa praeterea plena macularum; quae tamen cum haud penitus inutilia iudicaſſem, multis locis correcta ſedulitate mea, non indigna putaui, quae foras exirent. Quod vero in extremo, ſiue Eratoſthenis, ſiue Hipparchi nomine additum eſt, falſo prorſus indice, nul-

lam in partem redolet acumen, eruditionemque nobiliſſimorum eorum, vetuſtiſſimorumque auctorum; multiſque modis intelligitur ab inferioris aetatis aliquo notatum fuiſſe. Leges etiam illic, quod cognitu dignum iudicaui, magnum numerum doctorum virorum, & in varijs artibus laudatorum, Arati opus vigilijs ſuis ornaſſe, quod multum facit ad gloriam ipſius celebrandam, ſignificandumque, quanto in honore olim fuerit haec rerum caeleſtium cognitio, quae hodie, quod dolendum eſt, paenè iacet ignauia noſtra, atque omni dignitate ſpoliata eſt: nam additis illis ipſis Latinis, inſignibus, clariſque in primis auctoribus, Theoneque Alexandrino, magno mathematico, cuius eruditiſſimus, copioſiſſimuſq; commentarius in Aratum extat, ad quinquaginta illi peruenerunt. Magnis autem ego occupationibus impeditus, & quia ſatisfacere cupidis huius grauis auctoris non poteram, niſi ipſum ſua lingua loquentem, cito diuulgaſſem, non edidi nunc, vt optabam, Hipparchum a me in Latinum ſermonem conuerſum, ac paenè perpolitum, ſed breui, vt ſpero, ille quoque meus labos edetur. Haec volebam tibi non ignota eſſe. Vale.

PETRI VICTORII EPISTOLARVM

Liber Septimus.

PETRVS VICTORIVS Bernardino Briſcgnio. S.

TV quoque, vir optime, meique tuo merito amantiſſime, ſolacij plurimum mihi in magno meo dolore attuliſti: in quo enim vxori meae extremo vitae ſuae tempore morem geſſiſti, conceſſiſtique auctoritate, quae tibi attributa eſt, vt domi noſtrae res diuina fieret; cuius rei illa magno deſiderio tenebatur, me adiutum a te puto, & aegritudinem meam valde leuatam: cepit enim ipſa ex ea re incredibilem voluptatem, laetioreque animo functa illo pio munere, quod numquam in vita omiſerat, cum per valetudinem licuit, ad meliorem vitam profecta eſt; commemorarem tibi diligenter, quantopere pia molier gauiſa ſit liberalitate iſta tua, & quam magna poſtea eadem laetitia perfuſa, quum toto animo, non ſolum oculis, vultuque incumbebat in ſacerdotem, ſanctiſſimum illud opus adminiſtrantem; commemorarem haec omnia, inquam, ſi dolor ſineret, qui mihi in animo ex recordatione illarum rerum reuocatur: aderam enim, & vnà tota noſtra domus: nam hoc ipſa voluerat; quae cum magnitudinem animi illius, ſingularemque pietatem admiraretur, lacrimas tamen tenere non poterat. Veram igitur, iuſtamque cauſam habeo te laudaodi, magnumque te mihi beneficium dediſſe, prae me ferendi: cum enim tam gratum illud, acceptumque ceciderit ei, quam vehementer amabam, quomodo poſſem oon fateri, me tibi valde obligatum eſſe? quod enim tempore, locoque fit, id in primis nos capere, & in ſenſus intimos noſtros penetrate conſueuit. Non primum autem nunc amplitudo tua egregiam ſuam voluntatem erga me mihi ſignificauit, ſed alijs etiam ſnis humaniſſimis factis, quantopere me diligeret, declarauit; quae cuncta ego ſemper in memoria fixa retinebo, & litteris etiam meis aliquaodo teſtatus ſum: nullum vero eorum (vt verum fatear) me tantopere delectauit, pluresque numeros in ſe eximiae cuiuſdam bonitatis habuit, quam hoc poſtremum. Eſt vero praeclarum, & magnopere expetendum, facile in rebus honeſtis poſſe placere hominibus; neque tamen hoc minus valere debet ad aoimos eorum, qui compotes ita fiunt ſuorum deſideriorum, ſibi conciliandos. Non hoc autem dico, quia me fallat, quam caute conſiderateque pro dignitate rei hoc ipſum tribui hoc tempore, concedique ſoleat; id quod tu in primis, vt es in omni tuo munere obeundo prudeotiſſimus, diligenter ſeruas. Vt vero tu amantiſſime poſtulato meo, voluntatique illius piae feminae, cum adhuc ſuperſtes eſſet,

ſatisfe-

ſatisfeciſti, quae aliter maeſtior multo è vita diſceſſiſſet, ita Marius Columna, humaniſſimus iuuenis, & cunctis animi, ac formae bonis florentiſſimus poſt plagam illam acceptam, me conſolatus eſt, ſtuduitque maerorem meum, luctumque lenire: ſcripſit enim ad me epiſtolam accurate; iiſque argumentis in ea eſt vſus, atque ita beneuole tempori illi meo ſeruiuit, vt videatur mihi turpe eſſe non conſilijs ipſius parere. Ab ambobus igitur vobis, magnis viris, fateor me valde ornatum eſſe, & humaniſſimis officijs ſubleuatum: tu enim, vt patefeci, ſinceri multum, purique gaudij praebuiſti coniugi meae cariſſimae, & quaſi facilem viam ipſi ad ſuperas ſedes aperuiſti: ille vero mihi opem tulit, & bonam, magnamq; partem mei doloris diſcuſſit. Amo igitur ambos, meque magnum a vobis duro meo hoc tempore beneficium accepiſſe fateor: coniungo autem te libenter cum illo, a quo ſeiunctus, diſtractuſque eſſe nullo pacto potes, & quem ſemper cognoui a te diligi, & merito carum haberi. Vale. Florent. XI. K. Apr. CIↃ IↃ LXVII.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Baptiſtae Arcucio. S.

GRATA mihi fuit, Arcuci optime, epiſtola tua: munus vero multis, magniſque de cauſis iucundiſſimum, & vera omni, puraque voluptate refertiſſimum. Quomodo enim ego non gaudere debui tanto tuo iſto amore in me, quantus ne a veteribus quidem amicis, familiaribuſque expectari poteſt: ſemper autem mihi cariora illa dona fuerunt, quae ab alicuius animo, ingenijque dotibus proficiſcuntur, quàm quae a copia patrimonij, & fortunis, quemadmodum eadem etiam rariora & difficiliora: pauci enim reperiuntur, qui in hoc genere largi, benignique eſſe valeant: non ſunt etiam inter ſe conferendi fructus, qui capiuntur ab ijs, ad quos perueniunt, ex vtroque genere liberalitatis. Laetatus igitur ſum, ac vehementer quidem laetatus, voluntate iſta tua praeclara erga me, ſtudioque, quod adhibuiſti magnum in me ornando; gratiaſque tibi eà de cauſa immortales ago; ac, ſi potuero, etiam aliquando referre conabor. Poëma vero tuum elegans mihi viſum eſt, & cum varium, atque eruditum, tum omnibus ingenij luminibus excultum: nec dubito, quin ipſum placiturum ſit cunctis hominibus, qui de his rebus exiſtimare poſſunt: mihi quidem certe, vt dixi, mirifice probatur, & omnibus item his, quibus hoc tempore ipſum legendum dedi, qui non pauci fuere, nec parum in hoc ſuauiſſimo ſtudij genere verſati. Gratulor igitur tibi, qui ſinceram hanc voluptatem iuuentuti moderatae, cupidaeque bonarum artium genuiſti; eodemque tempore tibi magnum nomen, aeternamque gloriam comparaſti, nec minus gratulor iſti telluri, quae hoc ſeculo tot, & tam claros viros tulit; quorum ingenia, cum in alijs etiam partibus doctrinae enituerint, in hoc praecipue genere litterarum, muſarumque cultu mirifice floruerint. Tu vero perge, ſtudioſos honeſtarum artium iuuare, nomenque tuum immortalitati commenda; & poſtquam tua probitate, ſingularique humanitate impulſus me quoque amare & celebrare coepiſti, noli in priore rerum efficiendo defatigari; nec te taedium vmquam capiat tui iſtius in me animi: alterum enim iam plene cumulateque praeſtitiſti, ideſt me plus etiam quam neceſſe erat, dilaudaſti. Vt autem non confido, me tibi parem in praeconio tibi tuae virtutis tribuendo, vllo tempore futurum, ita in amore, beneuolentiaque tibi plane reſpondebo. Vale. Florent. XV. Kal. Mai. CIↃ IↃ LXVIII.

PETRVS VICTORIVS
Alexandro Criuellio Card. S.

PRAEDIVM hoc meum Caſſianenſe, viae Romanae propinquum, in quo ego non modo ſum libenter, verum etiam acquieſco; & è multis meis magniſque occupationibus, ac moleſtijs reficior, ſaepe mihi aliquorum gaudiorum, & nõ mediocrium animi oblectationum cauſa fuit: contingit enim crebro claros aliquos, & honeſtos viros; ſiue Romam proficiſcentes; ſiue inde abeuntes, hac iter facere, qui aut domum hanc meam venientes me ſalutant (horum autem ego non paruum numerum appellare poſſem doctorum virorum, & ſcientia ingenuarum artium inſignium) aut a me, obuiam eunte ipſis, ſalutantur, &, quum illis commodum eſt, hoſpitio quoque accipiuntur: vt libere autem loquar, quod ſentio, ex nullo vmquam ego tot & tantas, beneficio huius mei ruris, voluptates cepi, quot quantaſque, Cardinalis ſumme: idemque optime, ex ſermonibus congreſſibuſque tuis hauſi: cum enim hoc autumno non ſatis ſalubre caelum vrbis vitandum ſtatuiſſes, teque in fundum hunc tuum amaeniſſimum, fructuoſiſſimumq; contuliſſes, quem vetere, ac certo iure poſſides, ego ſtatim vt id audiui, felicitatem hoc meã quandam putaui: pollicituſq; mihi ſum è vicinia hac noſtra mirificas ſuauitates; id tamen, quod eſt, fatebor, vicit res ipſa expectationem, ſuperauitque longo interuallo comitas, humanitaſque tua opinionem illam, quam mihi de ipſa non temere ſpoponderam: etſi illam prius valde probari, in caelumque ferri ab hominibus fide dignis, audiueram · quod enim genus ſolidae, puraeque voluptatis guſtari ex aliquo poteſt, quod ego non ex tuis grauiſſimis prudentiaeque plenis colloquijs ceperim? vnde plura exempla ad recte honeſteque viuendum peterentur, quam mihi ex imitatione tuorum honeſtorum factorum, ſanctiſſimarumq; cogitationum hoc tempore ducere contigerit? Multa ſane ego legi, & non negligenter omnino veterum, Graecorum, Latinorumque, ſcriptorum ingenij monimenta volutaui, in quibus tamquam in ſpeculo, viſuntur conſilia, & facta clarorum ſapientiumque virorum, quae cum illic laudentur, hortantur nos, & impellunt aliquo modo, vt ipſos imitemur; magis tamen mouent, vt a doctiſſimis quoque auctoribus illa vocata ſunt, viua exempla, & quae nos ipſi oculis intuemur: veremur enim ſemper, atque id non ſine cauſa, ne illa, quae leguntur, ingenijs ſcriptorum ornata ſint, & ſupra omnem veritatem amplificata: contra autem, quae ipſi ſpectamus, & quorum certi teſtes alijs eſſe poſſumus, ab omni hoc timore vacua ſunt. Cum igitur ego, & praeceptis doctorum virorum, & cognitione veteris memoriae, vitam & mores meos expolire conatus ſim, atque hoc diu ante oculos propoſitum habuerim (quo in ſtudio vtinam tantum profeciſſem, quantum ſemper cupij, ac laboraui) magis me intelligo breui profeciſſe, coniectis luminibus in te, atque omni tua vita, diligenter explorata, quam longo alio tempore, reliqua omni ratione ac via: vt enim cetera tua omittam, magna profectò & ipſa laude digna, & quae merito mortales ſuſpiciant; quae tua religio eſt, & cura rerum diuinarum? quanta tu diligentia, & ſtudio cuſtodis praecepta omnia, & mandata noſtrae inſtitutionis, & ſanctiſſimae Chriſtianae pietatis? quis vmquam inuentus eſt, qui, citra ſuperſtitionem, ac ſimulatam probitatem, adeo prae ſe ferat ſpecimen quoddam, & exemplar verae & incorruptae ſanctitatis? neque enim tu triſtis quidam, & nimis ſeuerus es, contraque laetitiae atque hilaritatis plena omnis tua vita & oratio eſt. Vnde autem maior laetitia, integriorque voluptas oritur, quam ex conſcientia animi ſui? cum aliquis cognoſcit, ſe nulli culpae affinem eſſe, nec pectus diſtractum habet varijs cupidinibus, ſceleréue vllo contaminatum. Quomodo autem, qui intus gaudet, ac geſtit, non oſtendere alijs etiam ſe poteſt a triſtitia & aſperitate remotum? Praetereo, qua diſciplina imbueris totam familiam tuam: neque enim domus vlla integrior, caſtiorque eſt, atque hoc ſane tibi, quod multis arduum, ac difficile foret, pronum ac procliue fuit: nón debet autem hoc, quod dico, nouum alicui, atque incredibile videri: qui enim ſe continet, nullo negotio ceteros, quibus praeeſt frenare, & coercere poteſt. nullae igitur ab illis iniuriae in vicinos; a te vero in eoſdem cuncta iuſtitiae & honeſtatis plena. Itaque non modo homines ipſi aduentu tuo, manſioneque hac diuturna laetati ſunt: atque inde fructus non paruos vtilitateſque ceperunt, verum etiam agri ipſi, ac propinqua loca aliquo modo exultarunt, totaque haec regio perfuſa laetitia eſt, teque tamquam aliquem, de caelo delapſum, diuinum hominem; ad ſeque beneficio Dei Optimi Maximi miſſum, admiratur ac colit. Sed conſilium meum non fuit, quum calamum cepi, tuas laudes perſequi,

ſequi, ſingulareſque animi dotes explicare; veniet tempus, vt ſpero, atque opto, cum ego id commodius facere potero, atque hoc ipſum argumentum meae totius orationis habebo, quemadmodum idem olim publice laudaui, aſtante vniuerſo veſtro ſacratiſſimo ordine, alium, qui in illum excelſum gradum bonoris, & quo altius mortali homini aſcendere non licet, peruenerat; gratiaſque itidem agam patribus, qui cognitis atque exploratis ſummis virtutibus tuis, non tam ipſas iuſto ac debito praemio compenſarint, quam rationibus ſuis, ac publicae vtilitati conſuluerint. Quare, hoc nunc omiſſo, reuertar ad illud, quod initio mihi propoſitum fuit, loquarque de voluptatibus, quas mihi opportunitas huius mei ruris: aduentuſque tuus attulit, quae fuerunt multae ac magnae, ac cotidie etiam creſcunt nouis aliquibus ſemper ſuperioribus additis. nam haec, quam modo; & beri denique deguſtaui, qualis & quanta exiſtimari debet? quod auxilio huius loci, ac liberalitate tua, ſalutaui maxime illuſtrem, atque omni cultu ac veneratione dignum Guidonem Ferrerium Cardinalem, quem tu domi tuae, redeuntem ab aquis calidis montium Lucenſium accepiſti, & ipſius ſuauiſſimis, erudititiſſimiſque ſermonibus frui mihi licuit: illo autem quoque non facile aliquis humaniorem, comiotemque inueniret, & omni boneſta arte inſtructiotem: mecum enim quoque, vt grauiores ipſius ſcientias praeteream, accurate de ſtudijs humanioribus, & vbertate elegantiaque Graeci ſermonis, quo valde ipſe delectatur, & ego eius amore a teneris annis incenſus fui, locutus eſt. O diem mihi illum beatiſſimum, & omni ſincera puraque voluptate refertiſſimum: quae namque maior voluptas eile poteſt homini ſeni, & qui omni aetate ſua doctrinae bonarum artium deditus fuerit, quam cum grauiſſimis, & honeſtiſſimis viris de virtute, ae reconditis, & nobili viro dignis litteris loqui? ſimulque cum ipſis in amoeuo aliquo, & aprico loco ambulare: haec enim eſt profecto apricatio illa, iucunditaſque, quam non ſine cauſa doctus quidam & in republica adminiſtranda multum verſatus, regnis etiam, non iuſte partis, anteponendam duxit, ac pluris, quam omnia illiuſmodi emolumenta, ac gaudia aeſtimauit. Valde igitur obligatus ſum buic meo ruri, quod ſi non penitus fructibus ſuis domum meam explet (etſi ne hoc quoque nomine ipſum accuſare poſſum, ac de eius exilitate iure optimo queri; quae namque fert, gignitque, cuncta ſuauia ſunt, & ſuo quaeque in genere perfecta) his tamen multo maioribus vectigalibus me inſtruit. Sed magis tibi, Cardiualis ampliſſime, maximiſque animi ac fortunae bonis inſtructiſſime, obſtrictus ſum, qui me omnium horum commodorum iucunditatumque, propter tuam eximiam bonitatem, participem eſſe voluiſti, auctorque mihi, ac princeps borum omnium honeſtorum gaudiorum fuiſti: cum autem aliter me tibi nunc gratum eſſe ac tanti beneficij memorem, oſtendere non poſſim, volui ſemel hac mea epiſtola tibi fideliter indicare, quo animo acceperim banc tuam tantam erga me benignitatem: teſtis autem illa perpetua erit tuae humanitatis, & ſingularis cuiuſdam, inauditaeque probitatis. Vale, & me, tuae laudis dignitatiſque ſtudioſum, ama.

PETRVS VICTORIVS
Guidoni Ferrerio Card. S.

DVo ſunt, vir optime & Cardinalis ampliſſime, excipio ſtudia litterarum, quae ego ſemper colui, & vnde mirificas voluptates cepi, quorum alterum, ruſticatio eſt, vitaque ab vrbe, ac turba remota; alterum vero, opportunitas huius mei praedij, quae origo mihi cauſaque fuit maximorum gaudiorum: ambo autem illa nunc magis diligere, & amplexari cogor: ita enim in epiſtola tua laudaſti rus ipſum, totque ac tantis vtilitatibus abundare docuiſti ſolitudinem, ac receſſum, vt facile impellere potueris ad ipſum amandum, auerſum etiam natura ab eo, non tantum augere amorem illius in pectore hominis, qui valde ipſum omni tempore dilexerit, &, quum potuit etiam per occupationes, libenter preſſerit, ac frequentarit: cum autem ex boc potiſſimum meo agro propter vicinitatem noſtrae vrbis, ac viae Romanae, quod in illa epiſtola, quam ſcripſi ad maxime illuſtrem Card. Criuellium, teſtatus ſum, occaſionem ſaepe nactus ſim cognoſcendi honeſtiſſimos, & doctiſſimos viros, boc etiam nomine magis nunc illud carum habere, & celebrare debeo, poſtquam mihi, tamquam anſam dedit inſinuandi me in animum tuum, ac ſingulares tuas virtutes penitus perſpiciendi: quomodo enim aliter ego potuiſſem, qui in patria viuo, & arctis vinculis hic alligatus ſum, bumaniſſimos, & erudițiſſimos ſermones tuos deguſtare, & partem vllam tuae ſuauitatis haurire, niſi ope & be-

neficio

neſcio ipſius? maiorem igitur, ac veriorem cauſam habeo huius mei ruris laudandi, quam Laches ille Terentianus habuerit ſui commendandi, ac ſine dubio fructus hi, quos ſignificaui, longo interuallo vincunt commodum illud, quod ipſe è ſuo, vt commemorat, capiebat. Addidiſti autem tu magnis illis ipſius laudibus, quas accurate explicaſti, vnam maximam omnium, propriam quidem illam perſonae, & dignitatis tuae, quod, qui vrbes, ac coetus hominum vitant, eodem tempore fugiunt illecebras multas peccandi, & in haec vitia incurrendi, quae hoc licentiae pleno ſeculo in plurimarum terrarum partes inuaſerunt; ſimulque melius multo poſſe deditum ipſis, illic res diuinas contemplari, & in proprio munere Chriſtiani hominis verſari oſtendiſti. Gratiſſimum igitur mihi feciſti omnibus modis, qui me in hac mea ſententia confirmaſti; exemplo etiam doctiſſimorum, & ſanctiſſimorum virorum. Quod vero in eadem illa tua grauiſſima, & prudentiſsima epiſtola tuliſti itidem in caelum ingenium atque eruditionem meam, profectò magis hoc beneuole, & amice, quam vere feciſti: neque enim tanto praeconio dignae ſunt partes animi mei, nec ita praeſtantes labores, quos ego, cupidus iuuandi ſtudioſos bonarum artium, ſuſcepi; vtinam illos perficere, & ad ſummum perducere potuiſſem, quod potui tamen, praeſtiti, ac reliquo etiam tempore, quo in vita manebo, non deſinam eodem conſilio laborare. Cum autem videam multis modis ex epiſtola hac amplitudinem tuam haec quoque humaniora ſtudia amare, & quicquid temporis eripere poteſt è maximis curis, literiſque grauioribus, totum ad has manſuetiores muſas transferre, aliquando aliquid ad te ſcribam, depromptum è ſinu ipſarum, &, vt ſpero, non omnino inane, ac contemnendum; quod etiam audacius faciam, poſtquam cognoui, te coniecturam illam meam, qua videor mihi deleuiſſe maculam è pulcherrimo loco digeſtorum, non repudiaſſe: timide enim attingere ſoleo hoc genus emendandi, vel potius inſimulo eos, qui nimis libere, & ſolute hoc faciunt; qui ſane hac aetate plures ſunt: illorum vero errori vel temeritati potius fortiter eſſet reſiſtendum. Laetor igitur, opinionem illam meam comprobatam eſſe ſententia, & auctoritate tua; nunque prorſus illam certam & exploratam iudico: in ſcripto enim veteris iuriſconſulti, quod vetuſtas, & negligentia librariorum deprauauit, corrigendo, non alienum eſt, ipſos imitari; &, vt illi faciunt, auctoritatibus niti, praeſertim ſapientium, & in hoc doctrinae genere laudatorum virorum. Sed, cum ad extremum epiſtolae tuae, & (vt Graeci loquuntur) quod tu optime ſcis, ἀκροτελεύτιον nunc peruenerim, arbitror, me quoque oportere finem hic ſcribendi facere, praeter quam quod, cum Romae, vt puto, nunc ſis, alia ratio mea eſſe debet tecum agendi, atque hic erat, quum in agro & receſſu illo amoeniſſimo cum optimo, & prudentiſſimo viro viuebas. Vale, & me vtere, vt tuo, omni tua in te, quod ſine metu vllo; vel potius cum iuſto imperio, ac mea maxima voluntate facere potes. Ex agro meo Caſſianenſi. X. Kal. Nouembr. CIↃ IↃ LXVIII.

PETRVS VICTORIVS

Ferdinando Medici Card. S.

QVANTOPERE te ſemper dilexerim, ſumme Cardinalis (liceat aetati meae ita tecum agere) & vt toto pectore laudi honorique tuo, vt debebam, fauerim, ſciunt plures amici mei, & familiares etiam quidam tui; nec tamen ante hunc diem vmquam ſtudui, vt hic meus praeclarus animus erga te, & dignitatem tuam, vel potius obſeruantia, & cultus neceſſarius vulgo intelligeretur, atque ad aures multarum gentium perueniret; in quo ego fortaſſe reprehendendus ſum, & profecto graui culpae affinis forem, niſi tacitus ſaepe mecum de tuis eximijs naturae bonis cogitaſſem, & in omni etiam ſermone, quem habui cum grauibus, & moderatis viris, ipſas valde celebraſſem: aut ſi partes animi tui, ſingulareſque ingenij dotes praeconio meo egerent, quod prorſus nullam in partem exiſtimandum eſt. Vt tamen opinionibus hominum ſeruiam, & hoc etiam amoris, ac beneuolentiae ſignum non patiar diutius in me deſiderari, volui, hunc paruum ingenij mei fructum, quem in manibus habebam, ad te mittere, atque amplitudini tuae conſecrare; tenue ſane munuſculum, nec ſatis dignum perſona, & magnitudine animi tui, paratum tamen illud, & a ſincero animo, cupidoque tuae gloriae profectum; quod ſi maius aliquando aliquid efficere potuero, & longo aſſiduoque labore opus moliri, quod magis conueniat nomini, ac dignitati tuae (hoc vero ego omnibus animi corporiſq; viribus conabor) illud tuum prorſus erit, & iam nunc ipſum tibi deſpondeo: debere autem me hoc

facere, vt quacunque re poſſum, gratus videar erga tuam honeſtiſſimam, & maxime illuſtrem omnibus modis familiam, perſpectum mihi, & exploratum eſt; in qua ſane officio meo numquam ceſſaui: teſtantur hoc ingenij mei monimenta, miſſa ad optimum, & omni virtute inſtructiſſimum patrem tuum. Reſtat, vt de integro hanc cogitationem ſuſcipiam, & vt feci tunc, ita etiam nunc nouos meos labores ei perſonae dilargiar, cui, ſi debitum ſpectes, maxime congruere illi, & quadrare videantur, quod profecto fiet, ſi amplitudini tuae illos deſtinaro; poſtulare ſane a me iure optimo poſſes maiora, ſi ego is eſſem, qui praeſtare ipſa valerem: vtinam autem ego tam facile inuenire poſſem, quod tibi placeret, dignitatique tuae conueniret, quam ipſa digna eſt ampliſſimo quoque munere; quod eximium ac praeſtans bonum, praeterquam quod proprium tuum eſt, & a natura tua optima proficiſcitur, a maioribus tuis, abundantibus hac laude, accepiſti: quae namque familia hodie eſt, quantumvis illuſtris ac clara, quae magis ſtudia bonarum artium amarit, & plura maioraque captis amore ipſorum auxilia ſuppeditarit; & cum omnes hoc vno paene tenore antiquitus fecerint, in primis in ipſo multas curas conſumpſerunt, qui perſonam iſtam ſanctiſſimam, & omni veneratione digniſſimam ſuſtinuerunt; nec tamen tam longe tibi ducenda eſt haec virtus: propinquiora enim huius domeſticae laudis exempla habes: quis enim neſcit, patrem tuum, optimum & ſapientiſſimum Principem in hanc curam ſtudioſe incumbere, egregiamque illam ſupellectilem librorum, quam è ferro, & flamma Graeciae eripuerunt veteres illi Coſmi ac Laurentij, diuulgare, & publicis vſibus exponere feſtinare? veſtigia ſane non parua reſtant huius egregiae voluntatis, quae viguit in Clemente VII. Pont. Max. aedificabat enim ille, grandi impenſa in ea re facta, magnificentiſſimam bibliothecam; maius tamen mihi beneficium videtur, magnam vim librorum vndique corrogare, quod ſedulo, ardenterque pater tuus facit, quam infinitum ſtudium, & operam in parietibus ornandis collocare, praeterquam quod in hoc etiam non patitur ille ſtudium ſuum, ac magnitudinem animi deſiderari, & quae inchoata ab eo, imperfectaque relicta fuere, abſoluit, & ad ſuum nitorem, integritatemque perducit. Nam illud quale quantumque huius generis donum fuit, quod libros pandectarum, collatos diligenter a docto & accurato viro, cum vetuſtiſſimo illo, ac fideliſſimo exemplari, quod in vrbe noſtra, tamquam Palladium, merito cuſtoditur, curauit excudendos; atque ita iuris interpretes magnis curis, ſollicitudinibuſque liberauit, omnemque caliginem ex illo praeclaro opere, & vnde vitam honeſtam, tutamque ab omni iniuria ducimus, diſcuſſit; neque hos tantum vndique expolitos ac perfectos, verum etiam alios, qui ad eam diem in tenebris iacebant, & aut diſciplinam Chriſtianam, aut ingenuas aliquas artes tradunt, diuulgauit. Hunc igitur, vt imitere oportet, qui te vehementer amat, & ex cuius ſanguine primum ortus es; quem omnes alieni etiam, properantes ad laudem, exprimere conantur. Omitto autem nunc maiores ipſius virtutes, & ampliora facta, quae tamen te ſemper ante oculos propoſita habere, & aſſidue cogitare, eſſe tibi quoque in vita reddenda, exploratum habeo, maneoque totus in eo argumento, quod ab initio ſumpſi, explicando, id eſt in te ad ſtudia optimarum artium fouenda, cohortando, quae tibi honori erunt; viamque munient ad gradus illos honoris adipiſcendos, quos, patrus non ſemel a tuis maioribus, potes tibi non ſine cauſa, niſi tibi defueris, polliceri, quod certe abeſt ab induſtria in omni re ac ſedulitate tua. Habes domi tuae Antonium Angelium, vel potius aſſiduum comitem: ipſum enim numquam a latere tuo diſcedere video, ex qua ſane ego re magnam capio voluptatem; habes inquam Antonium, qui te a pueritia erudiuit, optimum quidem illum, & doctiſſimum virum, non temere hoc dico, ſcioque praeclare, quae vis ſit horum verborum; & tamen iterum idem dico, doctrinaque ac probitate neminem ſuperiorem affirmo. ipſum igitur, mirum in modum inflammatum amore tuae laudis, eadem tibi cotidie decantare ſcio, & non fruſtra ſane hoc facere compertum habeo: iampridem enim ad laudem, & dignitatem omnes tuas curas, cogitationeſque conuertiſti. Vellem, vt aliquid in me poſitum foret, quod multum ad hoc praeclarum opus efficiendum valeret, illud profecto tibi praeſto ſemper eſſet, atque vtilitatibus tuis commodiſque pateret; quicquid certe ego ſum, & quantum cunctis ingenij viribus valeo, ipſum in tua manu ac poteſtate totum ſitum eſt, magnique ſemper beneficij loco aeſtimabo, ſi ipſo vti ad honorem tuum gloriamque augendam volueris. Sed ego abreptus ſplendore veſtrae opulentiſſimae domus, delectatuſque ſermone, quem mihi tecum omni hoc tempore habere viſus ſum, paene oblitus fui, quod oportebat, aliquid de hoc meo libro, vtilitateque, quae inde capi poteſt, loqui. quare nunc id paucis attingam: arbitror enim genus hoc ſcriptionis nullo modo contemnendum: primum autem varietas, quae in omni re mortales plurimum capit, non ſine cauſa placere in ipſo debet (vnde fuere olim, qui

huiuſcemodi

huiuſcemodi libellos de varia hiſtoria inſcripſerunt) vt recitatio etiam quarundam antiquarum hiſtoriarum; nec non lepidarum fabellarum. praeterea quaeſtiones aliquas obſcuras, & perdifficiles, quae in ſcriptis poetarum, atque elegantiſſimorum auctorum exoriuntur, tangere, atque eas pro viribus diſſoluere; non ingratum, neque inutile debet putari. Eodemque pacto locos multos veterum illorum ſcriptorum, aut perperam acceptos ab ijs, qui interpretari voluerunt, declarando; aut alios in ijſdem contaminatos emendando; quique paſſim corrupte leguntur, & perturbant magnopere accuratos lectores, liberare ipſos ea moleſtia, non poteſt non placere: nam qui vellet, ſtatim vt cognoſcit, interpretem aliquem alicuius nobilis auctoris duobus tribuſve in locis explicandis lapſum eſſe, rurſus plenos in ipſum commentarios conficere, magnum laborem ſuſciperet; nec vnus tam arduum opus, ac tantarum vigiliarum abſoluere, atque ad exitum perducere poſſet, & tamen locos illos peruerſe declaratos, aut turpibus maculis inquinatos, perpetuo iacere, rectum non erat. Nolo etiam omittere, quin oſtendam, in quo praeterea me arbitror ſtudioſis harum litterarum plurimum profuiſſe: dedi enim operam, vt ſententias multas, quas Latini oratores, ac poetae e Graecis oratoribus, ac poetis expreſſerunt, vnde illae acceptae forent, indicarem: praeſertim autem quae a principe omnium poetarum Homero, qui tamquam facem reliquis praetulit, & rectum iter ipſis ambulandi per florentiſſimos & amoeniſſimos muſarum campos demonſtrauit, illi ſumpſere, pateſacerem; atque id non vt Latinorum honorem, famamque minuerem, ſed vt diligentiam eruditionemque ipſorum aperirem. Haec igitur (niſi fallor) non paruos fructus ferre lectoribus harum ſcriptionum queunt; & me etiam, vt ſubirem libenter hoc onus, impulerunt. Vale. Florent. XIIII. K. Ian. CIↃ IↃ LXVIII.

PETRVS VICTORIVS

Cynthio Ioanni Baptiſtae Gyraldo S.

LITTERAE tuae, quas ad me praeterita aeſtate miſiſti, fuerunt mihi periucundae; neque tamen illae me tantopere delectarunt, quia noui aliquid, quod mihi valde placeret, nuntiarent: multo enim antea mihi animus iſte tuus erga me cognitus ac perſpectus erat, verum tanta renouatione ipſius gauiſus ſum: praeter enim epiſtolam ipſam, quae abundabat ſignificatione huius amoris, ... , qui attulit eam, iuuenis optimus, ac multa, magnaque doctrina excultiſſimus, narrauit mihi diligenter, quemadmodum in omni ſermone me laudares, nec vmquam ſatiari poſſes celebritate mei nominis. Ago igitur tibi gratias immortales; gaudeoque mirum in modum teſtimonio iſto tuo mearum laudum, quae vtinam verae forent; nec tamen tam laetor praeconio tuo meae eruditionis (etſi illud magnum eſt, & a viro eo profectum, qui praeclare de his rebus exiſtimare poſſet, niſi amor impediret) quam beneuolentia ingenti, qua me proſequeris: quis enim non laetetur, cum videat, ſe amari, carumque haberi nulla ob ſua merita ab homine, quem omnes ob plurimas ingenii dotes, probitatemque ſingularem, & amant & colunt. Sed finem faciam huius orationis, quam idoneam gratiae tibi referendae non facile inuenire poſſem. Reſtaret, vt me tibi purgarem, quod ſero iuſto hoc, pioque officio functus ſum, ac poſt longum ſpatium temporis tibi ſignificaui, quantam voluptatem ceperim ex litteris illis tuis humaniſſimis, & pleniſſimis amoris; ſed in hoc etiam diutius non manebo; hoc tantum adferam, quod vere dicere poſſum, me, cum legitimum tempus illius rei faciendae, neſcio quomodo, praeteriiſſet, voluiſſe poſtea expectare, donec hic meus liber, quem vna cum hac epiſtola nunc ad te mitto, abſolutus eſſet: multo autem lentius, quam putaram varijs occupationibus, & impedimentis librariorum negotium hoc ipſum fuit: Quare mandaui ipſi, vt me apud te defenderet; quod ſi ille hoc praeſtare non poterit, rationem nullam aliam video, me ab hac culpa liberandi. De libro vero ipſo verbum non addam; ſed expectabo iudicium tuum: tu enim, cum accurate legeris (ſi tamen tantum tibi otij eſt, vt has meas nugas aliquando in manus capias) de illo exiſtimabis, ac mihi libere, qui tibi viſus ſit, commemorabis. Vale. Florent. VI. id. Ian. CIↃ IↃ LXVIII.

PETRVS VICTORIVS
Guidoni Ferrerio Card. S.

NESCIO quo pacto me tibi purgem, Cardinalis optime, meique amantiſſime, qui tanto temporis ſpatio nihil ad te litterarum dederim, cum tamen crebra fuerint, & magna his proximis menſibus officia tua in Dominicum Bonſium, generum meum, quem amplitudo tua, a me ſibi commendatum, libenter vidit, & in familiaritatem ſuam recepit. ne igitur amplius in tanto errore verſer, & huic graui culpae magis affinis ſiam, ſtatui ſilentium rumpere, & hac mea epiſtola renouare in pectore tuo veterem amorem erga me: nam, quin viuam ſemper, ſtabilemque in animo meo ſingularis tuae humanitatis memoriam retinuerim, dubitare non debes, quae mihi ſemper ante oculos verſatur, nec vllo vmquam interuallo deleri inde poterit. taceo eruditionem tuam reconditam, & facultatem Latine Graeceque ſcribendi egregiam; vt tamen aliquid adferam, quod ad tantum flagitium (ita enim profecto appellandum eſt) minuendum valeat, narrabo tibi me valde in ſcribendo diſtentum eſſe: conficio enim commentarios in libros Ariſtotelis de optimo ſtatu ciuitatis, totusque in hac cura, & ſtudio occupatus nunc ſum, quod onus, etſi praeclare intelligo, non eſſe meorum humerorum, tamen precibus amicorum reſiſtere non potui, qui de mei ingenij viribus multo melius exiſtimant, quam vere facere poſſint; nec tamen exiſtimare te volo, me ſtatim manus illis dediſſe, & auctoritati ipſorum, quamuis magnae apud me, ceſſiſſe: diu enim recuſaui, & niſi ſapiens meum conſilium mihi extortum ab illis, omni arte fuiſſet, in propoſito permanſiſſem. hoc igitur pigriorem me ceteris in rebus reddidit, & ad reliqua officia obeunda languidiorem; nec tamen, ſi vidiſſem operam ac diligentiam meam tibi vtilem aliqua in re eſſe potuiſſe, non locum dediſſem per aliquot dies inſtituto operi, & iam ad terminum aliquem perducto, vt ſemper ſtudioſe faciam, cum aliqua occaſio mihi dabitur, animum meum beneuolum & fidelem dignitati tuae demonſtrandi: decreui enim hoc mihi perpetuo faciendum, ſtatim vt te vidi, & probitatem tuam incredibilemque comitatem cognoui. Vale. Florent. prid. non. Febr. CIƆ IƆ LXIX.

PETRVS VICTORIVS
Gulielmo Sirleto Card. S.

EXCELLENS tua doctrina, atque integritas morum ſingularis facit, vt merito cuncti, probi & ingenioſi viri, tui ſtudioſi ſint, teque viſere cupiant, tamquam ſpecimen aliquod antiquae Chriſtianorum hominum vitae, vel potius a Deo miſſum in terras, vt ſimilitudine tui mortales ad veram pietatem ac vitae ſanctitatem excites. hoc igitur quoque iuſto deſiderio cum vidiſſem incenſum Marium Columnam, magni ingenij iuuenem, & non paruae eruditionis, qui nunc iſtuc comes Magni noſtri Ducis Etruriae venit, dixi, me ipſi epiſtolam ad te dare velle: cum enim omnes meae litterae ſemper amplitudini tuae gratae, & acceptae fuerint (quod proprium munus eſt tuae benignitatis) ſpero hanc commendatione hominis, qui ipſam tibi in manus tradet, gratiorem fore: caue enim putes, quempiam his temporibus ita claro genere natum, inueniri, qui tam ex animo muſas amet, quam hic facit, & honeſtarum artium tantopere cupidus ſit, vt taceam fortitudinem, & bellicam diſciplinam communem ipſi cum omni ipſius familia admodum hac laude florente; a qua virtute ille numquam, quum res tulit, alienus fuit, ſed & animo & corpore, ſemper in Martis periculis verſatus eſt. Sed ad ea, quae ſunt huius loci argumentique reuertar; gratum mihi facies, ſi ad animum tuum procliuem erga tales uiros addideris aliquem cumulum propter hoc ſincerum teſtimonium ipſius virtutum: neque enim tam ſuperbus ſum, neque tantum mihi ſtulte tribuo, vt commendationem hanc appellare audeam, cum tamen populares Marij, & illuſtres laudes ante oculos omnium ſitae ſint, non putaui, me arroganter facturum, ſi reconditas, & minus peruulgatas, quas longa conſuetudine cognoui, cum valde familiaris ipſius fuerim, tibi ſignificaſſem. Vale. Florent. VI. id. Febr. CIƆ IƆ LXIX.

PETRVS VICTORIVS

Stanislao Hoſio Card. S.

SIGNIFICAVIT mihi per litteras Dominicus Bonſius, gener meus, te quaeſiſſe diligenter ex ipſo in menſa apud Card. Auguſtanum, quomodo me haberem, recordatum veteris tuae peregrinationis, cum miſſus nuntius ad Caeſarem, iter hac feciſti, a meque ſalutatus es. gratias igitur immortales ago amplitudini tuae, quae me tantopere diligit; teneque illud officium, ac prorſus mihi debitum, tanto temporis ſpatio fideliter memoria cuſtodiuit. Idem autem mihi narrauit, te, neſcio quid, in ſermone illo inieciſſe de libello Var. Lect. a me ſuperiore anno edito, quem audiſſes laudari, libenterque ipſum lecturum eſſe dixiſſe te, mihi affirmauit, quod ſane miratus ſum, tantae eruditionis hominem, in grauioribuſque ſtudiis ſumma cum laude verſatum, nugas illas meas in manus capere velle; vt tamen id facere commode poſſis, ſi in eadem voluntate, vel errore potius, permanſeris, mitto ad te vnum exemplar ipſius: non erit autem hoc donum ſimile dono Glauci, quo Diomedem remuneratus eſt, dedítque χρύσεα χαλκείων; ſed contrarium potius illi: neque enim oblitus ſum, neque dimitto etiam e manibus non modo e memoria praeclarum librum tuum, quem mihi tunc donó dediſti, omnibus quidem illum de rebus ab omnibus amandum: in primis autem ob argumenti grauitatem carum doctis viris habendum. Si vixero autem aliquandiu, & quod ſuſceptum inſtitutumque habeo, ad exitum adduxero, leges fortaſſe mea quaedam, quae digniora ſint tua doctrina, magiſque conueniant perſonae, quam ſuſtines, nec ſuſtines tantum, verum etiam vitae ſanctitate & monimentis ingenij tui decoras & ornas. Vale, atque exploratum habe, me eximias virtutes tuas admirari, & ardere ſingulari cupiditate tibi placendi. Florent. IIII. Non. Mart. CIϽ IϽ LXIX.

PETRVS VICTORIVS

Plauto Bencio. S.

LITTERAE tuae, quae ſero in manus meas peruenerunt, fuerunt illae quidem mihi gratiſſimae, & ſane eſſe debuerunt: cur enim non valde mihi acceptae, ac iucundae fuerint, quae plenae ſunt amoris erga me tui, & ſuauitatis incredibilis? ſi enim non is eſſem, quem ſemper me eſſe enixus ſum, ſtudioſus inquam, amicorum, cupidusque magnopere huius laudis, non poſſem tamen te non vehementer amare, quem video flagrare deſiderio mei, & praedicatione tua me in caelum ferre conari: praeterea, quod ingenioſum te, & doctum iuuenem eſſe video, atque in ijs ſtudijs, quibus ego operam dedi, honeſte verſatum: hoc enim ſolum me hortaretur, vel potius cogeret, vt te animo complecterer, & quacunque te poſſem honori tuo fauerem: cum autem ad id accedat, quod maximum eſt, ſingularis tua quaedam erga me beneuolentia; non tantum in amicorum veterum meorum numerum aſcribo, ſed etiam non vltimum omnino in illis locum tenere volo, quod verum eſſe ſenties, ſi aliquando aliqua in re opera mea, ac ſtudio vti volueris: inuenies enim me promptum ſemper paratumque tuis commodis procurandis. Sed his nunc relictis, perge, iuuenis optime, optima ſtudia colere, & in curſu iſto, in quo nunc es, ſummae laudis commendatione ingenii adipiſcendae, toto animo verſare. Alfonſum vero Burgheſium, nobiliſſimum, & humaniſſimum virum, quem ego ſemper amaui, & merito quidem id feci (quis enim non diligat, & admiretur hominem, in quo militaris virtus vna cum comitate, & ſingulari probitate coniuncta eſt?) nunc magis amo, qui tibi volenti, & multo ante hoc facere cogitanti, quaſi calcar admouit; impulitque, vt ad me ſcriberes, vnde aliqua voluptas in animo meo exorta

eſt, & initium noſtrae amicitiae conflatum. Tu vero hominem meo nomine ſalutabis, ſi forte adhuc vobiſcum eſt; meq; ipſi hac etiam de cauſa valde obligatum eſſe dices, & quod ſupra quoque pollicitus ſum, ſiquando vſus tibi veniet, ſtudio, & diligentia mea omnibus in rebus tuis vtere. Vale. Florent. Prid. Non. Mart. CIↃ IↃ LXIX.

PETRVS VICTORIVS
Chriſtophoro Rufo, S.

PRAETERIIT iam longum tempus, poſtquam a te nullas litteras accepi, ac ne ipſe quidem, magnis occupationibus impeditus, ideſt totus in meis ſtudijs inuolutus (hae namque ſunt occupationes meae) ad te nihil ſcripſi; ne igitur ſilentium hoc tantum aliquid incommodi pariat, ſtatui ipſum rumpere, tibique ſignificare, me valere, & opus illud, quod ſcis, me habere in manibus, vrgere: ceſſare enim minime opus eſt, ſi ſolo efficere, quod cupio, & quod multi a me poſtulant: admonet enim me aetas, vt properem, & illi etiam, ne in dormiam, ſtimulos admouent: quicquid igitur eripere poſſum e meis, quibus alijs inſeruio laboribus, huc confero; verum de hoc nimis. Qui tibi hanc epiſtolam reddet, Henricus Brumenſis eſt, adoleſcens probus, & valde ſtudioſus bonarum artium, in quibus etiam non parum profecit: vixit ille hic plures menſes apud optimum iuuenem familiarem meum, coluitque me omni hoc tempore plurimum: Perſpexi igitur ex conſuetudine tanta ingenium ipſius acutum, & doctrinam maiorem ſane illa aetate. Graecum etiam ſermonem didicit: cuperet autem iſtic viuere, ſi locum apud honeſtum aliquem virum inueniret, condicione mq; tolerabilem: longe enim a domo abeſt, nec ſui tam remotum a ſe commode alere poſſunt. Si poteris igitur ipſi prodeſſe aliquo pacto, & conſilium ipſius adiuuare, rem dignam tua humanitate facies, ac mihi quoque vehementer id gratum erit. Vale, ac me, vt ſemper feciſti, ama. Florent. III. Id. Mart. CIↃ IↃ LXIX.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Contio, S.

EPISTOLA tua mihi grata iucundaque admodum fuit: vidi enim in ea mirificum tuum amorem erga me, quem tamen re ipſa multo ante perſpexeram, atque iudicijs minime dubijs cognoueram. Laudo igitur te, feroque in oculis, qui mihi ſemper omnibus in rebus obſecundaris, atq; opera tua, gratiaque, qua flores apud optimos Principes, morem gerere ſtudueris, quodque me maxime cupere ex me ipſo non ſemel audieras, vt exitum haberet, toto pectore laboraris: nam de praeclaro animo erga me, dignitatemque meam illorum ipſorum nihil opus eſt commemorare, qui me omni tempore ornare voluerunt, ac paene inuitum, recuſantemque in altiſſimum Reip. locum compulerunt: tu optimus mihi teſtis es vtriuſque rei, & quod ego honores publicos non ſitiuerim, & quod ipſi ſponte ſua, nullo me dignitatis gradu carere paſſi ſunt: ego namque, non quia ipſos parui ducerem (neque enim adeo arrogans, amenſque ſum) aut a muneribus publicis abhorrerem, quietam & tranquillam uitam amaui, & non valde abduci me a muſis, honeſtoque otio optaui, ſed quia exiſtimaui, ſi ſequerer vitam θεωρητικὴν, praeter quam quod inde magnas, puraeque voluptates decerpturus, aliquid honoris ac nominis in hoc curſu doctrinarum me conſecuturum, ac fortaſſe etiam commendationis aliquid laudiſque Principibus noſtris, vt alumnus ipſorum, allaturum, cum ſemper ab antiquis vſque temporibus Medicea domus optimis artibus fauerit, & ſtudioſos litterarum complexa ſit, quam gloriam maiorum ſuorum Coſmus Magnus noſter Dux non ſolum aequauit, verum etiam auxit, ac non paruo interuallo ſuperauit. Sed hic locus non patitur, vt plene coploſeque de eximia voluntate ipſius erga ſapientiae ſtudia, & cunctas honeſtas artes loquar; & ſane explanare hoc nunc minime neceſſarium eſt: feci enim id, vt debebam copioſe alijs temporibus, & praeterea ſatis illa nota perſpectaque multis modis, omnibus eſt: Quare reuertar ad illud, quod initio poſui, tibique gratias agam pro ſtudio iſto tuo, beneuolentiaque erga me: nedum autem ego fugiam huiuſcemodi munera,

quale

quale hoc eſt, quod mihi modo mandatum fuit: ſatis enim illud, vt narras, leue, ſuaueque eſt, nec tamen non idem honeſtum, & dignitatis plenum, nullum erit vnquam tam graue onus, quod mihi impoſitum, odioſum moleſtumque futurum ſit, ſi modo intelligam humaniſſimum Principem, meique amantiſſimum me in eo negotio verſari, occupatumque eſſe non nolle. Hoc ego te, cuius maxime intereſt haec curare & aliquo modo tegere, ſcire volui. Vale. E Decumano meo. XVI. K. Nouemb. CIϽ IϽ LXX.

PETRVS VICTORIVS

Hieronymo Suritae. S.

LITTERAE tuae, Surita optime, exiſtimationiſque meae ſtudioſiſſime, datae XI. K. April. fuerunt mihi valde gratae; amoremque illum tuum ſingularem erga me conſtituerunt mihi ante oculos, non nouum illum quidem, & inexpectatum, ſed tamen carum, & acceptum: audieram enim multo antea; ſignificatumque mihi diligenter fuerat per honeſtos viros veſtrae gentis, qui multum valent gratia, & auctoritate apud Principem noſtrae Ciuitatis, te plurimum me amare, & nomen meum ſummis laudibus iſtic in caelum ferre: neque enim voces, ſermoneſque clarorum virorum obſcuri eſſe poſſunt, permanantque facile ad remotas, & longinquas terras. Ago igitur tibi gratias immortales ob egregium iſtum animum erga me, & beneuolentiam infinitam, excitatam tenuibus quibuſdam meis officijs erga te, vel potius totam profectam a probo & humano ingenio tuo; conaborque tibi, ſi aliter non potero, in amore ſaltem reſpondere, & cum tam magno ſpatio locorum ſeiuncti ſimus, quae res repugnat vehementer plenae, perfectaeque amicitiae, crebritate epiſtolarum enitar, hoc incommodum reſarcire. Mitto autem ad te nunc cum his litteris libellum de cultu olearum, quem petiiſti, editum a me patrio noſtro ſermone, non vt accurate legeretur a doctis viris, ſed vt in manibus eſſet villicorum, & agricolarum, ac veram rationem traderet nobilis huius arboris ſerendae, ac breui vberem inde fructum capiendi, eiuſdemque longo temporis ſpatio conſeruandae: Mitto etiam non rogatus a te, libros quoſdam meos, quos non multo antea peruulgandos curaui, eodem indice, nomineque, quo priores illos, quos legiſti XXV. olim excuſos, exile ſane munus, quod tamen, cum iſtius animi ſis erga ſcripta mea, non omnino a te neglectum iri puto. Quod vero ſcribis, te magnopere delectari hiſtoria Taciti, probo conſilium tuum; teque multum in hoc videre arbitror: magni enim profecto ingenij vir ille fuit, plurimumque verſatus eſt in rebus gerendis: quare eximiam cognitas ipſas habebat, & cauſas omnium factorum diligenter exponit. Damnum admirabile factum eſt, quod ipſa peruenit ad aetatem noſtram manca, mutilaque, nec poſſunt reſtitui membra, iniuria temporum ſuperiorum, ipſi ablata, cum eae etiam partes, quae reſtant, ſint multis locis mendoſae; ſed hae maculae magna ex parte ſtudio, curaque alicuius exercitati in hoc munere corrigendi libros, deleri poſſent, alterum illud remedium deſperatum eſt. Quod cupis ſcire, ſunt apud nos in nobili Mediceae domus bibliotheca, quam nuper Magnus noſter Dux publicauit, duo ipſius vetuſta exemplaria; Vnum illud ipſum, vnde primi quinque libri primum deſcripti fuere; quorum excudendorum cura mandata fuit tunc Beroaldo iuniori: Alterum, in quo reliqui continentur, litteris Longobardis exaratum, quod ſi accurate tractaretur, (vt ſpero) auxilij aliquid ferret ad menda non pauca tollenda: ſed haec res requirit operam diligentis hominis, & qui genus dicendi proprium huius ſcriptoris ſedulo notaris. Purgaui ego quondam locum (non enim alienum eſt, me tibi hoc narrare) auxilio ſuperioris exemplaris in IIII. libro: vbi enim in excuſis legitur. De iure templi Dianae Limenitidis, legi omnino debet, Dianae Limnatidis: ſic enim vocata fuit Diana illa, quod plane intelligitur multis teſtimonijs, quae citaui Pauſaniae, & Strabonis, quibus etiam addere poſſem alia non pauca, ſi opus eſſe iudicarem: in libro tamen illo vetere ſcriptum eſt Liminatidis; quare quarta littera ſublata mendum id tollitur: Notaui hoc in libello quodam meo, quem edidi nomine poſteriorum caſtigationum in epiſtolas M. Ciceronis, vocatas familiares. Paulo autem poſt ea verba, eſt locus alter, in quo itidem lapſus eſt vir ille: adpoſuit enim ipſi notam vt vitioſo, cui tamen vitium facile reſtitui poterat: cum enim ita excuſum ab eo fuerit: ſermo enim eſt de poſteris Herculis, regeque Meſſeniorum Creſphonte; ſuoque recidens Heliatem agrum, in quo id delubrum fuerat, ceſſiſſe; lego coniectura doctus, ſuoque regi Dentheliatem agrum, & quae ſequuntur: ita etiam conſiderem, in multis alijs locis obſcuris

obſcuris plurimum lucis allaturum, ſi conuerterem eo mentem, quod maioribus occupationibus impeditus efficere non poſſum: fefellerunt enim correctorem illum non pauca profecto. Non poteſt dubitari, quin Tacitus, quum inquit, praeſtantiſſimus ſapientiae, ſignificarit Socratem, verumque tu in hoc vidiſti. Miſi ad Iulium Cacciam oratorem illud, quod honoris cauſa C. Duillij exaratum olim fuerat in columna, quod vt pulcherrimum eſt monimentum, ita antiquiſſimum omnium, quae omni tempore Romae ſunt e tenebris eruta, puto ipſum tecum contuliſſe: hoc enim volui. Tu me ama, & litteras a me ſaepe expecta, ſi cognouero has non ingratas tibi fuiſſe.

PETRVS VICTORIVS
Marcello Veſtrio S.

VETVS amor tuus erga me, & ſingularis humanitas, Veſtri optime, cognita quidem mihi fuit, cum primum me domi meae ſalutaſti: in ſermone enim illo tuo perſpexi ſigna non parua huius tui animi valde propenſi erga dignitatem meam: eadem tamen magis clara illuſtriſque apparuit in epiſtola, quam ad me poſtea miſiſti. quare te complexus ſum, optoque occaſionem aliquam mihi dari, qua declarem tibi, te non omnino effudiſſe beneuolentiam tuam: ſi namque alia nulla in re voluntati tuae reſpondebo, in amore certe par tibi ero, atque id quidem merito & quaſi neceſſario: quis enim non diligat nobilem adoleſcentem, inſtructum vario genere litterarum, eundemque ſuauiſſimis moribus praeditum, & flagrantem deſiderio verae gloriae? Ego vero te amo & quacumque te potero, ſemper honori tuo fauebo, vtinam multo plura praeſtare poſſem: nullum enim vllo tempore in me officium deſiderares, quod a probo viro & ſtudioſo tuae laudis expectari poſſet: nam tu ſine dubio errasti in exiſtimandis meis meritis, quae profecto mediocria ſunt, ne dicam exilia: hocque vnum ego in tuis litteris non probaui; verum quia eſt indicium ingenij boni augere laudem eius, quem ſemel non ſine cauſa diligere coeperit, non valde te in hoc reprehendo, fama praeterea meae virtutis, etſi non omnino vera, me delectat. Tu vero perge me amare: nihil enim mihi gratius facere potes, & viam iſtam virtutis, in qua multum iam progreſſus es, vrge: gloriam enim patris tui, ſapientiſſimi & clariſſimi viri, non ſolum adaequabis, verum etiam longo interuallo ſuperabis. quod mihi videor poſſe de te non arroganter praedicare, cum munitus omni polita doctrina, ingenuarumque artium cognitione in hanc honeſtam palaeſtram deſcenderis. Vale. Florent. X. K. Mai. CIↃ IↃ LXXI.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Medici Magno PRINCIPI Etruriae S.

CVM flagrarem deſiderio magno declarandi ceteris animum meum, valde propenſum erga dignitatem tuam, vellemque omnino tibi muneris aliquid dare, quod natum foret ex ingenio meo, non potui maturum tempus huius rei ordine gerendae expectare, ac tantae ſitis, vt oportebat, in pectore meo explendae: fateor enim tenue admodum munuſculum hoc meum eſſe, nec vllam in partem dignum, cui clariſſimum tuum nomen adfigeretur, nec tamen diu ipſum fore, quale nunc eſt, exile ac minutum, ſpero: habeo enim in animo ipſum ornare, & decoris multum ſplendoriſque labori huic meo adferre: nam liber ipſe ſua ſponte, quod ad auctorem pertinet, ornatiſſimus eſt, & mirificas ſuauitates in ſe habet, vberrimoſque fructus ferre poteſt ijs omnibus, qui aſſidue ipſum in manibus habuerint: neque enim ſpectari ille tantum debet, vt volumen pulcherrimarum epiſtolarum, ſed etiam, vt hiſtoriae corpus quoddam, in quo incluſa ſint, quae duris temporibus populo R. contigere; cauſaeque demum fuere omnium malorum, quae maximum imperium labefactarunt, ac paene totum euerterunt, non diſputabo de hoc longius: cui enim perſpecta non eſt vtilitas harum epiſtolarum? nam a veteribus etiam ſcriptoribus celebrata eſt, & ſummis laudibus in caelum lata: tibi

autem

autem in primis cognita, qui a teneris vnguiculis, & Latinum & Graecum ſermonem abſorpſiſti, & omne genus politae doctrinae deguſtaſti, ad fontes quarum, egregium ducem ſecutus, perueniſti: in quo curſu libenter permanſiſſes, niſi inde magno aeſtu publicorum negotiorum abreptus eſſes: cum enim prudentiſſimus pater tuus, tot ſe tantiſque moleſtijs aliquando liberare vellet, & optimum ingenium tuum cito exercere in rep. adminiſtranda, hoc graue onus humeris tuis impoſuit. Sed huic etiam muneri recte obeundo opportunum erit hoc donum: multa namque inde documenta capi poſſunt, apta ad remp. ſapienter adminiſtrandam: neque enim fere alia de re vlla, niſi communi, ſermo in his epiſtolis eſt. Paulus certe III. Pont. Max. (vtar enim claro, & illuſtri exemplo) qui ſpecimen quoddam ſapientiae, grauitatis, ciuiliſque prudentiae fuit, & gubernacula Chriſtianae reip. ſumma cum omnium laude tractauit, extremo quoque longae ſuae vitae tempore capiebat ſaepe in manus has epiſtolas, vt a familiari eius accepi, cum volumen ipſarum haberet, a ſe adoleſcente magno ſtudio correctum, & declarationibus quibuſdam illuſtratum, quod contriuerat legendo. quare ita quoque exiſtimari poſſum non ſine cauſa ad te librum hunc miſiſſe, vel conſilio potius magno, ac iudicio id praeſtitiſſe. Florent. IX. Kal. Iul. CIↃ IↃ LXXI.

PETRVS VICTORIVS Lectori. S.

CVM olim fidelis liber epiſtolarum M. Ciceronis ad Atticum ad manus meas perueniſſet, cauſa ille quidem mihi fuit multorum laborum: ſtudioſis autem humaniorum litterarum non paruae vtilitatis: adhibita enim multa cura ac diligentia, contuli cum ipſo vulgata exemplaria earum epiſtolarum, ſuſtulique inde infinitum paenè numerum foediſſimarum macularum: praecipue autem egregiam operam nauaui ope illius exemplaris, in Graecis vocibus, totiſque ſententijs eius ſermonis reſtituendis; quarum, pulcherrimarum grauiſſimarumque, plenum hoc volumen eſt. Quam multae autem lacunae prius illic eſſent, aut verba Graeca, parum apte expreſſa, facile omnes animaduertere poterunt, qui ſumpſerint in manus epiſtolas has, ante id tempus excuſas: praeſtiti igitur quod potui tunc ſumma cum fide ac ſtudio in hoc opere expoliendo, vt omittam labores, quos etiam ſuſtinui maximos in ceteris operibus politiſſimi ſcriptoris, orationibus exceptis, emendandis. Extitere poſtea alij, eruditi & ingenioſi homines, qui & ipſi non parum operae poſuerunt in ijſdem his epiſtolis corrigendis, multis vndique calamo exaratis libris collectis; illi tamen ita integrum fideleque exemplar, vti meum eſt, nullo ſuo labore, inuenire potuerunt; in quibus etiam fuit, qui hoc à me non ſine cauſa tantopere laudatum, Ferrariae vidit, atque optimum quoque ſemper exiſtimauit, cum ipſum Benedicto Accolto Cardinali, diſerto viro ac valde ſtudioſo eloquentiae Ciceronianae, commodaſſem, apud quem tunc erat, Octauius Pantagathus, vir probus & ſatis acutus in ſcriptis veterum auctorum examinandis, quod teſtari volui, vt ſciant omnes me ſemper, quicquid potuerim adminiculi omnibus, qui poſſent illuſtrare ſuis vigilijs optimos ſcriptores, praebuiſſe, non mihi ſoli facultatem huius rei ordine gerendae cuſtodiſſe, cuius animi mei teſtimonia multa atque exempla, ſi opus eſſe iudicarem, afferre poſſem. Quia autem liber hic non penitus mihi cognitus tunc fuit, cum fidelitatem eius perſpexi; neque etiam Angelo Politiano, qui ipſum cap. LIII. ſuorum. Miſcellaneorum valde laudauit, & de fato quodam ipſius diligenter locutus eſt; volo de origine ipſius quaedam praedicare: fuiſſe igitur Politianus narrat quattuor ſuae cuiuſque aetatis eruditiſſimorum virorum, etſi de primo, qui Franciſcus Petrarcha fuit, non plane ipſi conſtitit, qui tamen (vt poſtea inuentum eſt a me) non ſolum ipſum poſſedit, verum etiam ſua manu ſcripſit, expreſſum è vetere exemplari, quod ille reperit, cum diu multumque (vt in epiſtola quadam ſua narrat) epiſtolas has Ciceronis conquiſiſſet, quae ante id tempus in tenebris latebant; nec ſolum volumen hoc ipſum deſcripſit, ſed etiam illarum, quae familiares vocantur, quae, cum apud nos in diui Marci bibliotheca cuſtodiantur, creduntur huius, diligentiſſimi viri, manu exaratae eſſe: conſtanſque haec eſt opinio de illis in animis noſtrorum hominum; cuius etiam rei argumentum eſt, quod Gallicis litteris liber exaratus eſt: quis enim neſcit, vixiſſe Petrarcham in prouincia Galliae longo aetatis ſuae ſpatio? quare imitabatur in ſcribendo characteras eius terrae peculiares: agnouerunt autem formam earum litterarum plures adoleſcentes Galli, ſtudioſi humanioris doctrinae, quibus codicem

hunc

hunc ipſum oſtendi, cum tranſirent hac, Romam proficiſcentes. Quod autem omnem ſcrupulum euulſit, huiuſcemodi eſt. Ludouicus Beccatellus Archiepiſcopus, ſenex optimus, & omni honore digniſſimus, de cuius eruditione, probitate; vſu magno reip. Chriſtianae, in qua adminiſtranda ſumma cum laude verſatus eſt, ſuperuacaneum eſſet accuratius diſputare, in alijs non nullis egregijs monimentis antiquitatis, quae habet, habet etiam epiſtolas plures, quas ſuſpicabatur, coniecturas quaſdam ſecutus, Franciſci Petrarchae eſſe: neque enim integrae voces hae illic ſunt, ſed primae tantum & praenominis, & nominis litterae in illis notatae. cupidus igitur veritatis inueſtigandae, quaeſiuit ex me, an verum foret, quod aliquando audiſſet, extare apud nos Ciceronis epiſtolas Petrarchae manu ſcriptas, reſpondi id quod erat, me ita opinari, cunctas ipſius, quae vetuſtate conſumptae non ſunt, in duobus voluminibus hic inueniri; quorum alterum apud me eſſet. contulimus igitur accurate epiſtolas illas Petrarchae puſillas: minutae enim ſunt tenueſque, (quae cauſa fortaſſe fuit, vt poſtea in volumen, quod editum eſt, redactae non fuerint). cum meo epiſtolarum Ciceronis volumine; ſinguliſque litteris, formiſque ipſarum ponderatis, conuenire omnia mirifice inter ſe animaduertimus; vt prorſus & illae, & codex meus ab eodem homine ſcriptus intelligeretur. Vtinam inueniretur exemplar, vnde has ad Atticum deſcripſit Petrarcha, vt extat illud, quo vſus eſt in deſcribendis alteris illis, quae familiares appellantur (de cuius libri antiquitate, omni veneratione digna, magnifice multa, vereque alio loco praedicaui) confiderem, me auxilio eius antiqui libri non pauca adhuc loca in his epiſtolis emendare poſſe, praeſertim vbi Graeca aliqua vocabula ſunt, cuius ſermonis Petrarcha, vitio illius aetatis, imperitus fuit: nec tamen non (vt erat omni in re accuratus) ita etiam verba illa, ignota ſibi, pingebat, vt cuncta paenè non magno labore legantur: nam quantam caliginem adferat ſaepe vnius litterae peruerſio, facile omnes animaduertere potuerunt, qui in hoc munere corrigendi antiquos auctores, aliquantum verſati ſunt: cum autem (vt opinor) huius vetuſti libri iactura facta ſit, ereptumque e manibus auxilium maius purgandi has epiſtolas, affirmare auſim, multis indicijs, teſtimoniiſque huius rei perſpectis, nullum fidelius exemplar harum epiſtolarum inueniri, quam hoc ipſum eſt, quod iam pridem ego cauto; ceteraque, quae calamo exarata viſuntur, fluxiſſe ab hoc prorſus puto, aut fortaſſe ab illo ipſo, vnde hoc deſcriptum fuit: neque enim negarim, fieri etiam hoc potuiſſe; cuius tamen rei veſtigium certum nullum vidi, nihilque contra correctum adhuc in his epiſtolis cognoui, cuius verae lectionis non appareant veſtigia in hoc meo exemplari, praeter quam ſiqua coniectura reſtituta ſunt, quae ratio corrigendi veteres auctores quam lubrica periculoſaque ſit, arbitror, me multis argumentis docuiſſe. Cum igitur poſt ſpatium xxxv. annorum voluntas tuliſſet, vt rurſus hoc praeclarum opus recolerem, atque id nunc facere a quibuſdam familiaribus meis impulſus eſſem, ac paenè coactus, confugi iterum ad eundem illum librum, a quo primo tantum praeſidij accepi, atque ipſum ſedulo tractaui: obſeruaui autem in hoc quod ſoleo, & cotidie magis verum eſſe, cuſtodirique debere intelligo, vt ne latum quidem vnguem diſcederem ab auctoritate antiquorum librorum: in primis autem huius, merito quidem mihi probati, exemplaris. Vellem Deus Opt. Max. mentem dediſſet, vt idem facerent, non paucis, doctis, & ingenioſis viris, & non tantopere illi acumini ſui ingenij indulgerent; meliore loco (vt arbitror) veteres ſcriptores forent; quod ſi aliquando etiam labis aliquid mendique ipſa occupauit, quod ſpeciem recti habeat, & non aperte culpa librariorum commiſſum eſſe cognoſcatur (neque enim inficior, errata quaedam huiuſcemodi in ipſis etiam aliquando inueniri) malo cum antiquis libris errare, quam nimio amore rerum mearum, arrogantiaeque quodam genere vnum, aut alterum locum emendare, dum tamen, quod illis contingit, in multo pluribus labar ac peccem, quod commemoraſſe volui inſtituti mei defendendi cauſa, non conſuetudinis aliorum inſectandae. Cum autem olim, incumbens in hanc curam, loca ferè ſolum harum epiſtolarum, quae videbar mihi reſtituiſſe, breuibus ſcriptis meis comprobaſſem, & non nulla quoque, quae mihi ſuſpecta erant, mendoſaque videbantur, indicaſſem, nec multum ſtudij poſuiſſem in illis, (quae obſcuriora ſunt,) declarandis; nunc in hoc meo iterato labore me aliter gerere decreui, ac quaecunque putabo explicatione egere, aut aliquo pacto illuſtrari ornarique poſſe, notabo; nec ceſſabo etiam aperire ſuſpiciones quaſdam meas, & non pauca, quae in mentem mihi venerunt, non aliena (niſi fallor) a ſententia auctoris, elegantiaque Latini ſermonis, quae tempori illi reſeruaui: neque enim me adeo hebetis ingenij hominem eſſe puto, vt non poſſim, ſi velim, loca multa, quae deprauata hic ſunt, ita reconcinnare, vt ſenſus aliquis commodus inde eliciatur; ſed iudicio mihi ab hac licentia temperaui; exitarque demum vtiliſſimum hoc, multiſque de cauſis amandum M. Ciceronis opus; quacunque ratione potero expolire; quod tamen, ne nunc faciam, impedior non nullis inſtitutis meis laboribus, ac paenè

ad exi-

ad exitum perductis, quos ſi abſoluero, ſtatim animum conuertam ad hanc curam, ac fidem meam liberabo; vtinam, in quo plurimum nunc laboraui, plenius efficere potuiſſem, cunctaque menda hinc tollere: reſtant enim non pauca, atque ea quidem adeo moleſta, vt non videantur poſſe ſine ope fidelioris libri alicuius ingenio tuto deleri: placet enim mihi plagas huius pulcherrimi corporis aperire, quod ſanè non ſine dolore facio; ſtudium certe meum non defuit, ac deſiderium acre praeſtandi hoc, quod deſiderium numquam in animo meo, dum viuam, extinguetur: vſu enim mihi venire credo in honeſto amore harum epiſtolarum, fideliſſimique ipſarum exemplaris, quod in libidinoſo amore ſemper contingere affirmat apud Euripidem Hecuba, vbi ſuadet Menelao, ne patiatur imponi in eam nauim, qua ipſe (domum rediens) veheretur, recuperatam longo bello, impuram ac conſceleratam mulierem, metuens, ne vetus flamma ruſſus in pectore tenéri viri accenderetur, atque ita ipſa gaudere non poſſet ſupplicio Helenae, quae ſibi vniuerſorum malorum, quae cadere in hominem poſſunt, cauſa extitiſſet. inquit igitur illa. Nullum vmquam inuentum eſſe amatorem, qui non perpetuo amaret: dilexi enim egó quoque vehementer, cum primum ipſum nactus ſum, librum hunc, ac cotidie magis, perſpecta eius bonitate, multiſque teſtimonijs confirmata, diligo: qui etiam amor me impulit, vt ipſum collocarem in pulcherrima, ac copioſiſſima totius orbis Medicea bibliotheca; ita namque ille magis ab omni periculo vacuus erit, quam ſi in priuata domo cuſtodiretur, & in claro illuſtrique loco poſitus, ante oculos non ſolum meos, verum etiam ſtudioſorum omnium manebit: cum enim, ſtudium Coſmi Medicis, Magni noſtri Ducis, adiuuare volens, qui praeclaram ſupellectilem librorum, acceptam a maioribus, auctamque magnis ſuis ſumptibus; & gratia, qua floret, in pulcherrimo a ſe abſoluto aedificio, conſecrauit, vtilitatibuſque litteratorum hominum expoſuit, libros omnes meos antiquos, & Graecos, & Latinos, quos longo ſtudio, ac diligentia mihi parauceram, ei dono dediſſem, hunc etiam, delicias atque amores meos, ipſis adiunxi. Quo ex conſilio hoc etiam boni redundabit, quod liber hic, in publico loco ſitus, me fide vſum eſſe omni tempore in hoc munere obeundo, declarabit, & ne minuta quidem vlla & puſilla in re, fuco vllo, aut fallacia vſum, quod in primis ego opto, & officio famaeque meae opportunum eſſe iudico; ſed de hoc nimis fortaſſe multa. quare deſinam; rogabo tantum cupidos liberalium ſtudiorum, vt laborem hunc meum aequi bonique faciant; nec ceſſent ipſi, ſi aliqua ratione efficere poſſint, admouere manus huic maculoſo operi; dummodo in eo caute, moderateque ſe gerant.

PETRVS VICTORIVS
Hieronymo Suritae. S.

ACorpi laudationem tuam, Surita; ita enim verius illa, quam epiſtola vocanda eſt, cum ſumma diligentia, atque artificio ab initio vſque ad extremum litterae illae laudes meas perſequantur; quod vtinam vere facerent, aut modica ſaltem pars ipſarum mihi conueniret, non fruſtra me arbitrarer tantum temporis in bonis artibus perdiſcendis conſumpſiſſe; neq; tamen ſuſpicor, te argumentum hoc epiſtolae cepiſſe, vt mihi blanditeret: quid enim magis remotum a tuis moribus eſt, vitaeque iſtius honeſtae condicione? aut quid in me minus, fortunaſque meas cadit? ſed totum profectum iudico ab humanitate tua, eximioque amore, quo, vt vir probus incenſus es erga me ob tenuia quaedam, & debita mea officia erga te, & ſpeciem quandam eruditionis, non ſatis quidem illius reconditae, quae in ſcriptis meis apparet; ſed vnde hic tantus error animi tui natus ſit in meis rebus exiſtimandis, ſubtiliter nunc inueſtigare nolo; tantum affirmo, me tibi valde obligatum eſſe ob egregiam tuam iſtam voluntatem, ſpondeoque, dum viuam, ſemper me omnia ſedulo facturum, quaecunque tibi placere putaro. Gaudeo autem, te libenter legiſſe elogium C. Duillij, probarique tibi iudicium meum, qui tantopere ipſum commendarim: in primis autem mihi gratum fuit, audire, te miſſurum id eſſe ad Antonium Auguſtinum, quem ſcio valde antiquitate delectari, ac toto animo ſtudia humaniora colere; plurimumque in exiſtimandis ſcriptis veterum illorum valere: Nam, quod ipſum me diligere teſtaris, nihil noui mihi nuntiaſti: perſpectus enim mihi eſt iampridem animus ipſius optimus erga me, & laudem meam, quem etiam amanter extulit, ac ſempiternae memoriae doctiſſimis ingenij ſui monimentis conſecrauit. Mitto ad vos nunc alia quaedam, quae, vt ſpero, grata vobis non minus erunt, pertinentia ad inſtituta oſtendenda fratrum Arualium, declarandumque, quanta dignitas fuerit huius vetuſtiſſimi ſacerdotij;

cerdótij; cum imparatiores etiam in hoc collegium peruenire nollent, participeſque illarum curarum eſſe, quae, vt videbitis, & ad ſalutem eorum, quae oriebantur è terra, fructuſque agrorum pertinebant, & ad fulminum procurationem: eruti autem ſunt Romae è terra hi lapides duobus ab hinc annis. Rogo autem te, vir optime, meaeque voluntatis ſtudioſiſſime, vt haec quoque mittas ad eundem integerrimum virum, & verae pietatis exemplar certiſſimum, nihil mihi gratius facere potes: Ego vero pergam, quicquid in manus meas venerit, quod digoum auribus veſtris putem, ac fideliter deſcriptum ſciam, ad vos mittere. Perſpexi ex hac poſteriore epiſtola tua, quid cupiebas ex me audire de loco illo Taciti; daboque operam, vt tibi ſatisfaciam: neque enim nunc ſuccurrit mihi, vbi potiſſimum Plato id dilucide, aperteque complexus ſit. Litterae tuae ſiue vetere Latina lingua ſcriptae, ſiue recentiore veſtra imagine non parua ipſius, ſemper mihi erunt iucundae: nam hoins etiam veſtri ſermonis non omnino rudis ſum, cum adoleſcens olim animi cauſa aliquot oobiles vrbes Hiſpaniae citerioris perluſtrarim, ad hiberumque vique nauigarim ampla eximieque inſtructa naui; quae, ad Hadrianum Pont. Max. Romam vehendum, miſſa fuit: erat enim praefectus ipſius, gentilis meus, Paulus Victorius. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Proſpero Sanctecrucio Card. S.

CVM omni mea vita vehementer laborarim, vt laudis aliquid beneuolentiaeque adipiſcerer apud honeſtos, & graues viros, atque id ſemper bonis artibus vſus, ſtudijſque rectis; in quo non omnino infelix fui, nec penitus carui fine mihi propoſito: non paucos enim valdè nobiles, & ſummae dignitatis homines nactus ſum, qui me diligerent, & conſuetudinem meam, fructuſque ingenij non deſpicerent, in quibus etiam extitere plures tui ſacroſancti loci, atque ordinis magnopere laudati viri; id quod ſatis notum eſſe arbitror honorificis ſermonibus eorum de me, & crebra mentione officiorum quorundam meorum erga digoitatem ſuam, atque etiam monimentis tenuis quidem doctrinae meae, illius tamen fidelis, pronaeque omni tempore ad virtutem colendam, & oobilium perſonarum honeſtatem commendandam: cum igitur hi mores mei ſtudiaque fuerint, neſcio, quomodo indormierim tamdiu in virtute tua, ac ſapientia celebranda, doleoque, me occaſiooem nullam vnquam nactum eſſe placendi amplitudioi tuae, & voluntati ipſius honorique inſeruiendi, atque id nulla profecto tua culpa: multa enim ſunt, cotidianaque facta, quae in te laudari poſſunt, dignaque prorſus ſunt omni honore verborum, atque aeternitate monimentorum, neque ſane aliud expectari debuit a nobilitate tua, inſtitutione optima, ſcientia rerum maximarum, pura atque incontaminata religione, quae ſingula ego, qui longe abſum notare, & diligenter animaduertere non valui; non deerunt tamen, qui ea ferant in caelum ſummis laudibus: neque enim tanta morum probitas, tanta excellentia ingenij, tanta ſapientia, tam aſſiduum praeclarumque ſtudium poſitum ſemper in Chriſtiana rep. domi foriſque tuenda, ac ſplendore ſuo ornanda latere vllo pacto poteſt; optandum potius eſt, ſummiſque precibus a Deo Opt. Max. petendum, quod quidem boni viri prudenteſque faciunt, atque etiam futurum ſperant ob communem ſalutem, quietemque pij populi, vt dignum exitum aliquando virtus tua pro tot tantiſque vtilibus laboribus, ac meritis ſuis conſequatur. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Hieronymo Guicciardinio. S.

FLAGITIVM eſt, atque id quidem graue, non facere aliquem, quod dixerit, in rebus ſcilicet bonis, & laude dignis: hinc enim docti viri arbitrantur, fidem vocatam, quia fiat, quod dictum eſt; vt igitur hanc culpam effugerem, praeſtaremque, quod pollicitus ſum, calamum ſumpſi, ad teque ſtatui ſcribere, ne omnino ceſſet exercitatio tua, deſideriumque, quo flagro, te iuuandi, &, quacunque ratione poſſum, ingenium tuum expoliendi; ſtudui quidem ſemper prodeſſe noſtris adoleſcentibus in humanioribus litteris, non egeo in hac re, vt opinor, teſtibus: ſatis enim omnibus cognita, atque explorata eſt voluntas mea: te autem in primis, & optimam indolem tuam excolere cupio, cum propter mores tuos, & eximiam probitatem, tum propter merita haud mediocria patris tui in meos; cui etiam praeclaro meo animo additur, quod ſpero, omnem laborem, quem in hac re ſuſcepero, ſi labor ille eſt appellandus, & non potius ſolida quaedam, puraque voluptas, egregie collocatum iri: noui enim naturam tuam, nunc amorem, quo magno incenſus es virtutis perſequendae: natus tu quidem es è parentibus honeſtiſſimis, ſummaque laude affluentibus; nolim tamen te, contentum honore maiorum tuorum, negligentiorem eſſe ad eos imitandos, ac ſi potes vllo pacto ad dignitatem ipſorum augendam; nihil enim tam turpe eſt homini nobili, quam ita ſe in vita gerere, vt honores adipiſcatur commendatione maiorum, & non ſua vlla, propriaque virtute, atque honeſtis factis: Eſt ſane gloria parentum poſteris pulcher, ampluſque theſaurus; danda tamen eſt opera ſtudioſo verae laudis, vt ipſum liberis tradat, non tantum, qualem accepit, ſed pleniorem, cumulatioremque ſuo labore, atque induſtria factum. Sed haec, & huiuſcemodi multa accipies propediem a ſummo illo doctore, quem ſimul legere decreuimus: non enim dicam meliora: nam & ipſa haec ſuum auctorem, ſpectatum valde, & praeſtantem vitae morumque moderatorem habent; cura praeterea valetudinem, & patrem tuum meis verbis ſaluta. E Decimano meo VII. Id. Mai. CIↃ IↃ LXXIII.

PETRVS VICTORIVS
Didaco Couaſruuiae. S.

GAVISVS ſum, vir optime, atq; omni veneratione digniſſime, quum accepi a Iulio Caccia, familiari meo, & quem vnice diligo, te alienum non eſſe ab exiſtimatione mea; qui mihi praeterea narrauit, te libros quoſdam meos diligenter legiſſe; in quo tamen valde commotus ſum, reformidauique iudicium tuum, veritus non ſine cauſa, ne multa illic offenderis, quae parum tibi probata fuerint; quia aut minuta, tenuiaque ſint, aut erroribus aliquibus aſſinia: non enim ſcribimus iſta grauibus viris, & magna doctrina praeditis, ſed adoleſcentibus, & his, qui elegantiores muſas colunt; atque eo magis timui, quia arbitror, te non minus callidum aeſtimatorem eſſe humanorum ingeniorum, quam veterum, ac nouorum nummorum: pecuniae autem omne genus ſubtiliter penſitaſti; ſed quia non poſſunt hoc periculum vitare, qui edunt quippiam, ideo aequiore animo tuli fretus ſapientia tua, & notitia ingenti, qua praeditus es humanae imbecillitatis; quin etiam eidem periculo minime coactus modo famam meam obieci: miſi enim tibi quaedam recentiora mea ſcripta legenda, quae, cum nactus eris otium a continentibus, & magnis laboribus, quibus aſſidue premeris, in manus, ſi voles, capere poſſis, & leuiter peruolutare; quod ſi maius quoddam opus, quod vrgeo, ac paenè ad exitum perduxi, abſoluero, ſtatim ad te mittam, vt meatum omnium cogitationum, atque animi monimentorum particeps ſias, poſtquam illa tibi non omnino indigna viſa ſunt, in quibus horas aliquas collocares. Tu vero, qui maiora onera in rep. ſuſtinere ſoles, & potes, maneto in veteribus iſtis ſtudijs, & ius ciuile vigilijs tuis eruditiſſimis illuſtra, quod iam non parua ex parte cum magna ingenioſorum virorum laude, & admiratione praeſtitiſti: quis enim eſt, cui Didaci nomen auditum non ſit, quique auctoritatem tuam in legibus interpretandis non libenter ſequatur, non minus atque veterum illorum iuriſcon-

iuriſconſultorum Sex. Aelij. C. Sulpicij, ceterorumque in hoc ſtudiorum genere mirifice laudatorum? idemque in iure dicendo, & in controuerſijs, vt facis, diiudicandis, verſare: inde namque infinitam quandam laudem, gloriamque conſequere, & nomen tuum celebre non tantum apud homines noſtrae huius aetatis, verum etiam apud poſteros reddes, me quidem certe, cuicuimodi ſum, ſemper habebis amatorem tuarum ſingularium virtutum, & praeconem beneuolum, fidelemque, ſi non magnae vocis, neque clarum, tuae amplitudinis, ac ſummae dignitatis. Vale, Florent.

PETRVS VICTORIVS
Erneſto Principi Bauario. S.

VT caſus aduerſus tulit, Erneſte optime, vt te conferres huc triſti illo magnopere die, ac miſero, quo amiſimus, vrbis cuſtodemne dicam, an parentem? cum cuperes apud affines tuos, quos tunc primum vidiſti, cuncta plena laetitiae, ac rerum valde bonarum inuenire: ſic ego, ſi, quod dictum eſt, facere volo, cogor te primis his meis litteris in eodem luctu, ac maerore continere, qui vellem te delectare, & animum tuum omni re ſuaui explere: recordaris enim profecto, me tibi pollicitum orationem ad te miſſurum, quam habiturus eſſem de laude Magni noſtri Ducis, mortui, cum ad hanc rem publice conſtitutus eſſem. Volui igitur promiſſum praeſtare: veniet autem tempus, vt opto, ac ſpero, quo iucundiores litteras ad te mittam; gratulaborque amplitudini tuae, cum gradum honoris adepta erit, dignum nobilitate ſua, quae eſt maxima, & naturae bonitate, qua vincis omnes; nec non eruditione ſingulari: cui enim notus non eſt regiae tuae familiae ſplendor antiquus ac gloria? quae vt ſummo quoque honore, ac laude cumulata eſt, ita floret ob puram integramque Chriſtianam pietatem. Sed non capiunt anguſtiae huius paginae domus tuae claritatem ac decus, neque hoc diligenter explanare mihi propoſitum fuit, quom calamum ſumpſi; ſed tantum fidem ſoluere. Quare accipe hoc meum leue munuſculum, & dignitatis tuae me valde ſtudioſum eſſe exploratum habeto; non fallam opinionem tuam. Vale. Florent. Prid. Non. Iun. CIↃ IↃ LXXIIII.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Baptiſtae Arcucio. S.

SI potuiſſem aliquo pacto, praeſtans ingenij tui munus, quod ad me iampridem miſiſti compenſare pari aliquo munere, & maiore etiam, imitarique Glaucum Homericum in permutatione illa celebri armorum cum Diomede, libenter id feciſſem: nihil enim tam cupio, quam gratus haberi, memorque acceptorum beneficiorum; verum, quia hoc mihi conceſſum non fuit, neque ita me Muſae diligunt, vt te faciunt, temperaui mihi ab hoc conſilio. Nunc autem, cum mandatum mihi fuerit, vt laudarem in magnifico ipſius funere Magnum noſtrum Ducem, ſtatui mecum oratiunculam illam ad te mittere, non quia parem ipſam iudicem vllam in partem tuo illi egregio carmini, quo me quoque, non ſolum facta eiuſdem Principis ornaſti, ſed quia nihil nunc in manibus habeo, quod ſpeciem in ſe aliquam contineat optimi illius tui animi in me, & honorem meum; & amplius expectare nolui. Hoc autem tantum ſimile eſt in his ſtudiorum noſtrorum fructibus, quod eundem laudamus, & adhibita ſumma cura, pro viribus ambo in caelum ferimus; ſed tu viuum, ego mortuum; etſi illo ipſo etiam tempore, quo tibi mens a Deo data fuit, celebrandi hunc ſummum virum, vix viuus poterat dici, vt memini, me tibi tunc ſignificaſſe, quod ſi alio ſtatu & corporis, & animi fuiſſet, aliquod certum ſignum eius rei vidiſſes; oſtendiſſetque ille, quam accepta ſibi praeclara haec tua voluntas erga ſe, & ſtudium fuiſſet. Sed his nunc relictis, accipe exile hoc meum munus; cum autem potero, quod fortaſſe aliquando erit, maius vigiliarum mearum munus ad te mittam. Ama autem me, & a me te valde amari, compertum, exploratumque habe. Florent. Non. Iun. CIↃ IↃ LXXIIII.

PETRVS VICTORIVS . . . . . S.

ACCEPI, poſtridie quam ſcriptae ſunt, humaniſſimas litteras tuas, vir ingenio atque eruditione praeſtantiſſime, multiſque antea diebus tuo nomine hic diligenter ſalutatus fueram a Thoma Soterino, adoleſcente officioſiſſimo, ac tuae dignitatis valde ſtudioſo. Gratias igitur tibi ago immortales, quod tantopere mei videndi te cupidum oſtendis, atque id incredibili potius humanitati tuae; morumque ſuauitati acceptum refero, quam meae vlli elegantiori doctrinae, aut vitae grauitati tribuam, vt tu epiſtola tua videris ſignificare, qnarum rerum vix imaginem quandam atque vmbram in me habeo. Non autem nnnc primum cognoni te me amare, ac praeconio honeſto, ac claro etiam tuo, cum poſſis, libenter ornare: proficiſcitur vero id ab animi tui magnitudine exlmiaqne virtute, qui cum ſummam laudem gloriamqne ob boneſta ſtudia merito adeptus ſis, nullo liuore ſuffuſus, quo vitio magna pars hominum, qui ſe egregios in aliqua re putant, laborare conſueuit, ceteros, qui idem iter ingreſſi ſunt, tuaque veſtigia ſequuntur, celebras, atqne in caelum auctoritate teſtimonij tui tollis; neque id tantum voce, verum etiam aeternis monimentis ingenij tui. Sed huic probitati tuae naturaeque benignitati laudandae, quae quo rarior eſt, eo admirabilior, tempus hoc idoneum non eſt; praeterquam quod illa in illnſtri loco poſita atque omnium ore commendata, nullius praedicationem, quo clarior fiat, requirit. quare, his nunc rebus relictis, me purgabo, quod praeteritis diebus, quum in vrbem veni, te non ſalutaui: id autem non negligentia vlla, amoriſque diminutione commiſſum eſt, ſed cum moleſtorum quorundam negotiorum cauſa me iſtuc contuliſſem, paucaſque omnino horas in vrbe manſiſſem; nam eodem, quo veneram, die, diſceſſi, illis conficiendis totus implicatus fui; properabam autem rus redire, clementia huius caeli vtendi gratia; quia non ſatis commode plures menſes valui, importunaque grauedine vebementer vexatus ſum, nec ſperabam, ſi tecum congreſſus eſſem, ſermoniſque tni iucunditatem aliquantulum deguſtaſſem, me facile poſſe a te diuelli: inſtare praeterea tempus videbam, quo commode copioſeque eloquentia tua, ac ſcientia rerum plnrimarum fruerer, qnod certe prope erit, & (vt ſpero) antequam tu Principem ciuitatis acerrimum tni amatorem, ingenuarumque omnium artium fautorem comitatua Piſas proficiſcaris. Interim haec epiſtola mea me apud te excuſabit, ac pignus quoddam amoris, obſeruantiaeque, qua ſemper te colui, in animo tuo erit. Vale.

PETRVS VICTORIVS . . . . . S.

NE dnm moleſtiae aliqnid, aut faſtidij animo meo genuerint fnauiſſimae tuae, & amoris pleniſſimae litterae, voluptatem magnam mihi attulerunt: qnis enim non gaudeat tanto teſtimonio landum ſuarum, quantum in epiſtola tua a liberalitate potius quadam, naturaeqne probitate, quam a veritate profectum apparet: ipſe certe non parua laetitia affectus ſnm cogitatione hac inani fortaſſe, & falſa ſummi honoris ac verae gloriae, cuius in omni vita ſemper cnpidiſſimus fni: nam quod addis de eadem re, idem ſentire multos eruditos, & omni genere virtutis abundantes viros, valet hoc certe non parum ad iudicium tnum confirmandum; ſed quod tibi fraudi, vt opinor, fuit, illos etiam ipſos in errorem inducit, ingenuitas ſcilicet quaedam, indoleſque animi praeclara; qnae ita boneſtis factis, ac ſpecie virtutis capiatur, vt qui ſimilitudinem quampiam eius, vmbramque habeant, tamquam excellentes homines, & vndique abſolutos admiretur; non quod in me quicqnam fictum vmquam, ſimulatumque fuerit: longe enim abſum ab inani hac oſtentatione virtutis; contentuſque magnopere mediocritate ingenij, dignitatiſque viuo. Sed nimis multa de me, te vero toto animo amplector, cupioque vebementer, ſi poſſim aliqna in te tibi gratificari, cum videam bonis artibus ornatum,

tum, & ijſdem ſtudijs deditum, quibus ego magnopere delector. Quare cum commodum tibi eſt ad me ſcribere ſiue animi exercitationiſque cauſa, ſiue aliqua de re, in qua tibi opera gratiaque mea opus eſſe poſſit, quamuis & in priuatis publiciſque litterarum ſtudijs, & in alijs etiam rebus valde occupato, libere ac ſine timore vllo ſcribito: litterae enim tuae mihi ſemper gratiſſimae erunt, vt probi adoleſcentis, ac mei amantiſſimi. Vale.

PETRI VICTORII EPISTOLARVM

Liber Octauus.

PETRVS VICTORIVS Didaco Couaſruuiae. S.

PECCAVI magnopere (fateor) vir optime, atque omni laude digniſſime, qui ad tuas humaniſſimas litteras tam ſero reſpondeam, & cum toto animo nunc in hanc curam incumbam, vix aliquid reperire poſſum, quod quicquam valeat ad hanc culpam minuendam, nedum penitus abſtergendam; ac fortaſſe in tanto errore diutius permanſiſſem, tanta ignauia me oppreſſit huius generis ſcriptorum, niſi officium me impuliſſet, & quaſi neceſſitas mihi quaedam impoſita eſſet, vt epiſtolam hanc ſcriberem, amplitudinique tuae commendarem Ioannem Baptiſtam Lupium, qui cum oratore nouo venit, probum iuuenem, & induſtrium: & quem ego ob multas animi ipſius dotes valde diligo. erit igitur ille, quantum dignitas tua patitur, apud te gratioſus. Quae adnotaſti olim ſedulo atque erudite in meis primis varijs lectionibus, miſſa ad me vna cum illis litteris, fuerunt mihi admodum grata ac iucunda; valentque non parum ad opiniones meas confirmandas, & librum ipſum ornandum, & aliquando etiam, vt ſpero, ad cumulum addendum ijs, quae longo ſtudio accurataque lectione auctorum obſeruaram; quare admiratus ſum non parum, quomodo homo, verſatus in graui ſtudio iuris interpretandi; & qui tantum onus publicarum ingentium curarum ſuſtineat, tam multos veteres Graecos & Latinos ſcriptores legere potuerit; & tam accurate, quaecunque monimentis mandarunt, obſeruare: cum autem in animo habeam addere his XXXVIII. quos duobus temporibus edidi, adhuc alios eiuſdem generis, vſque ad numerum quinquaginta librorum, vnaque cum ipſis iterum excudendos curare iam pridem peruulgatos, adiungam ſuis locis exempla ac teſtimonia, quae mihi indicaſti, non ſine iuſta laude, atque honore multo ſingularis doctrinae tuae, etſi gloria nominis tui tanta eſt, vt praedicatione mea non egeat; ego tamen, vt debeo, quod poſſum, praeſtabo. Nunc operam do (ne quicquam meorum, pertinentium ad honeſta ſtudia, te fallat) editioni meorum illorum commentariorum, quos noſti: iamque ad dimidium magni huius atque ardui operis perueni; quod cum abſolutum erit, ſtatim exemplar eius ad te vnum mittam, poſtquam eruditio tua recondita; iudiciumque peracre, quod in tuis doctiſſimis ſcriptis apparet, non omnino ſpreuit lucubrationes meas. Tu vero me amabis, & dignitatis tuae ſtudioſum eſſe exiſtimabis, ego

quantum potero, pro tenuibus ingenij mei viribus conabor, ne aliquando te hoc feciſſe paeniteat. Vale. Florent. X V. Kal. Decembr. CIↃ IↃ LXXV.

PETRVS VICTORIVS Hieronymo Suritae. S.

PVTAREM me peccare, atque id non ſine cauſa, ſi, cum ad vos veniat, non paruo temporis ſpatio iſtic manſurus familiaris meus, ad te non ſcriberem, quem amo, cuiuſque grata recordatione delector, ſimul que aliquid meis de rebus tibi ſignificarem. Primum igitur narro tibi, me valere, quod in hac tam graui aetate plurimum gaudendum eſt: deinde non minus me operae ponere in ſtudijs bonarum artium, quam fecerim, cum corporis viribus magis vigebam; quod ſpero etiam ingenij mei monimenta indicatura, ſi abſoluere potuero, quod in manibus habeo: neque enim me fallit, quam lubrica, & periculoſa ſit in ſenibus bona etiam habitudo: Vnum eorum eſt, quod puto te libenter auditurum: relegi enim praeterita aeſtate annales Taciti diligenter, cuius ſcriptoris prudentia, & libertas non minus mihi, quam tibi placet: noui enim te valde ſtudioſum ipſius eſſe: quia autem habemus omnium librorum huius auctoris, qui reſtant, ſatis antiqua & fidelia exemplaria, vellem, quae adnotaui in ipſo; non pauca autem illa ſunt, neque inutilia, vt arbitror, diuulgare; nec deſinam, donec, quod cupio, perfecero. Cetera mea maiorum vigiliarum opera nunc tibi non exponam, reuertar potius ad id, quod initio tetigi, commendaboque tibi amicum hunc meum, nomen eius eſt Ioannes Baptiſta Lupius, nouo is oratori Magni noſtri Ducis operam dat: eſt autem vir probus, neque a muſis ſuauioribus alienus, memoriae quoque veteris ſatis peritus, quod ex omni ſermone ipſius ita ſe habere facile intelliges. Florent. IIII. Non. Nouembr. CIↃ IↃ LXXV.

PETRVS VICTORIVS B. Broeo Senatori Pariſienſi. S.

EPISTOLA tua, prid. id. Octobr. data, fuit mihi periucunda: quomodo autem non valde grata & accepta eſſe debuit, cum plena ſit amoris tui magni erga me, quia pauca mihi in vita contingere poſſunt ſuauiora, quam intelligere me diligi, & carum haberi a grauibus, & doctis viris: & praeterea eadem contineat laudes meas, eximias quidem illas, vtinam verae forent, & exploratae; ſtudui ſane ego, multumque in vita laboraui, vt particulam ſaltem aliquam ipſarum conſequerer, & poſtquam tibi ita videri perſpicio, quem alienum ab omni vanitate eſſe compertum habeo, non omnino me a tanta ſpe deiectum puto: cauſam igitur tibi laetitiae meae attuli, & rogam, & inſtam. Litteras vero has tibi reddet Robertus Venturius, affinis meus, iuuenis fortis, & qui multum verſatus eſt in bellis, quae iſtic geſta ſunt, nauauitque operam fidelem, & ſtrenuam Regi, cuius rei ſatis magnum ſignum eſt, quod non ſemel in pugnis vulneribus multis paenè confectus fuit. Redit autem nunc iſtuc, vt locum aliquem adipiſcatur, dignum magnitudine animi, & vſu militiae: rogo te, vt ſiqua re aliquando poteris, honori ipſius ſeruias. Fuit apud nos ſuperioribus menſibus Paulus de Foys, qui me plurimum amat, is in ſermone, quem mecum habuit, cum ego mentionem tui feciſſem: notum enim omnibus eſſe cupio amorem noſtrum, multa praedicauit de dignitate, doctrina, & probitate tua, quod tibi narraſſe volui. Tu vale, & pergito me amare, ego ſemper quod tibi gratum, & honeſtum eſſe cognouero, libenter faciam. Florent. prid. Non. Febr. CIↃ IↃ LXXV.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Medici Magno Duci Etruriae. S.

MVLTAE ſunt cauſae, & illae quidem magnae ac iuſtae, Princeps optime, quae me hortatae ſunt, vt hoc mearum vigiliarum munus ad te mitterem; &, ſiquid honoris inde ac laudis ad me peruenire poteſt, tibi largiter, atque honeſtiſſimo tuo nomini conſecrarem: vt autem omittam nunc, quod tibi multis modis debeo, liberalitateque tua grandi ſum vſus in neptibus collocandis, quod beneficium quam magnum ſit, intelligere facile potuere, qui aliquando eguerunt, benignitateque alicuius ſubleuati ſunt, illud me magis mouet, quod fungor officio, facioque, quod neceſſe eſt, ab omnibus probetur, ac magno conſilio geſtum eſſe exiſtimetur: ſum enim cupidus verae laudis, laetorque non parum, quum audio iudicium meum commendari. Quomodo autem non probabitur, opus de optimo ſtatu ciuitatis, a ſummo philoſopho ſcriptum, ad eum miſſum eſſe, qui clauum tenet trium ampliſſimarum ciuitatum, vt alias multas relinquam, antiquas ac nobiles, ſiue quae ſe in fidem his commendarint, ſiue quae in ditione ipſarum poſitae ſint; &, vt illae rectum curſum faciant, ſaluaeque in portum vehantur, plurimum laborat, idemque excultum animum habet ſcientia artium optimarum, ceteraque monimenta magni huius doctoris cognouit: in primis autem ſapientiae partem illam, quae bene viuendi praecepta dat; & non ſolum tradit priuatae vitae cum laude degendae rationem, ſed etiam reipublicae recte regendae prudentiam: Latinum vero, Graecumque ſermonem, neceſſarium ſcientijs exquiſite perdiſcendis, puer adhuc hauſerit. Haec igitur, non inuitum tamen, me traxerunt ad hoc faciendum; nec minus me inuitauit ad idem conſilium de longo hoc, aſſiduoque labore meo capiendum, quod videram te, ab ineunte aetate in hoc praeclaro munere tuendi rempublicam exercitatum, de ipſo recte exiſtimaturum: is enim potiſſimum eximie hoc praeſtare poteſt, qui mature incipit in his curis cogitationibuſque verſari; ingenium certe excellens non defuit, ſeminaque magnarum virtutum, quae in te cito apparuere: nam conſilium patris tui non poteſt ſatis pro meritis commendari, qui proſpiciens indolem tuam egregiam, futurumque prorſus eſſe intelligens, vt aliquando gubernaculum ciuitatis plenum acciperes, mature te in his curis voluit exerceri; nec tecum ſolum imperium quaſi diuiſit, ſed paenè totam rempublicam tibi gubernandam atque adminiſtrandam praebuit: cum enim ciuitatem valde amaret, ſciretque ſe mortalem eſſe, ſtuduit etiam poſt mortem ipſi opitulari, cuius rei efficiendae ratio haec propria ac vera erat, ſi adhibita multa diligentia ac ſtudio te ſibi ſimilem reddidiſſet. Non facile igitur dici poſſet, magis ne tu patrem dilexeris, an ille tibi vehementius indulſerit, qui ſe magna parte ſui iuris ac poteſtatis, vt honori tuo ſeruiret, ſpoliarit: nam te vere ſemper, ex animoque parentem dilexiſſe, nec tantum vt ſuperiorem obſeruaſſe, notum eſt: quare cum tantum hunc veſtrum amorem mecum aliquando conſiderarem, venit mihi in mentem, quod de Antigono rege, & Demetrio ipſius filio memoriae proditum eſt: eadem enim beneuolentia, mutuaque voluntas, quae in vobis, in vtroque ipſorum fuit, quae cum patri de filio explorata foret, ſtuduit etiam, vt illa ceteris omnibus perſpecta eſſet: contigit enim aliquando, vt, cum Antigonus de communi re cum legatis quibuſdam, ad ſe miſſis, egiſſet, forte Demetrius è venatu rediret. quare cum venabulo, vt erat, ſe ad eum ſubito contulit, oſculatuſque hominem prope illum aſſedit: delectatus igitur hoc officio pater, exiſtimanſque non parum valere ad regni ſui firmitatem, roburque oſtendendum, clara voce, vt hoc quoque ſuis nuntiarent, oratoribus illis imperauit, quanta ſcilicet concordia ac fides inter ipſos vigeret. Euenit autem, vt Coſmus moreretur, magno cum dolore ac fletu totius Etruriae, multoque maiore futuro, niſi tu illi ſucceſſiſſes, qui nullam earum virtutum, quae in ipſo lucebant, deſiderari in te paſſus es: perrexiſti enim eadem via ac conſilio, quo prius faciebas, cuncta diſpenſare, ita vt aucta dignitate, imperijq; nomine amplificato, eadem animaduerteretur in te comitas atque humanitas, quod paucis ſane in vita contigit, cum proſperae res, ventique valde ſecundi, deprauare ſoleant animos virorum etiam moderatorum, paucique omni tempore inuenti ſint, qui fortunae diu propitiae moderari potuerint, cum Alexander etiam ille, Ariſtotelis diſcipulus, ſummi ingenij, ſummae modeſtiae adoleſcens, poſtquam rex appellatus ſit, feratur ſuperbus, crudelis,

delis, immoderatus fuiſſe. Acceſſit etiam non multo poſt dignitati tuae praeclarum de tua virtute iudicium, factum a Maximiliano Caeſare, vxoris tuae, optimae ac ſanctiſſimae feminae, fratre: qui magno conſenſu ſociorum huius amplae auctoritatis, decreto ſuo te Magnum Etruriae Ducem appellauit: itaque appellari ab omnibus voluit, quo ſimili gradu honoris antea Coſmus, pater tuus, a Pio V. Pont. Max. decoratus fuerat. non ſolum igitur ſummi ſapienteſque Principes in eandem ſententiam de dignitate veſtrae florentiſſimae domus venerunt, ſed aliquo modo inter ſe de laude gloriaque ipſius augenda concertarunt. Eſt igitur, quod magnopere gaudeas, tanto te honore auctum: conſecutumque in iſta aetate, quae pauci admodum vix ſenes obtinuerunt. Non minus autem laetari debes, vt facis, quum intelligis, te a ciuibus tuis mirifice diligi, & carum haberi; quod neceſſe eſt, proficiſcatur ab aequitate tua, & cura, quam ſuſcipis de commodis, & vtilitatibus ipſorum: haec enim certa via eſt laudis, & veriſſimae gloriae ſibi comparandae, ad quam tu ſemper toto animo properaſti. nam, qui ſe magis metui, quam amari voluerunt, hi & ſibi ipſis, & illis, quibus dominantur, detrimentoſi, ac peſtiferi fuerunt. Magna profecto eſt perſona iſta, quam geris; nec aliter poteſt aliquis ipſam digne ſuſtinere, niſi tota mente conuerſus ſit in mortales iuuandos, & ex omnibus malis rebus periculiſque eripiendos; quod, quemadmodum multis difficile eſt, ita tibi, nato è tanto patre, & ipſius, optima diſciplina inſtituto; imbutoque praeterea cognitione rerum pulcherrimarum, arduum non erit: neque enim putandum eſt, te ſine Dei Opt. Max. praeſidio, ac voluntate, tot tantaque bona in vita conſecutum eſſe, nihilque tibi aduerſi vnquam in tanta fortuna, tamque incertis rebus humanis contigiſſe: quae namque recte ordineque facta ſunt, ea perpetuum tenorem tueri conſueuerunt, nec breui paruoque negotio mutantur, ac cadunt: ſummum vero locum in ciuitate omni, genteque, ad neminem peruenire, niſi conſilio Dei, quem nihil vnquam fefellit, vidit etiam ac teſtatus eſt Homerus, cuius poetae tu valde ſtudioſus ſemper fuiſti, quae ſententia non aliena eſt a noſtra quoque pietate Chriſtiana. Illud certe peruulgatum eſt de quadruplici animorum noſtrorum natura, quod Plato obſcure, vt ſolet, ſignificauit: ſimili tamen terrenarum materiarum declarauit, quae, vt diſſimiles magnopere inter ſe ſunt, quod ab omnibus intelligitur: quid enim durius ferro ac vilius? quid contra mollius auro, & nobilius? eadem ratio eſt duarum, aeris atque argenti, interiectarum materiarum: participes enim ſunt vitium ac poteſtatis extremarum. putauit igitur ſapientiſſimus vir, vt quibus animi natura pura atque integra eſſet, ijs ſtatim naſcentibus a Deo aurum in pectus inſertum, animoque immixtum fuiſſet: eiuſque vi atque ope praeſtantiſſimum munus regendarum ciuitatum proprium ipſorum foret. quis autem dubitat ijs de cauſis, quae dictae ſunt, quin tibi hoc, in lucem prodeunti, contigerit? Vtere igitur, vt facis hoc diuino bono in ſalute ciuibus tuis danda, ipſiſque, & ornandis, & ab omnibus iniurijs vindicandis: ita enim immortalem gloriam viuus conſequere, viamque tibi ad tranquillam & perpetuam vitam munies: nam illud, ab eodem ſapiente ac diuino ſcriptore monimentis proditum, non ignoras, fortunatam eſſe beatamque ciuitatem eam, quae iuſtum, bonumque Principem nacta eſt; quod nobis prorſus contigiſſe video, cotidieque magis futurum confido.

PETRVS VICTORIVS Lectori. S.

PRISCI illi mortales, qui ſtudio tenebantur honeſtarum artium, deditique erant cognitioni rerum, ignoratarum a multitudine, ſedulo incumbebant in ortus, & occaſus ſiderum videndos, eorundemque motus, ac magnitudines contemplandas, reſque itidem ſuperas diligenter inueſtigandas; quos cum admirarentur rudes illi homines, non deerant tamen tunc quoque non nulli, qui tantam curam poni in rebus, partim obſcuris, partim incertis, non magnopere probarent; praeſertim cum ipſorum non pauci abuterentur ſcientia illarum rerum, callideque imponerent ſtultitiae antiquorum ingeniorum: quare ſtudium hoc non multum in ſe dignitatis habebat. Succeſſit his Socrates, qui primus a quibuſdam dictus eſt, philoſophiam euocaſſe è caelo, & in vrbibus domibuſque collocaſſe, qui ſane dubitari non poteſt, quin hoc, adhibita multa cura, praeſtiterit: omne namque tempus, quo vixit, in moribus emendandis, viaque virtutis monſtranda conſumpſit; an dux vero, princepſque huius optimi conſilij fuerit, videndum eſt, cum exploratum ſit, Pythagoram, qui aetate ipſum anteiuit, non paruam partem ſuarum

rum

rum curarum huc deriuaſſe, ingeniaque ac vitam hominum aetatis ſuae ſtudioſe perpoliſſe, etſi non ſpreuit ſtudia mathematica, ſed potius illa ornauit, melioraque ſua diligentia, atque ingenij diuinitate reddidit, cum Socrates ab ipſis abhorruerit, & tantum illorum ſolum attingendum iudicarit, quantum vſibus vitae neceſſarium eſt. Fluxerunt autem è diſciplina Samij huius ſapientis multi, clari & illuſtres viri, ciuitatibuſque ſuis valde vtiles, & vt Archytas Tarentinus, Timaeus Locrus, plurimique alij, ita quoque Lyſis ille, & ipſe Tarentinus, qui Epaminondam Thebanum, ſummum Imperatorem erudiuit; vtque tantam rerum a ſe geſtarum gloriam adipiſceretur, monitis ſuis effecit. Multis alijs argumentis comprobari poſſet Pythagorae diſciplina; ſed cui ignotum eſt, ſtuduiſſe illum magnopere, vt mores hominum, vitamque purgaret, etſi occulta via in diſciplina illa ſua tradenda vſus eſt. Sed ad Socratem reuertamur, qui, magno doctorum hominum conſenſu, plurimum profuiſſe huic parti ſapientiae fertur: ex eius autem multiplicibus, variiſque ſermonibus prodiere diuerſae doctorum virorum familiae: in primis vero optima ipſius inſtituta praeceptaque vitae noſtrae excolendae accommodata, monimentis litterarum mandarunt fideliter atque eleganter Plato, Xenophon, Aeſchines, cuncti Athenienſes, qui Aeſchines poſtea Socraticus eſt appellatus: eius autem ſcripta, iniuria temporum, nobis erepta ſunt. Sequutus iudicium ſui doctoris Plato magna ex parte manſit in illo ſtudio, quod viderat ipſi valde probari, ſermoneſque ſuos elegantes refferſit praeceptis, aptis vitae limandae, & a vitijs ſceleribuſque vindicandae. Xenophon Socratis vitam, monitaque, quibus errata multorum caſtigabat, veramque viam virtutis oſtendebat, perpetuis monimentis, ijſdemque plenis venuſtatis mandauit: multaque alia ſcripſit, quae merito laudata ſunt, fructuſque magnos tulerunt hominibus, occupatis in rebus gerendis; qui tamen non ſemper otium amauit, nec vitam tranquillam ita amplexatus eſt, vt ab ea diuelli non poſſet, ſed in aciem deſcendit, & in bello difficili honeſte verſatus eſt: ſummumque dignitatis locum in eo obtinuit; in quo res admirabilis ipſius conſilio, & auctoritate geſta eſt: manum enim Graecorum, quae ſequuta fuerat Cyrum iuniorem, conatum eripere Perſarum regnum Artoxerxi fratri, ſaluam incolumemque è medio illius regni in loca propinqua mari, tutaque reduxit: Cyrus namque vitam amiſerat, partamque iam victoriam virtute earum copiarum ſua temeritate corruperat: quod Xenophontis factum addidit animum Alexandro Macedoni, vt regnum illud, vetus & opulentum inuaderet, non magno cum peditum, equitumque numero: quare, qui diligenter cogitabunt; ac verum fateri volent, facile intelligent, temptatum eſſe, atque euerſum imperium barbarorum prudentia & ſtudio duorum, doctorum & diſertorum virorum: non multo enim antea Iſocrates Philippo eius patri ſuaſerat, vt, compoſitis diſcordijs Graecarum rerum publicarum, auxilijſque ipſarum cum ſuis veteranis copijs coniunctis, in Aſiam tranſiret, belloque perſequeretur inimiciſſimam nationem, imminentem ſemper capiti & libertati Graecorum; quod cum moliri perſuaſus eſſet, pararetque res, ad tantum bellum neceſſarias, interfectus a Pauſania, filio gerendum reliquit. Sed hoc nunc omiſſo, quod tamen hinc alienum nullam in partem fuit, cum loquamur de fructu, qui capitur ex ingenijs eruditorum, & ſapientium virorum ad rempublicam gubernandam, beneque ac beate viuendum, Plato quoque, ex eadem diſciplina profectus, attigit & ipſe rempublicam, in Siciliamque nauigauit, conſilio ac voluntate potentiſſimi regis, ſed iniuſti, corrigendi, atque ita opem illi telluri hominibuſque ferendi. Dionyſium igitur iuniorem, adoleſcentem adhuc, perpolire, & ad virtutem capeſſendam inflammare conatus eſt: cernebantur enim in natura motibuſque ipſius igniculi non parui virtutis, etſi pater ipſos extinguere mature ſtuduerat, qui ſpiritus etiam ſuorum, atque animi magnitudinem ſuſpectam habebat. Cum autem initio ſe facilem ille optimo & doctiſſimo viro praebuiſſet, coeptuſque eſſet excoli in ſtudijs geometriae, ita vt tota regia puluere illius eruditi plena foret, inde tamen, artificijs eorum, qui in ſua poteſtate iuuenem habere volebant, extruſus eſt, & in vinum crapulamque coniectus: qui praeterea timentes, ne aliquando ille reſipiſceret, ſplendoreque virtutis, oculis ipſius obiecto, vnde diſceſſerat, rediret, ſibi auctorem dignitatis amoliendum inde, exturbandumque cenſuerunt. Sed tertium etiam fertur eodem Plato acceſſiſſe, vt Dionem, quem valde diligebat, Dionyſio reconciliaret, quod etiam conſilium ipſius, etſi periculi, & ipſum non expers, pietatis tamen plenum fuit: quare ad eundem ſcopulum iterum vir probus offendit; vixque inde precibus & auctoritate Pythagoreorum, vicinam terram incolentium, cum cuſtodiretur in horto, liberatus eſt: antea namque, cum eò nauigaſſet, vt inſulam viſeret, & fauces Aetnae, a Graecis crateras vocatos: in conuiuiumque a Dionyſio patre vocatus eſſet, libere nimis illic locutus, paenè interfectus ab eo fuit, certe male acceptus, &, vt tamquam mancipium, venderetur, inimico homini traditus. Nauigationem igitur illam, ſaepe repetitam, odioſis vocibus maleuoli inceſſerunt, quaſi Plato a menſis illis Syra-

culanis

cuſanis eo traheretur: nam vox quoque Molonis, magni dicendi magiſtri, litteris tradita eſt, qui dixit mirum nemini videri debere, ſi Dionyſius Corinthi, ſed ſi Plato Syracuſis: de Dionyſio autem filio iactari vocem illam ſolitam, notum eſt. Quin etiam Diogenes, qui libenter omnibus maledicebat, eandem ipſi praeſenti peregrinationem obiecit, tamquam ſuſcepta foret deſiderio ſumptuoſarum illarum coenarum: cum igitur, cuius cauſa venerat, non impetraſſet, Athenas reuerſus eſt. Cur autem Plato domi non acceſſiſſet ad rempublicam, cum factus ad eam eſſet, patriaeque negotianti non ſubueniſſet, ipſe diligenter docuit, ſeque omni illa culpa liberauit: intelligebat enim ſe ab iniquis accuſari, quod cum videri vellet non alienus eſſe a rebus gerendis, ibi potiſſimum ingenium ſuum optimum, prudentiamque non exerceret, vbi commode poterat, atque etiam debebat, praeſertim cum in alienam longinquamque tellurem, vt id obtineret, nauigaſſet. Cauſam vero, quae fuerit ipſi non attingendae Athenienſium ſui temporis reipublicae, expoſuit ille in longiore epiſtola, quam miſit ad Dionis propinquos, quam cauſam, acceptam inde, commemorauit M. Cicero ſatis illuſtri loco. eandem quoque ſibi fuiſſe indicauit C. Criſpus remouendi ſe a republica. Non induxit etiam in animum Plato efficere, quod Arcades, Thebanique rogauerant, cum communi animo, copijſque, post pugnam Leuctricam conderent vrbem, a magnitudine Megalopolin vocatam: petierant enim ab eo, vt leges illi populo ſcriberet: ſciebat enim, ipſos aequalitatem non amare. Cum igitur non videret, quomodo aliter poſſet gentem aliquam optimis moribus, legibuſque erudire, cuius rei efficiendae deſiderio magno incenſus erat, conuertit totam mentem, ac cogitationes ſuas ad ciuitatem fingendam, animoque fabricandam. vnde, ſi aliquando illa reciperetur, abeſſent mala cuncta, & ſollicitudines, quae continenter vrunt humanum genus: nec ſuauitatis aliquid, puraeque voluptatis in vita guſtare patiuntur: eademque expleta foret veris bonis, fructibuſque vitae iucundis atque integris; veritus tamen, ne tantam nouitatem rerum, mutationemque inſtitutorum facile mortales ferrent, alteram extruxit, quae propius accederet ad conſuetudinem reliquarum ciuitatum, eadem tamen accommodata foret ad vitam beatam pariendam, atque hominibus adportandam: nam prior illa videbatur caeleſtibus potius naturis, quam mortalibus ingenijs conuenire. Extiterunt alij quoque ſapientes viri, qui aetate duos hos, claros admodum Athenienſes, philoſophoſque anteceſſerunt, qui cupiditate laudis commoti, vel potius prodeſſe ciuibus ſtudentes, in eandem curam incubuerunt, in quibus primum locum tenuere Lycurgus Lacedaemonius, & Solon Athenienſis: qui ambo & remp. condiderunt, & leges ipſis valde vtiles ſcripſerunt. Exorti ſunt duo alij temporibus illis in eo ſtudio valde laudati, Zaleucus, & Charondas, ambo Pythagorae auditores; quorum prior Locris, qui ſedes habebant in Italia: alter autem Catanaeis ciuibus ſuis leges ſcripſit: quarum legum veſtigia quaedam parua reſtant: celebratus enim fuit ſtilus Charondae: aperteque & eleganter, quae iuſſit, aut vetuit, complexus eſt, in odium adducens improba facta; amoremque excitans in pectoribus noſtris mirificum virtutis ac dignitatis. Horum omnium ſcripta ſententiaſque, profectus e diſciplina Platonis, cum & ipſe de optimo ciuitatis ſtatu ſcribere vellet, ciuitatemque conſtituere beatam, & omnibus bonis expletam, propoſuit ſibi videnda, diligenterque conſideranda Ariſtoteles, vt quicquid boni malique in eis foret, cognoſceret: &, ne nos falleret, laboraret: in primis autem doctoris ſui documenta, iudiciaque de hac re, ſedulo ponderauit: ac, quid de ipſis ſentiret, libere aperuit, in quo viſus eſt non paucis & antiquitus, & inferioribus etiam temporibus, nimis acerbus in opinionibus illius refellendis, & tamquam exagitandis; neque, vt gratum piumque diſcipulum decet erga ducem ſuum, auctoremque ſapientiae ſe praebuiſſe, cum viuente etiam illo, non ſolum mortuo, coeperit homini aduerſari, ac ſtudioſe conuellere ſententias ipſius, quod cum ad aures Platonis perueniſſet, amara voce fertur ingratum animum auditoris ſui accuſaſſe, ſimulque morſus ipſius leues, ſimili viſus, contempſiſſe: etſi enim Plato moderatus vir erat, atque exemplar quoddam probitatis, poterat tamen, cum rectum eſſe iudicabat, acutis vocibus contumaciam aliquorum retundere, qua licentia loquendi ſemper vſus fuit erga ſophiſtas ſui temporis, qui inanem falſamque doctrinam tradebant adoleſcentibus, cupidis perdiſcendi. vnde Gorgias ille Leontinus, princeps eius generis hominum, cum videret ſe a Platone hoc pacto irriſum, praeſens praeſenti reſpondit. Habet etiam aetas noſtra ſuum Archilocum; illud profecto ſtomachum multis mouit, doctis, grauibuſque viris, quod tanto ſtudio Ariſtoteles conatus eſt ideas illas frangere, ac labefactare, nec vllam vmquam occaſionem omiſit criminandi ipſas, vel potius ſcrutatus eſt omnia, vt anſam aliquam arriperet eis maledicendi. Plutarchus certe, grauiſſimus ſcriptor, vt omittamus nunc ea, quae idem obiecit veteribus phyſicis, propriaque ſunt alterius philoſophiae, defendit multa, hic dicta contra leges Lycurgi, inſtitutaque Lacedaemoniorum, quam remp. euocti, qui aliquid

litteris

litteris mandarunt de republica conſtituenda, ciuitateque bonis moribus informanda, ſibi propoſuerunt imitaudam, tamquam ſpecimen quoddam virtutis, ac perfectum vndique opus, atque abſolutum. Ij autem fuere, vt teſtatus eſt idem, Plato, Diogenes, & Xenon, qoi laudantur, cum litteris ac verbis remp. condiderint: Lycurgus autem non litteras, & orationem, ſed remp. re factiſque in lucem extulit, quam nemo vnquam imitaretur: Sparta enim longam illam ſuam vitam tutata eſt, diuque a ſe omne periculum impetumque hoſtium reiecit, non muris defenſa, non foſsis aut aggeribus, non fluminibus aut mari; ſituque deuique locorum, vt Aegyptus, quæ tellus Nilo, tamquam munimento quodam ſtabili, vtebatur; quod de non nullis aliis vrbibus vere dici poſſet, quæ ſalutem ſuam ac diuturnitatem his rebus acceptam referre deberent, ſed optima diſciplina, & animi fortitudine; vitaque remota ab omni luxutia & mollitia. quare videretur merito ab omuibus commendandus, & in caelum ſummis laudibus ferendus, magiſter atque auctor huius ſanctiſsimae vitae, atque optimae inſtitutionis, quemadmodum ille, adhuc viuens, à Pythia appellatus eſt, dignuſque habitus, qui potius deus, quam homo vocaretur: qui enim tanti beneficii mortalibus auctor eſt, prodeſtque ſtudio ſuo ac cura, non ſolum ſui temporis hominibus, verum etiam poſteris, is certe in numero deorum eſt collocandus, & omni laude honoreque cumulandus. Exiſtimatus autem eſt, dictuſque Lycurgus multa ſumpſiſſe è repub. Cretenſium, indeque io ſuam tranſtuliſſe, cum in ea inſula diu peregrinatus eſſet; etſi. ptopter vetuſtatem non omnino certa ſunt cuncta, quae de ipſo feruntur: nam aetas etiam, qua vixit, explorata non eſt, cum ſigna quaedam ſecuti, vſique argumentis leuioribus, non nulla boni auctores de illa memoriae prodiderint. Non habemus itidem aliquid compertum de illo, qui conſtituit rempub. Carthaginienſium: hae namque tres reipublicae, praeter ceteras in his libris celebrantur, & bonis moribus, inſtitutiſque ornatae fuiſſe dicuntur: nam de Carthaginienſium republica, quae libera erat, & in qua poteſtatem ſuam multitudo habebat, non poteſt dubitari: declarat enim hoc imperium magnum ab ipſa partum, diuque armis ac virtute retentum, cum vaſtae regionis, in qua condita erat, magnam partem occuparit, & illam etiam, quae contra ſita eſt, amplam itidem, bellicoſamque, armis ſubegerit, diuque in ipſa dominata ſit, ſed inſulas quoque in medio poſitas, ſuae ditionis fecit; cum Siculiſque tyrannis, opulentis & fortibus, varia belli fortuna, diu pugnauit, ilbiuſque opimae inſulae, atque omnibus copiis refertae, dimidium in prouinciam redegit: nam de periculo magno, quod ſubiit Italia, ne in poteſtatem eius veniret, Annibale duce, dicere opus non eſt, cum antea etiam contra Romanum imperium bellum geſſerit, incommodaque ingentia ipſi importarit. Fuit autem opinio doctorum virorum, & in bello quoque magna cum laude verſatorum, ſi bellatum fuiſſet inter duas has potentiſsimas reſpublicas, cum ambae vigerent, nec ipſarum altera non parum iam ſuarum virium ac roboris amiſiſſet, futurum fuiſſe, vt Carthaginienſium reſp. victrix extitiſſet, ac fortuna belli aliter cecidiſſet: contra enim vſu venit, vt cum illa iam ſenectute imbecillior facta eſſet: floreret autem Romana, & diſciplina militari, & ſcientia virtuteque ducum plurimorum, bellum inter ipſas exortum ſit. quare mirandum non eſt, ſi reſiſtere altera diutius non potuit tantae conſtantiae, adeoque firmis hoſtibus ac validis, putarique facile poteſt, quicqoid proſpere geſsit in ſecundo Punico bello (multa autem illa ac magna extitere) factum fuiſſe ſingulari virtute ac conſilio prudentis ſui, ac vafri imperatoris. Dum autem de valde laudatis; opulentiſque rebuſp. loquor, & quanta fuerit virtus magnitudoque animi Carthaginienſium diſputo, quamque latum imperium habuerint, venit mihi in mentem conſiderare, quanta ſit imbecillitas rerum humanarum, cum gens illa multis antea ſeculis deleta ſit, ac nomen paene ipſius extinctum, vt ne linguae quidem veſtigium vllum appareat; ac quicquid de ipſis memoriae proditum eſt, id omne ab hoſtibus, aduerſariiſque laudis ac gloriae ipſorum narratum ſit. Idem autem declarat, & ante oculos omnium ponit, qui haec ſcire curarint, fatum veterum incolarum horum locorum, in quibus nos viuimus, ac priſcorum illorum Etruſcorum, qui cum & ipſi olim floruerint, armiſque, ac virtute bellica magnam Italiae partem domuerint, conditis illic vrbibus; appellatoque à ſe vtroque mari, & ipſi tamen interiere, opibuſque vicinae Romanorum gentis, cum qua diu dimicarunt, victi tandem ac profligati ſunt; altera vero ipſorum diſciplina, praeſenſioque rerum futurarum, in quam toto pectore incumbebant, ita longo tempore probata eſt, vt mos Romanorum fuerit mittere huc liberos ad artem eam perdiſcendam, à qua ipſi numquam abhorruerunt, quamque ſibi ſemper magnopere vtilem in adminiſtranda republica inuenerunt; ijdem tamen, vt dictum eſt, longo tempore, multiſque praelijs, domitam gentem hanc ſedibus ſuis eiecerunt, in vrbeſque, ab Etruſcis aedificatas, colonos ſuos miſerunt, qui huc & nouos mores, & nouam linguam

tulerunt:

tulerunt : nam illorum ipſorum ſermo, vt Carthaginienſium, penitus extinctus eſt; cum tamen teſtent monimenta quaedam ipſius, è lapidibus, aut aere, in veteribus oppidis Etruſcorum, vt Populonij, Volaterris, Arretij, Iguuij, qua in vrbe publice cuſtodiuntur tabulae plures aheneae magnae, in quibus Etruſcae litterae inciſae ſunt, quae tamen legi non poſſunt, nec ſenſus inde vllus elici. Quis autem ſcit, an huius quoque gentis mores, inſtitutaque litteris prodiderit Ariſtoteles? cum feratur omnium fere ciuitatum, non Graecae ſolum, ſed etiam Barbariae reſpublicas, diſciplinamque ſcripſiſſe: nam, vt notum eſt, longo temporis ſpatio antecellit poteſtas magna Etruſcorum imperium Romanorum, dignaque natio haec prorſus fuit, cuius mores inſtitutaque notarentur, cum in xij. firmos populos diſtincta vetus Etruria foret, quibus inter ſe multis in rebus conueniret, communibuſque concilijs vterentur, vt antiquitus Achaei vocati, qui & ipſi è pluribus Peloponneſi ciuitatibus coagmentati erant, & inferioribus temporibus Heluetij, fortiſſima gens, & in militari diſciplina omni laude digniſſima: Tyrrheni autem non ignoti erant Graecis. Non meminit vero in his libris, quos habemus, noſter auctor, vt opinor, morum reipublicaeque Romanorum, quia non bene cognita, perceptaque inſtituta ipſorum ei erant: nam, quin nomen ad aures eius perueniſſet, veriſimile non eſt; quod ſi diutius vixiſſet, breui potuiſſet omnia perſpecta habere, admonitus a Graecis hominibus, qui extremum Italiae, Graeciam magnam incolebant: coeperunt enim tunc magis cum rebus Graecorum immiſceri, ita vt ſaepè cum illis pugnarint, qui cùm pares Romanis in bello non eſſent, Pyrrhum regem acceſſierint, ipſiuſque conſilio, & auxilijs vſi ſint ad libertatem ſuam, legeſque contra ipſos tuendas. Quaeſitum autem eſt non ſine cauſa a diſertis, & Graecis, & Latinis ſcriptoribus, ſi Alexander, ille magnus, deuicta Aſia, regnoque Perſarum extincto, arma in Italiam conuertiſſet, quae fortuna futura fuerit Romanorum, exituſque tanti belli: ferebatur enim ille hoc animo verſare, ſuperato prius, ſuaeque ditionis facto Poenorum imperio: nam matrem eorum Tyrum, vnde in Africam venerant, multo antea expugnarat. qui igitur poſt illum vixit Ariſtoteles, aliquid audire debuit de virtute bellica Romanorum, & non paruo iam ipſorum in hac tellure imperio: nam non fefelliſſe ipſum, Romam a Gallis captam, memoriae proditum eſt: notum enim omnibus, quam diligentes fuerint ſemper Graeci in huiuſcemodi rebus tradendis, ſuique generis hominibus ſignificandis: plena autem erat Italia tunc Graecarum ciuitatum, in oraque eius non valde remota a Roma, plures conditae erant eius nationis vrbes, vt Palaepolis, Neapolis, aliaeque; illud enim probabile non eſt, quod T. Liuius inquit in ſuperiore quaeſtione tractanda, refellendaque vanitate quorundam leuium Graecorum, qui contra nomen Romanum gloriae Macedonum fauebant, ſe arbitrari, ne fama quidem notum illis Alexandrum fuiſſe: nimis enim rudes agreſteſque facit eius aetatis Romanos, quos ornare vult, ſi putat nomen, factaque inuicti regis, & qui vniuerſam Aſiam, Indiaeque magnam partem victorijs luſtrauerat, ipſis inaudita fuiſſe: videturque vim ac celeritatem famae, quam tamen illo loco appellat, ignoraſſe; ſed dixit hoc, vt opinor, iactationem eorum ſimili genere vanitatis confutare volens. Alexander certe, Epiri rex, auunculus Magni in Italiam cum claſſe venit: foeduſque cum Romanis fecit, eadem illa aetate, qua è ſorore ipſius ortus, Alexander alter, in alio tractu orbis bellum gerebat. Cum etiam multorum, ſi non omnium, meminerit Ariſtoteles, qui ante ipſum litteris aliquid mandarunt, de optimo ſtatu ciuitatis, miratus quandoque ſum, non ſine cauſa, vt opinor, cur Xenophontis mentio hic nulla ſit, qui Cyri vitam ſcripſit, perfectum & abſolutum opus merito habitum, & a Graecis, qui exiſtimare de his rebus poterant & a Romanis, grauibus & ſapientibus viris, qui fatentur ſe ipſum manibus contriuiſſe: indeque praecepta multa, ad rem gerendam apta, & ad rempublicam adminiſtrandam accommodata hauſiſſe: etſi enim regem inſtruit, exemplarque quoddam ſummae probitatis, ac virtutis fingit, non videbatur tamen ea de cauſa omittendum, cum regnum, praeſertim quale illic deſcribitur, vacuum ab omni labe; refertumque maxima virtute, non ſolum reſpublica ſit, verum etiam optima, & perfectiſſima reſpublica, de quo noſter auctor & dux non videtur dubitare: primas enim illi defert omnium gentium rectionum: nam Plato creditur non magnopere opus illud celebraſſe, quia aemulus foret laudis, ac gloriae Xenophontis, intercederentque inter ipſos cauſae non nullae ſimultatis, vel potius obſcurae quaedam contentiones de ingenij, doctrinaeque nobilitate, quales in pectoribus etiam clarorum, & doctorum virorum non nullae ſaepe exoriri conſuerunt. Adiungitur huic, quod nominatim Xenophon duas reſpublicas ſcripſit, vnam Lacedaemoniorum; alteram Athenienſium, niſi aliquis putet, priorem harum laudationem potius, quam politiam illius ciuitatis vocandam: poſteriorem autem ſuae vituperationem. Potuit tamen hoc praeſtitiſſe in duobus, qui deſiderantur, niſi fallor, extremis huius operis libris, in quibus veriſimile eſt, niſi a ſemetipſo, inſtitu-

tiſque ſuis diſceſsit, Ariſtotelem iudicium ſuum patefeciſſe, ac, quid verum eſſe putarit de tot tantiſque quaeſtionibus, quas propoſuerat, oſtendiſſe. regnum ne inquam huiuſcemodi eſſe exiſtimarit, ſed integrum, &, ſi non omnino legibus frenatum, ſaltem perpolitum & ornatum, de quo illic copioſe diſputarit. Quia autem non nihil huc vſque vagatus ſum, placet iam propius accedere ad propriam huius operis quaeſtionem, pauciſque de eo diſputare, quod magis praeſentis temporis eſt, meritoque a me requiri poterat: cum enim philoſophiae illius, quae in rebus agendis verſatur, tres partes ſint: ſiue enim in ſingulis hominibus excolendis, boniſque moribus ornandis, tota occupatur; ſiue in re familiari recte ordineque diſpenſanda; ſiue in vniuerſa ciuitate regenda, vnde cunctae nomen adeptae ſunt, nullam harum partium, non à ſe diligenter purgatam reliquit Ariſtoteles. Non ſemel autem aggreſtus eſt de moribus ſcribere: perſpicitur enim ter auctorem hanc curam ſuſcepiſſe; cum tamen libri de ipſis ad Nicomachum filium miſsi, qui integri ad nos peruenerunt, vt meliore fato vſi ſunt, ita etiam exiſtimentur eſſe exquiſitiores: neque enim arbitror, quod ſuſpicatus eſt M. Tullius, verum eſſe, probarique vllo pacto debere, illos à Nicomacho ipſo ſcriptos, non a patre ad eum miſſos; qui tamen non hoc primus prodidit, ſed a Graecis quibuſdam accepit, qui id litteris mandarant: in quo autem illi decepti ſint, nullum negotium eſt cognoſcere. Scripſit etiam praeter hos, alios eiuſdem tituli libros, ſimiles magnopere Nicomachiis, quos ad Eudemum Cyprium, ſodalem ſuum, ad quem etiam alia ingenij ſui monimenta, propria alius philoſophiae, miſit, cum vehementer hominem diligeret, vt doctum virum, in ſcholaque Platonis diu ſecum verſatum: ij autem manci admodum & mutilati ad nos peruenerunt; nec tamen ita quoque reliquiae ipſorum ſunt contemnendae: quidam enim loci vberius illic, quam in ſuperioribus tractantur. Sunt etiam in manibus duo alii de moribus libri: minime autem & ipſi integri, ſed minoribus multo vulneribus confecti, quorum index eſt ἠθικὰ μεγάλα: nec tamen puto, plures eos vmquam fuiſſe, qui & ipſi & ſtilum & diſciplinam Ariſtoteleam redolent: etſi non cuncta, quae praecipiunt, argumentis ſtatim firmant, vt philoſophi huius mos eſt; non apparet etiam, cur magni vocati ſint. Extitere autem plures hac aetate, docti viri, qui crediderunt falſo hos, vt ſuperiores quoque, Ariſtotelis putatos; etſi veteres Graeci interpretes de hoc numquam dubitarunt, qui cum vixerint illo tempore, quo nondum tanta clades inuaſerat in bonos auctores, & vitam omnem conſumpſerint in declarandis, & penitus explorandis ſcriptis huius philoſophi, mirarer, eos in re propria ſtudij ipſorum tantopere deceptos fuiſſe: nam in alijs quaeſtionibus, de quibus diſſerunt initio ſuorum commentariorum, ipſos accurate ſolitos videre, vera ne auctoris eſſent ſcripta, quae ſuſcepiſſent declaranda, exploratum eſt. Domeſticam etiam diſciplinam, οἰκονομικῶν nomine ſignificatam, accurate tradidit; ſed hi libri valde aduerſa fortuna vſi ſunt: initium namque ipſorum tantum conſeruatum eſt multa enim, quae accreuerunt poſt principium I. libri, partemque ipſius, quae terminatur his verbis οὕτω γὰρ ἄν, ἴσως τις, ἐξετάζοι, nullo conſilio eò adportata fuerunt: nihil enim faciunt ad rationem, qua priuatae domus regendae ſint, tradendam: documenta namque ſunt quaedam ad pecuniam parandam, viaeque, quibus reſpublicae, regeſque in anguſtis ſuis rebus ſumptus belli ſuſtinuerint; ſed etiam opinio eſt, inferioribus temporibus, aetateque noſtrae vicina, incommodum hoc auctum eſſe, amiſſa parte aliorum οἰκονομικῶν, quam in Latinum ſermonem verterat Leonardus Arretinus: intelligo autem, quod expreſſerat his verbis, Probam mulierem. Priuatas autem domos cum inſtituiſſet Ariſtoteles, tempus veniſſe intelligens abſoluendi huius praeclari muneris, quod initio ſibi propoſuerat, toto animo incubuit in optimam rempublicam informandam; quorum ſcriptorum ordinem, & quid ipſis acciderit, minime nunc exponam, cum hi ipſi ſint, de quibus multa ſaepe quaeſiuimus, & infra etiam hic de iniuria, quam à tempore acceperunt, queſti ſimus. Non defuerunt etiam poſt Ariſtotelem, qui eandem operam ſuſciperent, ac de republica diligenter ſcriberent, vt ij, quos ſupra memoraui, atque alii docti viri, ſed in rep. regenda minime verſati, poſt quos omnes M. Cicero in eandem curam omnibus animi viribus incubuit; ſexque libros confecit, qui ipſius aetate vigebant, & in magno apud omnes honore merito erant, cum praeter magnum ingenium hominis, & ſingularem, vt in homine Romano, doctrinam, reip. adminiſtrandae ſe totum dediſſet, atque in ea res maximas geſsiſſet; qui libri etiam iniquitate calamitoſorum temporum, quae poſtea ſequuta ſunt, interiere, è manibuſque nobis magno cum damno noſtro erepti fuere. Quantam autem iacturam fecerit Latinus ſermo interitu illorum, intelligitur è particula, quae fortuito conſeruata eſt, qua nihil grauius, nihil eruditius, nihil, quod magis perſonae honeſtae atque illuſtri, quae ſermonem illum habuit, conueniret, excogitari potuit. Monimenta igitur duo optimorum ingeniorum, quae plurimum mortalibus modis multis profuiſſent, male accepta ſunt à tem-

pore; &, ſiue tota conſumpta, ſiue non parua ſui parte, & fortaſſe meliore, mutilata: etſi enim, quae reſtiterunt praeſtantis noſtri, omnium bonarum artium magiſtri, elapſa ſuperiores atroces caſus, impetumque totius Barbariae in maxime excultas orbis partes, & feraces omnium virtutum, vtilia ſunt, maximoſque fructus ferunt; maiores tamen & vberiores inde expectari poterant: nam, quamuis mancos & decurtatos, nobis caros reliquos hos libros eſſe debere declarat, quod multae vigiliae doctorum hominum in ipſis explicandis conſumptae ſunt: in primis autem D. Thomae, non minus magnitudine ingenij, cognitioneque rerum naturalium ac diuinarum, quam ſanctitate vitae admirandi, qui cum ſeculo illo, pleno inſcitiae ac tenebrarum, natus eſſet, praeſtitit in eo munere obeundo, quod a nemine tunc expectandum erat, cum Graecus ſermo in Italia penitus ignoraretur, omniſque polita, & elegans doctrina in profundo demerſa foret; neque enim poëtae eius linguae legebantur, & Latini etiam a paucis guſtati erant; memoria quoque vetus & hiſtoria cunctos fallebat, ſcriptaque itidem Platonis, eruditorumque ipſius interpretum in Latinum ſermonem verſa non erant, vt quoquomodo legi poſſent, ſine quorum accurata lectione parum progredi videtur aliquis in eo ſtudio potuiſſe; id quod inde etiam cognoſcitur, quia cum multi rerum ſcriptores deleti ſint, neceſſario aliqui loci in his libris obſcuri ſunt, & magnis tenebris inuoluti, exemplaque, breuiter hic poſita, non videntur poſſe explanari. Ipſe autem & temporis beneficio, cuius, cum longum fuerit, natura eſt, vt plurima occulere, & caligine implere, ita etiam quaedam gignere, atque aperire, quod a vetere poëta vere dictum eſt: cura enim & opera multorum, ſumma laude dignorum virorum, humaniora ſtudia valde illuſtrata ſunt, & ſubtiliora etiam non parum ornata, pulſa ab ijs magna illa barbaria, quae ipſa inquinauerat & omnem ſplendorem ipſorum obſcurauerat, & vt a tempore adiutus, ita etiam aſſiduo ſtudio, ac diligentia in hac re poſita, conatus ſum aliquid lucis huic eximio operi adferre; quod ſi, vt optaui, ac ſtudui, aliqua parte obtinui, gaudebo, & me compotem voti mei factum eſſe exiſtimabo. Applicaui autem animum omni vita mea ad eos potiſſimum ſcriptores adiuuandos, in illiſque pro viribus illuſtrandis plurimum ſtudij, ac diligentiae adhibui, qui maxime videbantur opera alicuius accurati hominis, & magni ipſorum amatoris egere, ijdemque maximos fructus, exculti ac perpoliti, ferrent. Satis autem notum arbitror, ante operam curamque, quam de illis ſuſcepi, Ariſtotelis libros de arte dicendi propter obſcuritatem, ſolitos arcere bona ingenia ab ipſorum lectione, praeſertimque tertium ipſorum librum paucos antea auſos attingere, qui quaſi per caliginem elegantem illam doctrinam, variamque videbant; nec tamen ſe conſequi, atque inde haurire poſſe ſperabant, cum valde maculoſus foret: in primis autem exempla virtutum illarum dicendi, ab auctore illic poſita, vnde petita eſſent, ignorarentur, & ob breuitatem obſcura, eademque magnis mendis operta forent. Idem etiam a me dici poſſet de erudito, & eleganti libello Demetrij Phalerei, cuius non modo doctrina, ſed etiam nomen auctoris neſciebatur: cum enim prius ipſum, purgatum, & multis partibus auctum, imprimendum curaſſem, non defuerunt, qui mihi obſtreperent, & nullo modo vellent, eſſe Demetrij illius, dulcis oratoris, ac peripatetici philoſophi, partum, eiuſdemque in rebus gerendis, republicaque gubernanda, diu magna cum laude verſati, donec certo teſtimonio auctoritateque magni doctoris confutati ſunt, quem locum mihi indicauit Gulielmus Sirletus Cardinalis, optimus ac doctiſſimus vir: prius enim coniecturis tantum vſus fueram. Non poſſum idem affirmare de labore, quem ſuſcepi in explanando libro, qui vnus è tribus Ariſtotelis de ſtudio poëtarum reliquus eſt: nactus enim ille fuerat ante me vnum, & alterum, qui in eam curam toto pectore incubuerant; nec tamen puto operam meam, in eodem, & corrigendo, & declarando, poſitam, inutilem & iniucundam ſtudioſis ipſius extitiſſe. Contigit autem quiddam ſimile in hoc onere, quod modo depoſui, & illo vetere, quod quo potui, ſtudioſe tuli: vt enim, cum opus illud ipſum integrum non foret, adiutum valde fuiſſet, ſi conſeruati eſſent tres, quos idem ſcripſerat de poëtis, ita hoc de optima republica, ſi plurimae illae reſpublicae, cum inſtitutis ipſarum, quas monimentis mandarat Ariſtoteles, in manibus eſſent: vt enim M. Cicero in libro, quem ſcripſit, copioſum ac varium, de claris oratoribus, multa praecepta de arte complexus eſt, ita veriſimile eſt, diligentem ſcriptorem, ſtudioſumque valde docendi incluſiſſe in libros de poëtis multa, quae pertinerent ad artem poëtarum tradendam, & in commentarijs de rebuſpublicis, quae valerent, virtutibus, ac vitijs ipſarum indicatis, ad optimam rempublicam informandam. Sed male nobiſcum vndique actum eſt, perdidimuſque non pauca, quae remedij plurimum attuliſſent ad vulnera accepta, vt fieri poterat, ſananda. Sed quid opus eſt nunc hoc vlcus tangere, quaſi non multa alia amiſſa ſint, quae non poſſumus ſine dolore magno recordari, cum potius, ſi qualia ſuperiora

tempora

tempora fuerint, reminiſci voluerimus, quantaque inſcitia eorum ſeculorum, admirari debeamus haec ipſa, quae in manibus ſunt, monimenta optimorum ingeniorum reſtitiſſe, caſuſque illos graues, ac pericula, inſtantia ipſis, euaſiſſe, cum exploratum ſit, non pauca opera magnorum ſcriptorum ad vnum exemplar olim redacta fuiſſe, quod ſi extinctum eſſet (multis autem modis, facileque hoc contingere poterat) ſtatim cognitione illarum rerum orbati fuiſſemus. Quod ſi ratio excudendi libros, atſque haec, mirifice vtilia vitae, inuenta non fuiſſet, profecto breui hoc contigiſſet. Sed Deus Opt. Max. huic malo medicinam fecit, qui mentem dedit mortali homini, vt, quod a ſe ſolo expectari poterat, voluntate ipſius opeque, ab humano ingenio excogitaretur: ita autem paruo labore ſalus data eſt multis veteribus auctoribus, factumque, vt paruo ſumptu & opera, quod a Romano Imperatore, adhibita multa cura, & ſtudio in vita retinendo ſui generis graui ſcriptore, obtineri non potuit, a tenui opifice impetraretur, ſtatimque auctores omnes per vniuerſam terram, quae clauſas non habet aures, auditionibus documentiſque doctorum virorum diſſeminarentur. Magna igitur laude digni ſunt principes viri, qui relliquias antiquorum ſcriptorum, ſparſas, & morti propinquas, collegerunt, & non minus, qui ipſas diuulgandas, & formis imprimendas ſtuduerunt; quae vtraque laus diu viguit in familia principum noſtrorum, & quaſi priuata, propriaque ipſius eſt: ſpero autem eam propediem, Franciſci noſtri, Magni Ducis, ſtudio valde auctum iri, ſatiſque certa indicia huius rei video. Veritas quoque non patitur, vt reticeam egregiam voluntatem, atque operam, inferioribus temporibus in hac re poſitam a Franciſco primo Gallorum Rege, qui, vt erat omnibus in rebus magno animo, ac vere regio praeditus, procliuiſque in humanum genus iuuandum, rectaque ſtudia ſumma ope augenda, curauit, vt quicquid antiquorum ingenij monimentorum reſtaret in afflicta Graecia, ad ſe mitteretur; cui beneficio magno addidit alterum, & ipſum valde vtile ad hanc ipſam honeſtam artem ornandam: ſtuduit enim, magnis praemijs propoſitis, vt lepidae admodum formae litterarum, & Graecarum, & Latinarum, fingerentur; in quo etiam felix fuit: ita enim pulchrae, atque politae fabricatae fuere, vt non videantur ab humano ingenio venuſtiores, & exquiſitiores vllo pacto conformari poſſe, librique ipſis excuſi, non inuitent tantum, ſed etiam aliquo modo rapiant ad ſe legendos. Nec tamen negarim ab eodem hoc caeleſti munere mali etiam aliquid prodire potuiſſe, niſi via ipſi obſtructa fuiſſet, quod magno conſilio, ſapienterque a noſtris factum eſt. Sed quaeſo, quae res tam vtilis vitae hominum inuenitur, omnibuſque ſui partibus, ita perfecta, vnde multum incommodi non proficiſcatur, vitio ac prauitate animi eorum, qui ipſa abutuntur? non ne hoc paſſim vſu venire declaratum eſt a noſtro doctore, & certis argumentis comprobatum? Qui autem contra cogitaret aliquid ac moliretur, is imitaretur Lycurgum illum, Dryantis filium, ſtultum plane hominem, ac dementem, qui cum vidiſſet multos, qui largius potauerant, ſeque vino obruerant, ebrios factos, ſtatim vites excidit, matreſque mitiſſimi liquoris obtruncauit, cum debuiſſet potius, vt ſine damno ſuauitas, quae inde fluit, guſtaretur, fontes propius admouere, furentemque Deum, vt Plato inquit, ſobrio Deo coercere. Non puto autem me alieno loco meminiſſe incommodi, quod ab incuria hominum accipiunt monimenta veterum ſcriptorum, cum intelligi poſſit, me nulla alia re tantopere adiutum in tollendis mendis, partibuſq; quibuſdam inſtaurandis horum librorum, & quum olim ipſos emendare ſtudui, & nunc, quum eoſdem declarationibus meis explicare conatus ſum, quam a vetere illa tralatione: quoſcunque enim calamo exaratos codices indagare potui, cunctos deteriores, mendoſioreſque inueni, quam fuerit exemplar, quo illa vſa eſt. quare plane cognoui contaminari cotidie libros magis, & vt hac via niſus ſum iuuare hoc opus, ac perpolite, ita nullum laborem fugi, vt quantum valerem, praeſtarem, quod in me recepi; quod ſi doctrina, & vſus rerum impar fuit tanto oneri ſuſtinendo; ſtudium certe & diligentia in hoc meo labore merito deſiderari non poteſt, fides in primis magna fuit. quare ignoſci mihi arbitror oportere, ſi non abſolui, perfecique penitus, quod optaui.

PETRVS VICTORIVS Hieronymo Guicciardinio. S.

MITTO ad te munuſculum, adoleſcens optime, mihique cariſſime, quod ſane magis tibi conuenit, quam ego iuris in ipſum multum habeam, etſi laboraui non nihil, vt plurimum haberem: aliquo enim modo alienum opus ſuum facit, qui ſtudet, vt integrius id, nitidiuſque in manus eruditorum veniat, deiectis maculis, quas a tempore incuriaque hominum acceperit: is autem eſt C. Salluſtius, rerum R. grauis & prudens auctor, de cuius ſermone puro, & libertate loquendi, praeſtantique iudicio, in iis, quae commemorat, exponendis, opus non eſt me pluribus dicere, cum laudes ipſius ſatis notae omnibus, exploratae que ſint. reſtat potius, vt conſilium meum comprobem, cur te potiſſimum delegerim, cui hoc, quaſi donum quoddam, darem, cum omnem noſtram iuuentutem, deditam ſtudiis litterarum, valde amem, & quacunque re poſſum ornare ſtudeam, atque id merito faciam. Sed hoc quoque obſcurum eſſe non poteſt: cui enim cognitum non eſt, hanc dotem ſcribendi hiſtoriam propriam eſſe veſtrae familiae? in qua cum plures omni tempore prudentes viri, honeſteque verſati in republica, floruerint, non vnus ipſorum tantum, aut alter ad hanc gloriam aſpirauit; enituit tamen maxime inter ceteros, qui tamquam peculiare, ſuumque opus hoc fecit, magno ingenio praeditus, ſingularique eloquentia patruus tuus magnus, omni ſua vita verſatus in magnis rebus gerendis, publiciſque negotiis adminiſtrandis: hi namque rerum memoriam monimentis recte mandare poſſunt, qui magnum vſum rerum habent, domique ac militiae publicam perſonam ſuſtinuerunt, quales apud Graecos Thucydides, & Polybius extitere. ſimilis itaq; his vndequaque Franciſcus, vnus è maioribus tuis, fuit. quare non ſine cauſa hiſtoria ipſius tantopere celebratur, conteriturq; manibus omnium, qui ſiue ſcientia rerum praeteritarum delectantur, ſiue ſperant aliquando futurum, vt ipſi partem aliquam reip. attingant. leges igitur accurate Romani ſcriptoris duo haec opuſcula: nam grandiores vigiliae maximi ingenii ipſius periere, & cõferes cum ſcriptis, prudentiae plenis, gentilis tui, qui, ſi diutius vixiſſet, & plura ſcripſiſſet, & quae iam inſtituta habebat, magis abſoluiſſet; paraque te, vt vere è ſanguine ipſius ortus eſſe videare; etſi fontem propinquiorem habes omnium bonarum artiũ hauriendarum, Angelum, patrem tuum: quare domeſtica diſciplina, qua eximie educarere, non defuit, cui etiam acceſſit exquiſita Latinarum & Graecarum litterarum doctrina. Ex laude autem tua ipſe laetitiam incredibilem capiam, partemq; aliquam eius ad me pertinere arbitrabor, qui optimum ingenium tuum ſumma cura expolire conatus ſum, & nunc, quod feci, eo animo feci, vt admoueretur hic, quaſi ſtimulus quidam, ad curſum tuum incitandum, quamuis eo non valde egeas, cum tua ſponte ſatis incenſus ſis ad omnem virtutem perſequendam. Vale. Florent. X. K. Sept. CIↃ IↃ LXXVI.

PETRVS VICTORIVS Lectori. S.

CONTIGIT extremo hoc tempore, quo multarum mearum vigiliarum opus edebam, vt Iunctis noſtris, typographis, commodum eſſet excudere, quae reſtant, monimenta C. Criſpi. impulſus igitur amore, quo ſemper hunc magnum rerum ſcriptorẽ proſecutus ſum, experiri volui, ſi poſſem opera, ac ſtudio meo meliorem ipſum reddere, idest aliquid macularum delere, quae adhuc pulcherrimum ipſius corpus deformant, quamuis non defuerint, qui hoc ſedulo prius fecerint, & nõ parum etiam ipſi profuerint; praeſertim cum nactus olim eſſem vetuſtiſſimum ipſius exemplar, litteris Longobardis exaratum: &, vt videbatur, ſatis correctum, atque emendatum; plurimis certe locis valde diſtans a peruulgata lectione, atque id non inepte, neque imperite. Vt autem tutius hoc facerem, deprompſi duos, antiquos itidem libros è Medicea bibliotheca, quos conſulerem, ac viderem, ſi conueniret ipſis cum priore illo, quo multum antea vſus fueram: cuiuſq; ope locos non nullos reſtitueram, vt ſi conſentientes omnes inter ſe animaduertiſſem, audacius poſſem me totum ad auctoritatem eorum conferre, quod minime factum eſt. cautius igitur, timidiusq; multo aliquid immutaui, praeſertim cum ex variis duabus, pluribuſq; etiam vnius loci lectionibus, ſatis idoneus ſenſus, nec ſordidis etiam vocibus expreſſus eliceretur. Cũ autẽ alia quoq; ſit ratio, non mala illa quidẽ, tollendi menda quaedã è veteribus aucto-

ſibus, obſeruare videlicet, quomodo grammatici ſuperioris aetatis legerint, cum teſtimonia inde citant, qua libri, ſi non integri, ſaltem minus multo contaminati erant, hanc quoque non omnino certam, & indubitatam inueni: neque enim ſemper illi, libros ante oculos habebant, ſed plerumque memoriam ſequebantur, quae ſaepe imbecilla & fluxa eſt, perſpicitur hoc verum eſſe: Demetrius namque, ille Phalereus, adducit exempla non pauca è Platone, & alijs quoque ſcriptoribus, longe aliter, atque illa nunc apud auctores ipſos in fidelibus etiam libris legantur, legique prorſus debeant. Sed etiam Quintilianus, cum locum eum illuſtrem huius ipſius ſcriptoris ſignificaret, quo de Carthaginis immenſis opibus, imperijque amplitudine loquitur, inquit. Nam de Carthagine tacere ſatius puto, quam parum dicere, cum apud auctorem legatur, ſilere melius puto. Quin etiam M. Varro apud Terentium legit, & interpretatur; Scortatur, potat, olet vnguenta, de meo, cum in omnibus libris (habemus autem huius comici antiquiſſimos, & fideliſſimos) ſcriptum ſit, obſonat, potat. Haec igitur me ſemper hortata ſunt, vt conſiderate admodum me in hoc negotio gererem, parumque, aut nihil coniecturae, atque ingenio tribuerem. Quare, quod antea cuſtodiui, idem nunc in paruo hoc meo labore diligenter ſeruaui, quo inſtituto meo valde delector: video enim non paucos, qui aliter manus admouerunt optimis auctoribus; ipſiſque prodeſſe ſtuduerunt, potius illis non mediocriter obfuiſſe. Cum autem de incerta variaque lectione huius ſcriptoris locutus ſim, adponam hic non nullas è multo pluribus varietatibus, quas in ipſo nactus ſum, difficultatis huius facti declarandae cauſa.

PETRVS VICTORIVS Alexandro Farneſio Card. S.

VENIT tempus, Cardinalis maxime illuſtris, rumpendi longum ſilentium, quo tecum vſus fui, nulla alia de cauſa, niſi quia hactenus non habui rem vllam, quam tuis auribus dignam iudicarem: hoc autem tam magnum volumen ſperaui ſecum portaturum aliquid, quod non omnino tibi diſpliceat, ſaltem ob materiae ipſius, & auctoris nobilitatem; quare auſus ſum id ad te mittere; accipies autem eo animo, quo olim & vocem meam, & ſcripta accipere ſolebas, ideſt iucunde, & amanter exiſtimabiſque me dignitati tuae deditum eſſe, & cupere ipſi, quacunque re poſſum, gratificari, nec vllam vmquam occaſionem amiſſurum, qua egregiam meam voluntatem, & amorem ſingularem erga amplitudinem tuam, oſtendam; quod ſi aliter facere vellem, vix poſſem: putaui enim ſemper ſententiam illam ſapientis tragici veram: nunc autem in te huiuſcemodi prorſus eſſe expertus ſum, qui inquit, Nullum vmquam amatorem extitiſſe, qui non perpetuo amarit: qui autem animum meum praeclarum, & ardentem erga exiſtimationem honoremq; tuum cognoſſet, quem tamen omni ſtudio meo, reque declarare conatus ſum, non ſine cauſa me tui ſummum amatorem eſſe dixiſſet. Sed haec fortaſſe minime neceſſaria fuere: reuertar igitur eò, vnde diſceſſeram: rogaboque, vt faueas huic monimento ingenij mei, cuicuimodi eſt, locumque aliquem ipſi des in tua copioſa bibliotheca, quamuis etiam dignum non putaris tam nobili ſupellectile. Vale. Florent. VI. Id. Sept. CIϽ IϽ LXXVI.

PETRVS VICTORIVS Germano Audeberto. S.

LITTERAE tuae fuerunt mihi valde iucundae, ac merito quidem: quis enim non gaudeat tanto teſtimonio, vel praeconio potius grauis, & clari viri, nec tamen me fallit, laudes illas tuas eximias, quas in me congeſſiſti, parum mihi conuenire, ac ſuperare longo interuallo vim, ac poteſtatem ingenij mei, vt eſt tamen hominum natura, qui libenter audiunt, quae ipſos ornant, facere non potui, quin voluptatem magnam caperem ex hoc animo tuo prono in honorem, ac dignitatem meam. Legeram autem multo prius elegans carmen tuum, quo etiam tuliſti in caelum mediocrem meam eruditionem: quare iam tum amare te coepi, atque exiſtimare probum virum eſſe, non ſolum doctum, & ingenioſum, qui facultatem iſtam

condendi carminis exerceas in illis celebrandis, quos alienos non eſſe a muſis arbitraris, ſimulque incendas alios ad honeſtas artes colendas. ſed in hoc longior non ero: magis enim accuratam orationem requirit officium iſtud tuum plenum amoris erga me. Filius tuus, vt ex breui ſermone ipſius tunc iudicaui, & poſtea ex epiſtola eiuſdem planius percepi, optimus iuuenis, & benè doctus me ſalutauit, cum ego ruri eſſem: ille autem Romam proficiſceretur: habito enim, quum rusticor, prope viam: quare contingit aliquando, vt hac ipſa laetitia fruar, qua mirum in modum capior, fructuſque hic eſt villae huius, qui ſuperat ceteros, quos fert ager ipſe, fructus; ſcripſitque poſtea epiſtolam ad me ſuauem, atque elegantem mehercule; cum qua miſit tuam, in qua cum oſtendas, cupere te legi a me partem quandam tui operis inchoati, & quid de ipſa ſentiam proferri, ac iudicium fieri, faciam libenter, &, vt ſpero, eruditior fiam inde: in hocque prorſus non fallam opinionem tuam, qui me in amicorum fidelium loco habeas, quibus mos eſt huiuſcemodi vigilias cum mittere: in altero vero vereor, ne tibi facere ſatis poſſim, imo affirmare audeo, me parem non eſſe tanto muneri ſuſtinendo; quod tamen in eo genere efficere poſſum, a me non patiar deſiderari, fidem certe, & beneuolentiam non accuſabis. Vale. Florent. IIII. Id. Septembr. CIↃ IↃ LXXVI.

PETRVS VICTORIVS
Sebaſtiano Sanleolino, S.

DILEXI te quidem ſemper, Sebaſtiane cariſſime, ac meritò quidem: multa enim ſaepe audiebam de ingenio tuo, & facultate non ſanè parua pangendi carminis, & nonnulla etiam legeram; quare putabam me debere te amare, & quacunque re poſſem, ſiqua occaſio data eſſet, iuuare: faueo enim libenter ſtudioſis bonarum artium, in primiſque iis, qui muſas elegantiores colunt: nunc autem, cum viderim te tantopere ſtudere laudi meae, & quaſi deſiderio quodam ardere celebrandi nomen meum, tanto magis te amplexari cogor, &, ſi vllo modo valeam, ſeruire vtilitatibus, & honori tuo; quod vtinam tam facile praeſtare poſſem, vt id facere paratus ſemper, ac promptus ero. Verſus ipſos lepidos, & a proba natura profectos, legi non ſemel, & mecum ipſe laudaui: argumentum enim omnibus placere debet, & ornatus etiam expolitioque ipſius; non ceſſabo etiam apud alios praedicare, & quod a me requiris, vt munus hoc tuum epiſtola mea ornem, quum voles, ſedulo id, & amanter efficiam. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Erneſto Archiduci Auſtriae. S.

SPERO equidem futurum, Princeps Sereniſſime, & multis, magniſque animi bonis inſtructiſſime, vt de tuis honeſtis factis aliquando copioſe ſcripturus ſim: ita enim inſtitutum te audio, & iis maioribus natus es, vt nihil tam amplum ſit, quod non a tanta ſtirpe, fonteque maximarum virtutum proficiſci, & manare debeat. Nunc autem, cum cogitarem, ad quem potiſſimum tui optimi parentis laudationem hanc mitterem; tu in primis occurriſti, qui praeter ceteros omnes (excipio maiorem fratrem tuum, qui in imperio ipſi ſuccéſſit) hoc munere dignus eſſes, propter excellentiam materiae, requirente perſonam maxime claram, & illuſtrem: cui enim magis conuenit orationem hanc, quae celebrat familiam veſtram, acuitque cunctos mortales ad ipſos imitandos, ſemper in manibus habere, quàm filio? & quis maiorem laetitiam caperet ex commemoratione tantarum laudum, quàm ille, qui aliquo modo ipſas ſuas eſſe, & ad ſe magnopere pertinere, ob tantam coniunctionem ſanguinis, non falſo exiſtimaret? voluptatem autem maximam, & veriſſimam omnium, hominibus afferre praedicationem ſuae dignitatis, peruulgata voce, ſummi Athenis viri, declaratum eſt; quod ſi optime hoc, &, vt oportebat, non praeſtiti, magnitudineque rerum oppreſſus ſum, tribuito imbecillitati ingenii mei; etſi tale argumentum eſt, vt ſuperet vires non ſolum meas, ſed magni cuiuſuis oratoris, & in his rebus plurimum exercitati. Vale. Florent. K. Decemb. CIↃ IↃ LXXVI.

PETRVS VICTORIVS
Hieronymo Suritae . S.

CVM ſaepe mihi ſignificaris, cupere te mature habere ſcripta mea in libros, qui ſuperſunt Ariſtotelis de optimo ſtatu ciuitatis, ſtatim vt formis excuſa ſunt ad te ferenda curaui: leges igitur, cum otium erit, ſi vllo tempore tibi requietis aliquid datur è maximis occupationibus, & ignoſces imbecillitati iogenij mei, cum incides in aliquem locum, non ſatis acute explanatum; quod prorſus confido te facturum, cum prudens ſis, & noris, quam difficile ſit, hac aetate cuncta plene cognita, atque explorata habere, quae fortunato illo ſeculo, & pleoo eruditionis, quo vixit, aoctor huius praeclari operis, paſſim intelligebantur. ego ſane, quod valui, praeſtiti, & plurimom laboraui, vt quam hooeſtiſſime poſſem, ſuſtioerem onus, quod parum fortaſſe ſapieoter impooi mihi paſſus ſum; ſed de hoc ſatis. Robertus Rodulfius expoſuit diligenter, Magno noſtro Duci, quod ipſi mandaras de publicandis veteribus ſcriptoribus, qui io ipſius copioſa bibliotheca cuſtodiuntur, cuius rei ipſe teſtis ſum, qui forte praeſens adfui illi ſermoni, addidique, te ipſum hortari ad facinus eximium, & quod ipſi infinitam quandam laudem, ac gloriam pareret. reſpoodit ille liberaliter, ſe ſemper ipſorum copiam facturum ei, qui apud nos excudere, ac diuulgare eos accurate voluerit: praeſertim cum videat hoc tibi placere, cuius auctoritas, ac iudicium omnibus in rebus apud ſe plurimum valet. Reſtat ouoc, vt impellamus typographos noſtros, vt ſuſcipiaot hanc curam: neque eoim leue negotium eſt, vt iutelligis, neque mediocrium virium, in quod plures toto pectore incumbemus, ſtudioſi iuuandarum booarum artium; ſimulque cupidi, vt debemus, honoris ac dignitatis noſtri Priocipis, qui a nullo conſilio alienus eſt, quod prodeſſe poſſit mortalibus: ad hooeſta autem ſtudia adiuuanda natura, & voluotate propenſus, in quibus poer admodum proceſſit; quaeque nunc etiam, cum res patitur, numquam intermittit. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Petro Ciacconio. S.

BERNARDINVS Briſegnius, vir grauis, vt noſti, atque omni laude dignus, qui te valde pro magnis naturae tuae, atque ingenij dotibos diligit, oſteodit mihi particulam quandam litterarum tuarum, qua me ornas, & plus tribuis mediocri meae eruditiooi, oe dicam tenui, atque exili, quod verius fortaſſe de ipſa praedicaretur, quam illa ferre poſſit. Laudo igitur humanitatem, ac liberalitatem tuam, qui cum eximia, praeſtaotique multarum honeſtarum rerum ſcientia coniunxeris ſingularem morum, atque omnis vitae integritatem; quae ſocietas magnarum virtutum omoi tempore rara, atque iufrequens fuit: ooſtra autem hac aetate inuentu difficilior eſt; cum tameo propter ooſtram piam inſtitutionem, teni aliter ſe habere decuiſſet: Putato igitur, in quo profecto non errabis, me tibi amicum eſſe, & cupere tibi omnia, quae ad dignitatem tuam augendam pertinent. Longum praeterea, & accuratum ſermonem de laudibus tuis habuit coram hooeſtis perſoois, in quibus etiam fuit Nuntius Pont. Max. & ipſe homo bene doctus, ac prudens, commuois hic noſter amicus, & quem ego iampridem colui, atque obſeruaui: verum tamen noo noua mihi tunc, neque inaudita prius fuit magnitudo ingenij tui, & doctrinae admirabilis fama: quare te diligebam, & in aoimom meum olim receperam: nunc autem ob teſtimonium illuſtre tanti viri, volui hoc tibi notum eſſe: tu quoque, rogo me mutuo diligas, & par pro pari mihi in amore reddas, ſi poſtulo, quod iure booo a te impetrare debeam: cum autem in alijs quibuſdam rebus conueniat oobis ioter nos, certemus etiam in Briſegnio viro optimo, & amico fideliſſimo celebrando. Vale. Florent. XV. Kal. Iun. CIↃ IↃ LXXVII.

PETRVS

PETRVS VICTORIVS
Petro Victorio Nep. S.

LEGI libenter epiſtolam, quam villicus noſter attulit, cumque in ea nihil inuenerim, quod iure reprehendi poſſit, ad te non remitto. Quod ſcribis, te in animo habere, quod reliqui aeſtatis eſt conſumere, in legendis Horatij Carminibus, & in pangendis Lyricis verſibus te exercere magnopere laudo: ſuauis enim ingenij homines, mitiſque genus hoc carminis ſemper celebrauerunt, & qui, ſiquid aduerſi in vita accepiſſent, hac ratione ſolari ac depellere ſolerent: neque enim vita in continuis meroribus ſollicitudinibuſque traduci poteſt, & cum alijs fortaſſe rationibus animi hominum recreentur, haec vna honeſta ſemper ac certa habita eſt. Sed non ſibi ſolum rebus aduerſis preſſi hoc ſolacium mortales inuenerunt, ſed alios etiam miſeros hoc pacto conſolari conſueuerunt. Scire quoque te volo, quod priſcis temporibus lyrici poëtae moribus etiam fingendis, vitaeque inſtituendae adhibebantur, nec leues tantum ludicraſque res canebant, ſed graues etiam, & quae non minus vtilitatis quam voluptatis in ſe haberent: atque alijs praeberent: cantu enim modiſque illis non ſine cauſa veteres exiſtimabant vitam informari; atque optimis praeceptis inſtitui poſſe, quod, vt ſapientiſſimus vir teſtatus eſt, nihil tam facilè in animos teneros, atque molles influat, quam varij canendi ſoni: nam multum etiam diligentiae rectores ciuitatum olim ponendam eſſe cenſuerunt, ne antiqui muſicae artis ſeueriq; modi corrumperentur. Nam quod ad Citharoedos pertinet, Regum etiam Rex Agamemnon, cum bellum Aſiae inferre cogitaret, ſeque diu domo abfuturum eſſe videret, traditur huius ſtudij hominem vxori Clytemneſtrae; appoſuiſſe, ne in animum ipſius corruptela aliqua illecebraque libidinis illaberetur, qui quandiu apud eam manſit, caſtam illam integramque ſeruauit, nec ante potuit impurus ille ſceleratuſque Aegiſtus eam deprauare, ac pudicitiam ipſius expugnare, quam dimotus ab ea, qui cotidie ei ſancta aliqua praecepta inſtillabat, citharoedus eſt: eo autem exturbato turpibus ipſius deſiderijs aditus ſtatim patefactus eſt. Sed plura huiuſcemodi exempla facile adferri poſſent, quae tamen nunc a me relloquentur. Studio autem huic tuo inutile non erit muſicae ſtudium, cui ſuperioribus annis operam dediſti: Plutarchus enim in commentario, quem ſcripſit de muſica, docet, antiquos omnes poëtas peritos eius artis fuiſſe, eoſdemque ſuauiſſimam illam artem promouiſſe, & in honorem magnum adduxiſſe, qui verſibus componendis multum valebant, quod ſi vlli poëtae ſtudio hoc egebant, qui Lyrici ijdemque Melici vocabantur, eximiam eius ſcientiam poſſidebant: modorum enim numerorumque voluptatem coniungebant, atque ita duplici ratione auditorum animos oblectabant. Flaccus vero, qui in alijs generibus poëtarum floreret, atque inter principes ipſorum numeraretur, huius in primis honoris cupidus erat, & in chorum lyricorum poëtarum aſcribi mirificè cupiebat, quemadmodum ipſe cantilena prima ſua declarat: id autem non ſolum impetrauit, ſed principatum etiam in eos obtinuit, vt cuncti, qui de hoc iudicare poſſunt, vno ore conſentiunt. Primum autem ipſum hoc genere carminis latinam linguam exornaſſe, quod ipſemet quoque teſtatur, ac maximae gloriae ſibi ducit, apertum eſt. Pauci autem omnibus temporibus, omnibus in ſtudijs extitere, qui, cum auctores eorum inuentoreſque fuerint, ijdem perfectores quoque eſſe potuerint: quod Horatio manifeſto contigit; quo magis admirabilis eſt, ſummoque ſtudio perlegendus, & quantum fieri poteſt a te, cum lepidum hoc genus ſcribendi tentes, exprimendus. Vale.

PETRVS VICTORIVS

Nicolao Audeberto. S.

NOLLEM te tantopere benignitatem meam in te laudare, quae leuis admodum fuit, vel potius nulla: tu verius humaniter feciſti, qui de via digreſſus tunc es, vt me ſalutares, & domum meam veniſti, vt fungereris iſto amantiſſimo munere; qua tuo officio mihi multum placuiſti, ac beneuolum omni tempore reddidiſti. Sequutus eſt ſermo breuis ille quidem, ſed eruditus, & plenus ſuauitatis; quare crede mihi ſaepè in memoriam rediiſſe tempus illud, nec vnquam futurum eſſe, vt penitus obliuiſcar humanitatis tuae: è qua enim re tantam voluptatem capere poſſum, quantam merito capio è colloquio proborum, & doctorum iuuenum; quibus omni aetate mea ſeruiui, quoſque vt iuuarem, vigilijs meis plurimum laboraui. Acceſſit poſtea epiſtola tua, quae & ipſa me ornat, quaeque plane intelligitur manaſſe ex eodem ingenio tuo lepido, & memori exilium etiam in ſe collatorum commodorum. Nam quid ego dicam de egregia voluntate patris tui in me; & animo prono in honorem meum, qui ſtudia mea eleganti carmine celebrauit; eademque epiſtola ſua commendauit: quomodo igitur facere poſſum, quin totam domum veſtram diligam, ſummoque amore proſequar; quod ſane ego facio, & quacunque re potero omni tempore praeſtabo: vnum tantum modo dolet, quod non ſatis apte, quod petitis a me nunc, efficere valeo, ideſt ſcripta optimi, & doctiſſimi parentis tui cum fructu aliquo veſtro legere; neque enim tantum prudentia valeo, vt queam de alienis ſcriptis exquiſite exiſtimare, & minime fallax norma eorum eſſe; praeſtabo tamen quod potero: legam enim accurate; quod ſi iudicium non probabitis, diligentiam certè, & fidem, addo etiam, libertatem non deſiderabitis. Vale interim, & me ama.

PETRVS VICTORIVS

Nicolao Audeberto. S.

PROBVS adoleſcens, cui faſciculum ad me perferendum dediſti, functus eſt officio; epiſtolam tuam legi libenter; ipſaque vehementer delectatus ſum: eſt enim eiuſdem generis, ac ſententiae, cuius prima illa tua fuit, ideſt humaniſſima, atque omni ſuauitate condita. Laudo autem ingenium tuum, & toto animo amplector ob amorem iſtum ſingularem erga me: vellem tamen te (de quo etiam tecum in ſuperiore illa mea libere queſtus ſum) in eo temperatiorem eſſe, nec tantopere augere res meas, & officia, quae non poſſunt ſine culpa durae admodum naturae, & alienae ab ingenuis artibus omitti. Partem eam, quam ad me miſiſti poëmatis grandioris patris tui, diligenter legam, & quod petis a me, ſedulo faciam: etſi iam cognoſco, quod plane mihi ſignificauit ſpecimen illud primum, me operam conſumpturum potius in eo commendando, quam in quopiam illic, quod merito celebrari debeat, deſiderando. Vale. Florent. VII. K. Quint. CIↃ IↃ LXXVII.

PETRVS

PETRVS VICTORIVS
Nicolao Audeberto. S.

REMITTO tibi, adoleſcens optime, mihique cariſſime, partem ſuauis, & varij poëmatis, quam a me legi voluiſti: affecit autem me illa voluptate mirifica, cum eleganter, ornateque cuncta in ea ſcripta ſint, vel potius expreſſa, & ante oculos poſita; quin res omnis illa, ac materia per ſe iucunda eſt, & merito quemlibet delectare poteſt: etſi dubium non eſt, quin magis capiat animos eorum, qui aliquando ea viſerunt, & gauiſi ſunt aſpectu pulcherrimorum nobilis artis monimentorum, quod mihi quoque non ſemel contigit. Laudo vero, atque admiror ingenium, & memoriam parentis tui, qui recordatur illa, quae in ipſis in primis feruntur, & ſummo artificio a peritis confecta eſſe exiſtimantur; in ipſiſque exponendis potius aliquid venuſtatis, ac decoris adiungat, quam dotes eorum operum vllam in partem minuat: nec tamen non, vt verum fatear, magis ſuſpicio, & commendo probitatem eiuſdem, qui celebrat ingenio ſuo, atque in caelum fert vniuerſos illos, qui ſpeciem aliquam virtutis atque honeſtae artis habere putantur; in quibus ego quoque beneficio ipſius ſum: hoc enim rarius bonum, atque infrequentius hac aetate, qua inuidis, ac maleuolis hominibus omnia referta ſunt; ſed tempus non eſt nunc, ingenium & mores honeſti viri dilaudare. Cum domum redieris meo nomine ipſi gratias ages; tuque etiam me amabis, vt coepiſti facere ſponte tua, cum primum me ſalutaſti rure degentem ſuperiore anno his ipſis fere diebus; ego certe numquam obliuiſcar comitatem tuam, & amorem in me ſingularem: ſtudui autem placere tibi, explereque deſiderium tuum: voluiſti enim me exiſtimare de facultate condendi carminis tui parentis, etſi non tantum extuli ſpecimen hoc ingenij eius, quantum vere facere potuiſſem. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Gregorio XIII. Pont. Max. S.

NON primum nunc audiui egregium animum ſanctitatis tuae, voluntatemque optimam erga humaniora ſtudia, gauiſuſque magnopere ſum nuntio illo: quis enim non valde laetetur, deditus honeſtis artibus, amanſq; ex animo foetus muſarum, cum accipit graues perſonas, & quae poteſtatem ſummam in terris adeptae ſunt, fauere litteris? & operam dare, vt quantum per maiores ipſorum curas, adminiſtrationemq; proprij praeſtantis muneris, conceſſum eſt illis, producant longius ingenuas artes, opemque ipſis pereuntibus, niſi ſedulo ſubueniatur, ferant: in primis igitur ſapientia tua, Beatiſſime, hac quoq; de cauſa, Pater, laude hac digna eſt, vincitque ceteros omnes omnis ordinis, ac loci, qui has ſalutares cogitationes aliquando ſuſceperunt, laboraruntque non nihil, vt ab interitu ipſas reuocarent: relictis autem nunc alijs rationibus, ac vijs, quibus profuiſti non parum huic conſilio, quis non videt, quantum valeat ad id adiuuandum, & ad exitum perducendum, quod curaſti, vt Graecus ſermo, ille antiquus, atque eruditus, a pueris, & proprijs eius gentis, & alienigenis perdiſceretur, collegio ipſis erecto, & omnibus rebus inſtructo, atque ornato, quae requiruntur ad tam eximium opus abſoluendum: intelligebas enim, niſi ſpes tua te fruſtrata eſſet, quod vix fieri poteſt, cum tam rectè ordineque cuncta geſta ſint, futurum prorſus, vt inde prodirent homines doctiſſimi, & qui ſtudio diligentiaque ſua auxilij non parum ferrent Chriſtianae pietati, veriſque atque integris ipſius ſententijs, & decretis, & declarando alijs, quae Graeci eloquentiſſimi, & ſapientiſsimi viri, de optimo cultu Dei noſtri ſcripta reliquerunt, & monimenta eorum in Latinum ſermonem fideliter vertendo, vt a multo pluribus percipi, & cognoſci poſsint: quis enim dubitat, quin vetus illa Graecia, poſtquam inanem ſuam religionem, & maximorum errorum plenam repudiauit, totamque ſe conuertit ad purum grauemque Chriſti cultum, auctoris humanae ſalutis, ornarit plurimum acumine ingenij ſui, & incredibili facultate dicendi, cui arti prius toto animo incubuerat, in eaque ipſa ſupra ceteras omnes gentes ſe

extulerat,

extulerat, nouos ritus, & caelitus delapſam diſciplinam? Acceſſit huic optimo, ac diuiniſſimo inſtituto ſanctitatis tuae, alterum, & ipſum magna laude dignum, quodque eoſdem fructus parit, iunctumque aliquo modo eſt cum ſuperiore, quod ſcripta noſtrorum theologorum, quae adhuc in lucem non prodierant, ſed tenebris inuoluta, ſitu & earie corrumpebantur, ſiue mendoſe venibant, ſtuduit, vt diuulgarentur, & formis politioribus excuderentur, atque ita ab omni temporis iniuria periculoque extinctionis ſoluta, ac libera forent. qui plurimi varijque caſus huic nobili theſauro, relicto nobis a veteribus optimis ingenijs cum magno ipſorum ſudore, ac vigilijs infinitis impendent. Satis notum eſt, libros complures, refertos eleganti, atque vtili doctrina, inſcitia ſuperioris aetatis, miſeriaque eorum ſeculorum, ad vnum tantum exemplar olim perueniſſe; quod ſi & ipſum perijſſet, quod paenè factum fuit, fructu omni earum vigiliarum caruiſſemus: non enim opus eſt commemorare, quot damna accepta ſint a nobis, iactura penitus facta maximorum ſcriptorum: neminem enim fallit, incommodumque hoc ſaepè deploratur a cunctis mortalibus, qui omnino non ſunt auerſi ab optimis ſtudijs. quare qui remedium adhibent huic ſaeuo malo, pro viribuſque nituntur, ne huiuſcemodi aliquid contingat, infinita profecto laude digni ſunt, beneque merentur de genere hnmano: pellunt enim vacuitatem honeſtarum artium è pectoribus mortalium, nec ſinunt eò penetrare, grauiſſimum omninm malorum, ignorationem vtilium vitae noſtrae rerum: qui autem facilius poſſunt obſtruere viam huic cladi, nec pati, vt vlterius progrediatur tanta peſtis optimorum auctorum, maiore gloria digni ſunt, ſi ſedulo enixeque hoc faciunt; quod tua ſumma prudentia, diuinumque in omnibus factis conſilium, in primis moliri, atque efficere non deſinit, nec noua ſanè, atque inaudita haec cura eſt in iſta grauiſſima perſona, qnam geris: Leo enim quoque X. vt erat excelſo animo praeditus, ſtudioſuſque cunctarum rerum, quae iuuarent mortales, in Quirinali colle ſcholam Graecam conſtituit, & veteres quoſdam ſcriptores, fugientes è manibus, liberalitate ſua ad lucem vitamque retraxit, veluti etiam priorem melioremque partem prudentis grauiſque hiſtoriae auctoris Cornelij Taciti, qui hodie tanto in honore pretioque merito habetur. Sunt aliae quidem maiores dotes in vita inſtitutiſque tuis, quas non deerunt, qui ferant in caelum ſummis laudibus, quod facile vereq; facere poterunt, quemadmodum facilitas morum, integritas vitae, iuris ciuilis ſcientia ſingularis, prudeutia in adminiſtranda republica Chriſtiana, ſtudium communis pacis, ac concordiae in animis regum, ac popnlorum in fide retinendis, innocentia, clementiaqne admirabilis; quae virtus in primis conuenire videtur iſti diuiniſſimae perſonae; imitatrixq; eſt, atq; aemnla eius, vnde fluxit noſtra ſalus, ac vita: ille enim ſemper exemplo ſuo, manſuetudineque, dum manſit in terris, vitamque mortalem coluit, ſtuduit corrigere, atque emendare errata hominnm, ac culpas non minima ſeueritate, atque acerbitate ſuppliciorum. Verum haec, vt dixi, alij celebrabunt, monimentiſque litterarum tradent, ego, qui manſuetiores muſas colui, verſatuſque ſum toto animo in ſtudijs ſapientiae, partem mihi hanc commendandam ſumpſi è multis virtutibus honeſtiſque factis, quae in te lucent, ſplendoriſque ac dignitatis plena ſunt. Tanta autem eſt voluptas, quam capio, qunm audio operam dari ab opulentis fortnnatiſque hominibus huic laudi, tantoqne amore flagro iuuandi ſcripta optimorum ingeniorum, qnae relicta nobis ſnnt a veteribus, & Graecis, & Latinis hominibns, vt, niſi longa aetas obſtaret, ſenectnſque grauis me premeret, ſimulque niſi deberem praeſto eſſe omni tempore commodis, ac voluntati noſtri Magni Ducis, Principis optimi, meique amantiſſimi, qui ſtudia mea ſemper fouit, ac liberaliter in omni re me tractauit, diligentiam ſtudiumque meum oblaturus fuerim huic praeſtanti operi, quo ſemper delectatus ſum, & in quo diu me exercui non ſine fructu, vt arbitror, aliquo piorum grauiſſimorum ſcriptorum; ſed non deſunt Romae docti, & accnrati viri, qui laudi huic tuae gloriaeque ſeruient, quales plures nominare poſſem, ſi opus eſſet: quare cum omnia prompta, & parata habeas, quae requiruntur in tam praeclaro mnnere obeundo, perge tueri, ornareque honeſtas artes, & qua vna ratione id fieri maxime poteſt, in vita luceque retine veteres bonos anctores, qui tota vita ſua laborarnnt, vigilijſqne plurimis conflictati ſunt, vt poſteris prodeſſent; moreſque eorum, & ingenia expolirent.

Florent. K. Nouemb. CIƆ IƆ LXXVII.

PETRVS VICTORIVS Leonardo Bruno. S.

ACcepi nudiustertius litteras tuas amoris, & ſuauitatis plenas, quae mihi valde iucundae fuerunt: quomodo enim ipſis laetari non debui, ac ſingularem inde voluptatem capere? cum videam probum, ac doctum virum, me tantopere diligere, & carum habere, nullis meis officijs prouocatum, ſed tantum leui fama, ſiue, vt tu vis, mediocri, meorum in ſtudijs bonarum artium, laborum; fuerunt illi quidem magni, & graues, diuq; me ſollicitum habuerunt; ſed tamē non paruum mihi fructum tuliſſent, ſi multi tui ſimiles inuenirentur: contra enim bona pars eorum, qui iiſdem ſtudijs tenentur, ſolent potius inuidere hominibus aliquam laudem ex eodem fonte haurientibus, & ipſos tamquam aemulos inſectari, quod multis exemplis verum eſſe cotidie perſpicitur, & a vetere Graeco poëta ſapienter praedicatur; vnde tua virtus, & rara probitas maior eſt, qui tantopere te ab his moribus, & praua conſuetudine remouiſti. Amo igitur te, & fero in oculis, non tantum quia me laudaris, etſi id non parui duco, ſed quia tali ingenio te praeditum video: quare puta, me tibi amicum eſſe, & cupere quacunque re poſſum tibi gratificari. In epiſtola etiam tua illud libenter legi, quod multa commemoras de honeſta vita, & inſtitutis optimis Angeli Martij, ciuis noſtri, quem omnis iſta ora ἐπίσκοπον habet; auctorem que ac magiſtrum verae Chriſtianae pietatis; nec tamen id vllam in partem miratus ſum: ſemper enim talem eum cognoui; ideoque in amicis, & caris admodum, iucundiſque mihi hominibus habui. Vale. Florent. XVII. Kal. Febr. CIↃ IↃ LXXVII.

PETRVS VICTORIVS Antonio Bruno. S.

NVmquam mihi dubium fuit, quin Angelus Martius, praefectus moribus regionis iſtius, me valde diligeret, & memoriam mei quamuis abſens firmam in animo ſuo retineret: perſpexi autem nunc id maxime, poſtquam tanto locorum interuallo a me ſeiunctus, & non paruo quoque temporis ſpatio iam praeterito, recordatur tamen conſuetudinem noſtram, neque hoc tantum beneuole, atque amanter facit, verum etiam, quod & ipſum proprium eſt fidelis, ac verae amicitiae, ſtudet mihi parare amicos, eius generis homines, quibus ego plurimum delector, ideſt probos, & diſertos, & qui toto animo colant ſtudia litterarum: hoc enim ego ſemper magnum eſſe lucrum putaui, &, vt id potiſſimum conſequerer, tantopere longa hac mea vita laboraui. Putato igitur, te mihi carum eſſe, qui opera ipſius mihi cognitus es, & teſtimonio etiam graui laudatus; ſimulque exiſtima, me numquam ab honore, & commodis tuis alienum futurum, ſi forte tempus aliquod venerit, quo tibi vtilis aliqua in re eſſe poſſim. Cumque apud auctorem amicitiae noſtrae viuas, ſacerdotem optimum, & virum omni laude digniſſimum, fruere pro me familiaritate ipſius, & ſuauiſſimis ſermonibus. Vale. Florent. IIII. Id. Febr. CIↃ IↃ LXXVII.

PETRVS

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Alciato Card. S.

FVIT mihi iampridem, ſermone multorum, cognita grauis ac varia eruditio tua, nec non ſingularis quaedam in rebus agendis induſtria: quare te amabam, & tacitus mecum tantam ingenij vim magnitudinemque admirabar; laetatus poſtea ſum vehementer, quum audiui amplum dignitatis gradum virtutibus tuis datum eſſe, in quo magis ipſae & eluccrent, & alios etiam ad te, quantum per ipſos fieri poſſet, imitandum excitarent. Te vero talem euaſiſſe, & tam honeſtum tibi locum in iſta celebri vrbe, reginaque aliarum, paraſſe, non eſt ſane admirabile: ſemper enim Romae honorem debitum conſecutum eſt, ac dignitatem non paruam honeſtarum artium ſtudium: iuuit etiam te, muniuitque tibi viam ad amplitudinem iſtam adipiſcendam, laus & commendatio Andreae Alciati gentilis tui, clariſſimi iuriſconſulti, & qui ceteros omnes aetatis noſtrae in eo genere ſcientiae ſuperauit, cuius tu domi vixiſti, & cui, tamquam vnicus filius, carus, iucundusque fuiſti: illum autem ornaſſe, & recondita optimarum aliarum artium cognitione perpoliſſe legum doctrinam, ſatis notum cuique, atque exploratum eſt. Iis igitur omnibus de cauſis te diu ſuſpexi; ad eundemque te, tamquam lumen quoddam clarum huius ſeculi, oculos mentemque conuerti, quem nunc abſens epiſtola hac mea ſaluto, cupioque incolumem diu eſſe, omnique laude florere: etſi aliquid honoris amplitudini iſti, cumuloque magnarum virtutum accedere poteſt, opto te ipſum, vt merita tua poſtulant, facile impetrare. Cum vero ad plures tui ordinis, atque loci, optimos & honeſtiſſimos viros, litteras ſcripſerim, volui quoque volumen epiſtolarum mearum, quod cogito diuulgare, gloria tui nominis illuſtrari. Vale. Florent. K. Mart. CIↃ IↃ LXXVII.

PETRVS VICTORIVS
Nicolao Card. Senonenſi. S.

ANGELVS Gemmarius, familiaris tuus, amicuſque meus vetus, omni hoc tempore, quo, vt domeſtica quaedam negotia curaret, a te afuit, ſaepe mecum locutus eſt: dilexi enim ſemper ipſum, vt probum iuuenem, & multis magniſque ingenij dotibus praeditum: in multis autem alijs ſermonibus, quos inter nos habuimus, de praeterita noſtra conſuetudine, communibuſque ſtudijs, multa mihi narrauit de ſcientia tua optimarum artium, admirabilique cognitione iuris ciuilis, ac diuini; quae mihi tamen noua, & inaudita penitus non fuere: audieram enim multo antea commendari magnopere a pluribus eruditionem tuam, & variam & reconditam, quod facilius mihi perſuadebant, quia praedicatur vulgo tua memoria, quae fida cuſtos eſt rerum omnium, quas aliquis vmquam aut vidit, aut legit. haec igitur animi tui bona, renouata modo in me, ſtudio atq; opera huius optimi iuuenis, vt omittam ſanctitaté vitae integram, & inuiolatam Chriſtianam pietatem prudentiamque ſingularem, ſumma cum laude verſatam in rep. adminiſtranda Romae foriſque, & ipſas vno omnium ore decantatas, aliaſque plures virtutes, elucentes in te, incenderunt me vehementer, genueruntque mirificum quendam amorem in pectore meo erga amplitudinem tuam: quis enim non ſumma beneuolentia proſequatur aceruum tot diuiniſſimorum bonorum, in animo mortalis hominis collocatorum, ſuſpiciatque valde poſſeſſorem eorum, atque admiretur tamquam de caelo delapſum? cuius certe animi, & modo ſum, & ſemper ero, dum viuam erga te, & dignitatem tuam: cum vero praeſenti mihi non liceat ob longam aetatem ipſis frui, explebo ſitim hanc meam cogitatione ipſarum, & frequenti apud amicos earundem commemoratione. Vale. Florent. XI. K. Apr. CIↃ IↃ LXXVII.

PETRVS VICTORIVS Gabrieli Paleotto Card. S.

SIGNIFICAVIT mihi peramanter Albertus Bologhettus, qui apud Principem noſtrum Pontificij nuntij perſonam ſuſtinet, te de vita, moribuſque meis bene ſentire, ac loqui; mediocremque meam eruditionem libenter praedicare; quo nuntio, illuſtrique teſtimonio tanti viri, ſi me non valde gauiſum eſſe dicerem, mentirer: etſi enim me ipſum non fallit, qui ſim; naturaque me puto non omnino cupidum eſſe inanis falſaeque gloriae, tamen, vt homo, delector non parum, quum audio exiſtimationem meam caram, acceptamque eſſe honeſtis viris, & communi omnium ſermone celebratis; idque vt adipiſcerer, vehementer omni mea vita laboraui. Ago igitur amplitudini tuae gratias immortales; eritque hoc mihi tuum, quaſi praeconium quoddam nobile, ſtimulus non paruus ad virtutem acrius colendam; vireſque ingenij, ſi vllae in me ſunt, exercendas: quamuis enim admodum ſenex iam ſim (prope enim accedo ad LXXX. annum) tamen non ita me grauis haec aetas premit, vt penitus corpore defecerim, muſiſque nuntium remiſerim. Quod autem maius beneficium aliquis accipere poteſt, quam accendi ad dignitatem perſequendam? & in quo graues, ſapienteſque viri officio honeſtius verſantur, quam in mortalibus auctoritate conſilioque ſuo iuuandis? Potui etiam antea proſpicere comitatem tuam; promptumque animum ad eos etiam amore complectendos, quos numquam vidiſſes, cognito ingenio inſtitutiſque huius propinqui tui, qui non ſolum ſanguine tecum coniunctus eſt, verum etiam preſſit tuae vitae veſtigia, curſumque eundem honeſtiſſimum ſecutus, laudem inde multam inuenit, & amicos plurimos ſibi parauit: hi namque omnes eum tamquam effigiem animi virtutiſque tuae attenderunt; quod ipſum ſaepe commemorantem, & gloriae ſibi ducentem audiui. Ille namque, cum primum huc ſe contulit, inuitauit me beneuole ad familiaritatem ſuam, quam ipſius benignitatem non repudiaui; etſi durior non nihil ſum ad haec officia tuenda; ſiue triſtitia quadam naturae, ſiue vitae, atque aetatis vitio: cepit me tamen ipſe breui, ita ſuauitate ingenij ſui, & morum integritate; nec non ſcientia multarum, honeſtarumque rerum, vt doleam, quum mihi propter ipſius graues, meaſque non paruas occupationes, frui hominis doctiſſimis, iucundiſſimiſque ſermonibus non licet; cuius animi erga dignitatem ipſius non ſolum ego ſum, ſed etiam tota mea domus: eſt enim mihi filius & nepos, qui flagrant deſiderio placendi ipſi: in primis autem nepos, deditus iiſdem ſtudijs, &, niſi ego valde fallor, non paruae expectationis iuuenis; ſed quid dico mea domus? vniuerſa ciuitas ſuſpicit Albertum tuum, & in oculis fert, ac merito quidem ijs de cauſis, quae ſupra a me vere, fideliterque tactae ſunt; quod teſtari volui, vt ſciret amplitudo tua, quae ipſum aliquo modo aluit, atque inſtituit, manere hodie apud nos imaginem tuae ſummae virtutis, & rarae hac aetate innocentiae; ex eaque me capere fructus vberrimos, ac ſuauiſſimos. Tibi vero, Cardinalis optime, non paruum decus tui ſplendidiſſimi ordinis, qui ipſum ſtudio, atque exemplo tui finxiſti, atque omni genere virtutis expoliſti, vt idem repetam, ſperans non ingratum tibi futurum, gratulor: bene namque operam tuam poſuiſti, habeſque, quod magnopere laetere; cui etiam opto eximium, beatiſſimumque finem laborum tantorum, quos ſuſcepiſti olim ob laudem dignitatemque Chriſtianae Reipublicae; in ipſiſque perpetuo cum maxima omnium approbatione permanſiſti. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Gabrieli Paleotto Card. S.

PERSPAXI in hoc qooque humanitatem tuam ſingularem, Cardinalis optime, qoi maodaris Petro Toſſiniano, vt, cum primum ad nos ſe contuliſſet, me tuo nomine ſalutaret, quod ille fecit diligenter; multaq; mihi narrauit de amore tuo non mediocri erga me, quae me laetitia perfuderunt: cur euim non vehementer gaudeam, intelligens, me carum eſſe ampliſſimo viro, & omni genere laudis, & honoris florentiſſimo; atque id, quod ego in vit plurimi facio, nullo meo officio, nullo merito conſecutum? Ago igitur amplitudini tuae gratias immortales, ac memor ero, dum viuam, hoius beneuolentiae tuae, quam multis modis oſtendiſti erga me. Toſſioianus autem tuus functus eſt egregie munere ſuo, nec deſideratum in eo quippiam eſt, quod expectati poſſet a bono oratore, profuitque magnopere, doctrina ſua, atque admirabili ſuauitate dicendi, moribus ciuitatis, incendens animos multitudinis ad dignitatem, & ad virtutem toto pectore colendam, noſtramque inſtitutionem, ac pietatem ſine vlla labe cuſtodiendam, docens etiam, & quaſi ante oculos ponens, quanta ſit defotmitas vitiorum, ſtuduit in odium adducere turpem, & foedis maculis inquinatam vitam: nam doctis quoque mirifice placuit, reconditas philoſophiae quaeſtiones, ac perdifficiles accommodans, magnitudine ingenij, atque arte, pietati Chriſtianae: quare omnibus iure valde probatus fuit, quod ſignificabat multitudo auditorum tanta, vt eam ampla aedes, vel potius vaſta vix caperet. Hoc volui tibi ootum eſſe, vt ſcires, hoc quoque teſtimonio meo de virtute ipſius, te non ſine cauſa hominem amare, atque in oculis ferre. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Matthaeo Toſcano. S.

QVID primom in te laodem, vir optime, & maxima qoaque laude digniſſime? facultatemne ſingularem pangendi varij, atque eruditi carminis, ſiue candorem, elegantiamque verborum, & acumen ſententiarum, ſiue ſtudium a te poſitum in honeſtorum hominum vita, monimentiſq; inueſtigandis, qui tam longo temporis ſpatio floruerint, ſen potius, his relictis, animum tuum, non ſolum ab omni liuore, atq; inuidia vacuum, verum etiam pronum mirnm in modum in aliorum laudes, ac natorae dotes celebrandas, hoc mihi certè vehementer placuit, animumque meum in primis cepit, ac non ſine cauſa quidem, quo rarius eſt, ac paenè hac aetate nouum, atque inuſitatum: declarat autem probitatem tuam, voluntatemq; egregiam virtutem illuſtrandi, quod non viros tantum noſtrae huios aetatis, aut propinquae etiam nobis commendaſti, ipſorumque ſtudia ad caelum laudibus extuliſti, ſed etiam valde longinquae, interualloqoe plurium ſeculorum a noſtra remotae. praeterea idem ſignificare nemo negabit, quod collegiſti non tantum tuos, vicinoſqoe patriae homioes, quos oroares, quorumque memoriam extingui non ſineres, ſed vniuerſae Italiae, amplae telluris, matriſque, atque altricis omni tempore multorum, & magnorom ingeniorum. debet igitur tibi magnopere haec tellus, nec tantum beneficium, io ſe a te collatum, obliuiſci vmquam debebit, ſi compenſare, ac par tibi pro pari reddere non poterit. ego certe, qui exilis, & puſilla pars ipſius ſum, tibi, ac benignitati tuae obligâtus perpetuo ero, & quia non video, quomodo valeam, quod accepi, eadem menſura reddere, vt oporteret, ne ingratus peoitus, immemorq; ingentis honoris, mihi tributi, merito habear, laborabo; quam colpam ſemper reformidaui, & depellere a me ſomma ope cooatus ſum. Vale. XVII. Kal. Sextil. CIↃ IↃ LXXVIII.

PETRVS VICTORIVS
Gabrieli Paleotto Card. S.

CVM iſtuc modo veniat Dominicus Bonſius, gener meus, clari nominis iuriſconſultus, idemque valde gratus, & acceptus Magno noſtro Duci, cuius fideli opera, ſtrenuaque multis ſuis in rebus vtitur, nolui committere, quin hanc egregiam occaſionem ſcribendi ad amplitudinem tuam, teque ſalutandi per litteras nactus, eam arriperem, praeſertim cum ipſe quoque non paruo deſiderio huius rei teneretur, vt qui inſignis virtutis viros, & incredibilis grauitatis, qualis profecto tu es, & ab omnibus conſtanti fama eſſe iudicaris, toto animo colat, ac veneretur: gratum igitur mihi facies, ſi comiter hominem acceperis; atque eum, per ſe dignum tua beneuolentia, & familiaritate, & meo quoque nomine non mediocriter commendatum, recipies libenter inter tuos hoc mihi nihil magis gratum hoc tempore, magiſque iucundum dignitas tua, ſummuſq; amor erga me, quem ego multis modis plane perſpexi, facere poteſt, Vale, Florent. Id. Sext. CIϽ IϽ LXXVIII.

PETRI VICTORII EPISTOLARVM

Liber Nonus.

PETRVS VICTORIVS Alberto Bologneto. S.

NON facile reſponderim, ſiquis me roget, voluptatis ne plus, an moleſtiae acceperim è re, quam mihi modo Franciſcus nepos meus, nuntiauit, mandatum eſſe amplitudini tuae a ſummo Pontifice, vt te Venetias conferres; atque illic eodem iſto munere, quo apud noſtrum Magnum Ducem, magna cum laude gloriaque functus es, fungerere: non potui enim non magnopere laetari honore tuo, quem amo & obſeruo; & cuius dignitatem multis modis augeri a ſanctiſſimo, ſapientiſſimoque Principe, qui non temere extollit, quos ornare in animum inducit, libenter audio: idem tamen, quum cogito, te a nobis afuturum, priuarique ciuitatem noſtram prudentia tua, ac iuſtitia, ſed etiam exemplo quodam claro ſingularis innocentiae, ac caſtitatis, non poſſum non valde dolere: nam proprium etiam incommodum, damnumque, quod facturus ſum ex abſentia tua, quomodo poteſt mihi non vehementer diſplicere? inuitaueras enim me in familiaritatem tuam, conſuetudineque noſtra, cum tibi per negotia multa, magnaque, licebat, non parum delectari videbaris: è ſermone vero tuo ego, ſuauitatis & amoris pleno, non mediocrem fructum capiebam: memini enim te, quod numquam ex animo dimittam, non ſemel accurate me conſolatum eſſe, doloremque meum lenire conatum, quem iuſtum accepi ex graui iactura, quae domui meae facta eſt, in quo etiam vſus fuiſti argumentis, quae perſonae tuae, atque inſtitutioni noſtrae Chriſtianae conueniebant: neque enim aliter videtur tam graui malo medicina fieri poſſe. Praeterea laetitiam, ſaepe a me captam, recordor è doctis ac iucundis ſermonibus tuis, quum aliquid inter nos conferebamus, acceptum è memoria vetere; ſiue ex honeſta aliqua arte, humanioribuſque litteris: [illegible], vt grauiore doctrina, ita quoque politiore hac non mediocriter imbutus fuiſti ineunte aetate: haec igitur omnia, quibus uidebam, me ſpoliatum iri, ſtatim me valde perturbarunt, &, quum in mentem redeunt, ſollicitum anxiumque habent. Poteſt igitur amplitudo tua plane intelligere verum eſſe, quod initio huius epiſtolae dixi, me non facile ſtatuere mecum poſſe, gaudeam ne plus, an doleam: vnum autem, poſtquam omnia ſubtiliter mecum mente verſo, remedium inuenio huius ingentis aegritudinis; etſi leue illud tenueque eſt, ſi conferatur cum iactura, quam inde facio: eſt autem hoc, ſcribere ad te ſaepe, & bono litterarum vti in ſedando extenuandoque malo, quod me

premit, atque affligit ob diſceſſum a nobis tuae dignitatis: vtar igitur eo crebro, & quum iudicabo non moleſtum tibi officium hoc meum futurum; nec aliquid impedimenti tuis honeſtis grauibuſque curis allaturum, quibus morae taedijque aliquid adiungere, omnibus temporibus, ac locis, nullo pacto debeo: & ab hac culpa me ſemper, quantum potero, abſtinebo. Vale, Ex agro meo Decimano X, V I I. K. Octob. CIↃ IↃ LXXVIII.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Cicercio. S.

LITTERAE tuae, vir optime, amoris erga me tui pleniſſimae fuerunt mihi valde gratae; etſi enim ego merito laudo in hominibus claris ingenium & ſcientiam bonarum artium, magis tamen probo, & admiror humanitatem, & morum probitatem; illos vero, in quibus cum vitae honeſtate doctrina eximia coniuncta eſt, & honoro, & colo, quod in te factum eſſe, videor mihi indicia huius rei non obſcura ſecutus, perſpexiſſe, & plane cognoſſe. Quomodo igitur poſſum voluntati tuae ſatisfacere, atque vnum id, quod me diligenter, ac pluribus verbis rogaſti, efficere, & ſine magna mea culpa moliri, intelligo, quod petijſti a me ſedulo, ne curam vllam tibi, tuaeque politiſſimae epiſtolae reſpondendi, ſuſciperem: debemus enim poſtulare ab amicis ea, quae concedere queunt abſque pudore, & macula vlla, &, quum oſtendere volumus, non eſſe nos vitio alicui affines, non cogere illos facere, vnde iure bono reprehendi poſſent: arguiſſet certe iſtud ſuperbiam inſignem; ſed puta, me in hoc locatum eſſe: non enim is tu es, qui contra certa, atq; explorata amicitiae praecepta pecces. Non poſſum autem exiſtimare, tibi non aliquam in partem placuiſſe, quoniam id tantopere affirmas homo ingenuus, labores meos, ac vigilias poſitas in monimentis veterum ſcriptorum perpoliendis, & ſtudijs honeſtarum artium perſequendis; vereor potius, ne, cum facile me primum amare coeperis ob naturam tuam, ac virtutem deceptus amore, in errorem poſtea tractus fueris, pluſque mihi tribueris, quam vere facere poſſes; vel potius arbitror, Ioannem Tonſium, virum ob plurimas animi ſui dotes ab omnibus amandum, qui me vehementer diligit, pluſquam veritas patitur, me tibi laudaſſe. Quomodocunque autem ſe res habeat, ſum tibi, & animo iſti tuo egregio in me pluſimum obligatus: teſtes vero, quos citaſti ipſius graues, & honeſtos homines, claraque lumina iſtius nobiliſſimae ciuitatis, non erant admodum neceſſarij: litterae enim tuae declarabant illũ, & mihi ante oculos ponebant. Non fuit tamen mihi non valde gratum, nomen meum celebratum fuiſſe apud tales viros. Tu autem perge me amare, &, ſiquid hic tua cauſa poſſum, audacter impera: dabo enim operã omni meo ſtudio, ac diligentia, vt ſeruiã honori, & vtilitatibus tuis. Vale. Ex agro meo Decimano prid. Non. Nou. CIↃ IↃ LXXVIII.

PETRVS VICTORIVS
Angelo Guicciardinio, S.

ACCEPI litteras tuas, amoris erga me, & ſapientiae plenas, quibus das operam, vt grauem iuſtumque dolorem meum conſoleris. Laudo igitur officium hoc tuum, nec miror te tam pio munere functum eſſe: cognoui enim, te ſemper me vehementer dilexiſſe, & incommodis angoribuſque meis, non minus, quam me ipſum doluiſſe: non primũ enim nunc in tam longa vita te quapiam aduerſa conflictatus ſum, impetumq; in me fortunae ſenſi: etſi, qui modo me oppreſſit caſus, ſuperat omnem praeteritam acerbitatem, praeſertim eum, nullam in partẽ adhuc ſanato vicino malo, ipſi illi odioſo additus ſit: ijs autem temporibus omnibus tu praeſto fuiſti; nec verbis tantum, beneuolaque oratione aegritudinem meam leuare conatus es, verum etiam re, factiſque, vt verus amicus, opitulatus es; idem etiam modo ſperatem, te facturum, ſi remedium huic ſaeuo, atrocique malo adhiberi poſſet; quicquid certe opis adferri ipſi licuit, ſedulo amanterque ei praebuiſti, hoc eſt, admonuiſti me humanae, condicionis, atque noſtrae imbecillitatis, nec male omnino cum hoc optimo adoleſcente actum eſſe ſignificaſti, qui ex his fluctibus vitae, periculiſque atrocioris alicuius procellae ereptus ſit, & in ſedem aeternam, vacuamq; ab omni metu & incommodo, vt non ſine cauſa ſperari poteſt, tamquam in tutum portum inuectus: haec profecto ſolacia certa ſunt Chriſtiano homini, & qui vera pietate imbutus ſit, ſpemq;

omnem

omnem ſuam collocarit, non in bonis huius breuis, & expoſitae cotidianis malis vitae, ſed perpetuae, atque ab omni iniuria, lapſioneque vacuae ac ſolutae. Qui igitur hoc ſibi propo nit, cogitatque ſolum, quod illi ipſi euenerit, carae admodum perſonae, cuius mortẽ lugeo; non dubium eſt, quin aequo animo ferre debeat deſiderium obitumque ſuorum: videndum tamen eſt, ne hoc facere, ſit aliquo modo naturam accuſare, quae in vitam nos producat, nec ſinat poſtea fructum aliquem ipſius deguſtare, praeterquam quod, cũ homines nati ſimus, nec valemus penitus nos proprio naturalique amore ſpoliare, atque animum a noſtris vtilitatibus, gaudijſque auocare: quare videntur non poſſe nobis non moleſti valde eſſe interitus eorum, vnde voluptatem non paruam, vtilitatemque nos percepturos eſſe aliquando confidebamus, quae ſaltem compenſaret labores, quos in ipſis alendis, inſtituendiſq; multos magnoſque neceſſario ſuſtinuimus: cum vero nobis abſtractus eſt is, quem putabamus honorem, dignitatemque noſtrae familiae auctũrum, quomodo non cruciari, ſentireque ex ea re moleſtiam maximam poſſumus? quod mihi pollicitus eram, non ſtulte (vt opinor) futurum de nepote meo, cum ingenio magno praeditus eſſet, apparerentq; in eo iam ſigna non dubia ſummae virtutis. Accedebat his, a natura profectis, bonis, eruditio nõ mediocris, vt in illa aetate: ſtudueram enim magnopere ipſi expoliendo, tantumque iam profecerat in humanioribus litteris, vt Ariſtoteleae doctrinae, reconditaeq; omni ſcientiae hauriendae par, idoneuſque foret: mores vero eius, ac pudicitiam, quid opus eſt me commemorare? cum affirmare audeam, quod rarum eſt in ea aetate, & his temporibus, integrum eum, caſtumque ad annum XVII. & dimidiatum alterum perueniſſe: verum haec repetita, in animoq; meo renouata, contraria iuuãt conſilio tuo, eique, quod a me diligenter petis, & expectas, quare melius illud eſſe, atque oportere a me fieri, mihi perſuadere conabor praeſertim cum te ſuaſorem auctoremque habeam huius ſententiae, reliquum eſt vitae, conſumere in noſtris adoleſcentibus iuuandis ſtudio meo: in primis autem exemplõ vitae, atque omni honeſtate; in quo & liberi tui, & gener Laurentius Strozza, aſſiduus auditor meus, ortus ex ingenioſo patre, Ioanne Baptiſta Strozza, nec minus ipſe ingenio valens, primum locum obtinebunt, quos omnes Deus velit, vt fortunatiores ſint, quam ſodalis ipſorum, nepos meus extitit; magiſque ſecundum exitum laborum, ſtudiorumque ſuorum adipiſcantur. Vale. Ex agro meo Decimano. VI. Id. Nouemb. CIↃ IↃ LXXVIII.

PETRVS VICTORIVS
Iacobo Boncompagnio. S.

MAGNAM ego cepi ſuperiore anno voluptatem ex aduentu tuo, Iacobe vir illuſtriſſime, atq; optime, quum te huc contuliſti, vt pio munere fungerere, ornareſque praeſentia tua ſacra initia Principis infantis: cognoui enim ſubito, verum eſſe, quod ſaepe a bonis auctoribus audiueram, te ſingulari humanitate praeditum eſſe, eundemque liberali omni doctrina, & quae perſonae iſti, quam geris, plenam dignitatis, conueniat, perpolitum: nam quantum mihi tribueris in omni ſermone, quantoque me amore proſecutus fueris non facile poſſem commemorare, numquam certe obliuiſcar propenſionem iſtam animi tui erga me, vt non nulla etiam; quae declarabant ſuauem tuã multarum rerum, & dignam quolibet honeſto viro ſcientiam; in quibus etiam fuit, vt alia maiora omittam, quod cum ſermo in menſa regia incidiſſet, in qua & plures alij graues honeſtique Principes ſedebant; illaeque etiam ſumma virtute ornatus, nec minus ingenio moribuſq; quàm nobilitate & ſplendore ſui ſanguinis decoratus, Cardinalis Sfortia, de celebri admodum apud veteres Graecos, & Romanos homines arbore, quae platanus hodie quoq; vocatur, nec defuiſſet, qui aliquo modo ipſam deſpiceret; quia pilulae, quas gignit, fructum nullum ferunt, & materies etiam ipſa ne inteſtino quidem vlli operi idonea eſt, narraſti, qui honos ipſi quondam a Xerxe habitus eſſet, citato teſte huius hiſtoriae Herodoto, quando Rex hic Perſarum cum ingentibus illis copijs, & paenè vniuerſa Aſia in Graeciam venit, tellurem eam ſubacturus: cum enim in itinere eam inueniſſet, delectatus mirum in modum amplitudine ipſius, ac ſpecie, repente eam amauit, manſitque ſub ipſius vmbra ſpatio non paruo temporis, ac donauit eam cunctis ijs muneribus, quibus iuuenes amores, ac delicias ſuas ornare conſueuerunt, relicto quoq; illi cuſtode; inde abiens, grato ipſi, atq; accepto homine, ne auro illo, monilibuſq; ſpoliaretur; nec ſolum placuiſſe tanto regi, dum aſpexit, formam ipſius, retuliſti, ſed addidiſti etiam curaſſe eum, cum in regnum ex infelici illo bello reuerſus eſt, vt è ſolido auro effigies ipſius, ſimulachrumq; fabricaretur, ita animo eius haeſerat pulchritudo huius arboris; id quod poſtea praedicare ſolebant, qui diuitias, & opes magni regis amplificabant, & in caelum inſolenter tantam copiam bonorum ferebant,

bant, quam tamen iactationem verborum, & inanem gloriam confutauit poſtea acuta, lepidaque voce Athenienſis ciuis, qui, miſſus eo legatus, cum domum redijt, aperiens, quod contra famam apud eum regem vidiſſet, dixit in alijs multis, quae falſo ferrentur, plataniſtum illam auream vix tantam eſſe, vt vmbra ſua cicadam tegere poſſet: hoc ego recordor, te illi tempori, ac loco ſatis accommodatum tunc edidiſſe, cum ſit vnum eorum, quae φιλόλογα vocantur, congruuntque conuiuijs opulentorum hominum, ac colloquijs eruditarum perſonarum: grauiſſimi enim ſcriptoris Plutarchi, I X. libri referti varia, ac polita doctrina, qui συμποσιακῶν nomine appellantur, pleni ſunt huiuſcemodi diſputationum: nam difficilea, & obſcurae quaeſtiones in epulis, atque inter ſcyphos minime locum habent. Gauiſus igitur tunc ego ſum, quum audiui, te, maxime nobilem & illuſtrem virum valde nobilis, & clarae ſtirpis patrocinium ſuſcepiſſe: ideoque memoria hoc repetiui, & tecum agere de ipſo epiſtola hac mea volui, vt qui alienus ab eius honore numquam fuerim, quippe cum laudi quoque huius noſtrae terrae, caelique dederim, quod in ea ſponte ſua naſcantur platani: atque hoc etiam memoriae litterarum mandarim; cum veteres cuncti auctores prorſus illam peregrinam eſſe, & non ſolum in Etruria non reperiri, niſi ſatam, & aliunde tranſportatam, verum etiam in tota Italia voluerint. Sed Aeſchylus etiam tragicus poëta magnus, idemque philoſophus, vt hoc quoque non reticeam, commendauit noſtram Etruriam, vt copia medicamentorum rerumque omnium, quae oriuntur è terra, florentem. Potuiſſem alia non nulla adiungere, quae non parum valent ad honorem platanorum ſignificandum, ſed contenta illa debet eſſe praeclaro tuo, & illuſtri teſtimonio. Quin etiam merito veritus ſum, ne contra dignitatem tuam facerem, dum dignitati huius arboris vndique ſeruire ſtudeo, praeſertim cum eorum nihil te fallat, & plurimum in multo maioribus curis, publiciſque negotijs hoc tempore occupatus ſis. Vale. Florent. XIII. Kal. Januar. CIↃ IↃ LXXVIII.

PETRVS VICTORIVS

Ludouico Caſtaneo Rupipozaeo. S.

NOSTRI, maxime illuſtris, & omni liberali doctrina erudite orator, quod litteris proditum fuit a M. Cicerone de Themiſtocle, ſapiente, ac forti viro, reſpondiſſe eum, cum quidam ipſi pollicitus eſſet, ſe artem ei memoriae traditurum, obliuiſci ſe malle diſcere; quae ſane vox egregia eſt, & ſummo hoc homine digna, recteque feciſſet, quicunque litteris mandaſſet, ne prudentiae plena ſententia vetuſtate interiret. Laudo igitur Ciceronem, qui in illuſtri loco ipſam collocauit: nam Plutarchus, qui vitam eius diligenter ſcripſit, in alijs pluribus eius ἀποφθέγμασιν, hanc non commemorauit: non tamen, cum de ipſa ſaepè mecum accurate cogitarim, probo declarationem ipſius, qui putauit hoc a Themiſtocle dictum eſſe, quod haerebant in memoria, quaecunque audierat, aut viderat: etſi namque hoc praeſtare potuit, vt nouum illud artificium deſpiceret, cùm minime ipſo egeret, nihil tamen valebat ad acrem cupiditatem, ſitimque explendam, quae in animo Themiſtoclis vigebat, eijciendi inde, quod tunc moleſtum erat, ac dolorem ingentem homini inurebat. Arbitror igitur (vt libere, quod ſentio, loquar) hoc ſummum illum virum ſignificare voluiſſe, ſe valde omni mortali obligatum futurum, qui rationem ipſi, viamque monſtraſſet, qua penitus obliteraret cuncta, quae non ſine dolore in memoria inſiderent, praeſertim cum feratur Themiſtocles in adoleſcentia culpas non paruas admiſiſſe, famaque ipſius eo tempore, quaſi ad metas haeſerit; quod poſtea ipſe quoque confeſſus eſt; & ſimili, ad rem declarandam ſatis accommodato, purgare conatus eſt; & ſane eiſtimo ego, paucos mortales inueniri, qui vacui penitus fuerint ab omni labe, ac vitio in lubrica illa aetate, & cui voluptas corporis libidoque dominatur, quae imperium ſuum, durum atque iniuſtum, exercet aliquando etiam in graues, & moderatos viros. Cum igitur mecum multum iam de hoc quaeſiuerim, expecto modo de ipſo iudicium tuũ, teque iudicem huius quaeſtionis ſtatuo, quem ob exquiſitam honeſtarum artium ſcientiam, magnumque vſum rerum, ſpero facile cogniturum, an verum ego in hac re attigerim; ſiue contra lapſus opinione fuerim, valdeque peccarim, qui temere a tanti viri auctoritate diſcedere auſus ſim. Vale. Florent. VI. Kal. Ian. CIↃ IↃ LXXVIII.

PETRVS VICTORIVS
. . . . . S.

LEGI libenter, quod mihi narraſti de ſtudio poſito a Ioanne . . . . in declarandis tribus Ariſtotelis libris de arte dicendi; vigilijſque ipſius docti, & diligentis viri editis; putoque iudicium tuum ſecutus: neque enim antea quicquam de his vigilijs ipſius acceperam, cum non parum lucis huic operi attuliſſe; neque tamen ego conſilium meum muto, pergamque efficere, quod tibi ſignificaui, atque id iiſdem de cauſis, quas tunc tibi expoſui: exiſtimarunt enim multi merito deſiderari potuiſſe in primo illo labore meo, quod nunc moliri aggreſſus ſum, oportuiſſeque me vertere in Latinum ſermonem, ordine ipſarum ſeruato, fideliter cunctas ſententias auctoris, quod ego mihi aliquo modo videbar praeſtitiſſe; profectoque, qui accurate legent, leuiter etiam cognita Graeca lingua, nullo negotio intelligent, me hoc ſatis commode effeciſſe; ſed tamen, quia quidam exiſtunt, quibus hoc non ſatis eſt, ſtatui voluntati eorum ſatisfacere; & haec cauſa fuit repetendi eundem laborem: neque enim cogitaui vnquam aduerſari ſcriptis alicuius, adipiſcique laudem ex aliorum erratis, cum pepercerim etiam illis, qui me improbe laeſerunt. Sed de hoc ſatis ſuperque: confido enim tibi mores, conſuetudinemque in hoc meam probatam eſſe. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Mariae Vrbinatium Duci. S.

LAVDAT Xenophon Ageſilaum, illum Regem Spartiatarum, vt multis alijs nominibus, ita quoque hoc, quod contra iudicium, inſtitutumque plurimorum, vrbem eam vere munitam eſſe, nec poſſe capi ab hoſtibus arbitrabatur, quam, ij, qui regerent, ac tuerentur, non poſſent capi, aut pecunia, aut voluptate, aut metu; nec ſinerent animum ſuum muneribus labefactari, in hocq; manere in primis cenſebat ſpeciem, & dignitatem ciuitatum, de quo ille ſe hoc pacto ſentire, non verbis tantum, ſed re ipſa, ac factis ſignificauit, quum Perſarum Regis, contra quem tunc exercitum ducebat, liberalitatem, amicitiamque repudiauit. Philippus quoque Macedo, Alexandri pater, voce ſua celebri teſtatus eſt, non oportere Principes viros, regeſque magnopere confidere turribus, ac caſtellis, quamuis illa, & loco, & operibus expugnari poſſe non viderentur. Huius ipſius ſententiae ego audiui fuiſſe auum tuum, fortiſſimum Ducem, & magno conſilio praeditum, qui, cum videret parari aduerſus ſe bellum, haberetque plures ſecum valde peritos rei militaris, cum quibus de tuendis finibus, arcendiſque hoſtibus aſſidue deliberaret, cum vnus eorum, conſuetudinem noſtrorum temporum ſpectans, dixiſſet, requirere ſe ad id conſilium vehementer accommodatum, vel neceſſarium potius, oppidum aliquod in eius ditione egregie munitum, ſeque, cum diligenter omnia oculis perluſtraſſet, nihil huiuſcemodi vſquam aſpicere potuiſſe, tunc ille, intendens manum ad ſuos, qui multi adſtabant, reſpondit: hae ſunt meae arces, haec mea propugnacula; quibus fretus ſpero, me conſilium aduerſariorum diſturbaturum, intelligens amorem populorum erga ſe, incredibilemque beneuolentiam, in quo deceptum illum non fuiſſe, & ea, quae poſtea quotidie in bello gerebantur, & euentus tandem ipſius declarauit. Non alienum autem putaui de hoc tecum his litteris agere, qui ipſum ſtudioſe imitaris, nec vllam in partem ei cedis, in amore tuarum gentium tibi, iuſtitia & omnibus honeſtis factis, conciliando. Nam quin huiuſcemodi aliqua vox, etſi breuis, multum valeat ad naturam moreſque clarorum, & illuſtrium virorum indicandos, ac paenè vniuerſam vitam eorum ante oculos collocandam, dubitandum non eſt, quod etiam a grauibus, ſapientibuſque ſcriptoribus litteris proditum eſt. Ipſe quoque libenter virtutem admirabilem Franciſci Mariae, vnius è maioribus tuis omni laude digniſſimi in omni ſermone meo, pro tenuibus ingenij mei viribus laudo ſemper, ac celebro, ad quem etiam cum Venetarum copiarum Dux opportuno loco caſtra

poſita

poſita haberet ad Caſſianum cootra Caroli V. Imperatoris exercitum, a patria legatus miſſus ſum: quare propius tunc ſummum hominis conſilium, meritò laudatum, & magnitudinem animi aſpicere potui, io muuere illo obeundo, quo ſimul & vtilitatibus eorum, quorum rempublicam tutabatur, prouidit, & perſonae ſuae dignitatem noo retinuit ſolum, verum etiam valde auxit, atque amplificauit. Vale humaniſſime Dux, & mei ſupra omnia mea merita, amantiſſime. Florent. prid. Non. April. CIƆ IƆ LXXIX.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Mariae Vrbinatium Duci. S.

VTINAM verum foret, Illuſtriſſime Dux, quod memoriae proditum olim fuit, de vbertate regionis iſtius in qua regnas, a vetere Graeco ſcriptore, parere in ea ter aono greges pecorum; telluremque fructus ferre abuodantiſſimos: mulieres vero raro admodum vnum, plerumque geminos, & aliquando etiam tres, gignere; magis illa digna fuiſſet, quae te Principem haberet, tuaque eximia virtus maiorem campum nacta eſſet, io qua ſe exerceret, oeruoſque ſuos contenderet: audio enim apud vos hodie veſtigium nullum, huius tantae foecunditatis apparere. ſcriptum eſt hoc in libello, cuius index eſt de admirabilibus auditionibus: excuſus autem eſt Ariſtotelis oomine, ſed Stephanus quoque, qui ſcripſit de vrbibus meminit huius commentarij: ipſumq; Ariſtotelis eſſe teſtatur, vt etiam Athenaeus in XII. libro δειπνοσοφιστῶν, vbi loquitur de luxu Sybaritarum, & pretioſa veſte Alciſthenis; oec tamen deſuut, qui de ipſo aliter ſentiant: lis igitur magna eſt de vero auctore huius libri; cum autem ego quondam ipſum contuliſſem cum vetuſto, ſatiſque fideli exemplari; plorimaque inde menda ſuſtuliſſem, habeo nuoc in animo purgatum ipſum peruulgare: incertum tamen adhuc me nou nihil tenet; cuius oomine edam, etſi pendeo in eam ſententiam, vt ab Ariſtotele ea notata putem, non ſane vt omnia ipſi probata ſint, nec viſa, cognitaque, ſed ab aliquo ei commemorata, qui plura loca viſerit, quaeque noua, inauditaque ſpectarit, accurate notauerit; non pauca certe horum narrauit in libris, quos ſcripſit de hiſtoria animalium. Nam quod ad tellurem pertinet, non eſt dubium, quin Vmbriam intelligat: deſcribit enim eam, qui idem repetit, diligeuter geographus, quem dixi, fineſq; eius appellat veros. Quod ſi nunc orbata eſt commodis illis, quae de ipſa praedicata ſunt; vnum certe conſecuta eſt, quod pluris eſt ad beatam ipſam reddeodam, quam fructus copioſi terrae, quod te Principem bonum, iuſtumque adepta eſt, quem Deus Opt. Max. diu ipſi ſaluum, incolumemque ſeruet. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Bernardino Rotae. S.

ACCEPI ſuperioribus diebus elegans, & eruditum munus tuum, quod fuit mihi perlucundum: magis enim capior fructibus ingeoij doctorum, & politorum virorum, quam telluris, & alijs etiam extra hominem poſitis bonis Quare ago tibi gratias immortales ob hauc tuam beuignitatem, & animum promptum iu magnam meam animi voluptatem: ſtatim autem tibi, vt decebat gratias egiſſem, ſed contigit, vt eo tempore, valde occupatus eſſem, quod vero negotium me tunc diſtentum teouerit, video tibi notum eſſe ex litteris, quas ſcripſiſti ad Admiratum uoſtrum; miſiſſem ſane ad te lucubrationem illam meam breuem, etiam non rogatus, cum aliud nunc non haberem, quo poſſem leuiter indicare, qoam gratum mihi feciſſes, miſſis ad me tuis illis egregijs multarum vigiliarum operibus. ſed tamen timide, purganſque accurate audaciam meam: ſed poſtquam vidi ex eadem illa epiſtola, te id, neſcio qua de cauſa, tantopere cupere, liberius hoc feci. Errorem igitur tuum accuſabis, non meum, cum, lecta illa, cognoueris, oihil dignum in ea oratiuncula extitiſſe praeter argumentum ipſum, in quo opera perdenda eſſet. Cum ego poëmata tua diligenter legero, quod cito a me fiet, quid exiſtimem

ſtimem de illis, epiſtola aliqua mea declarabo, ideſt, laudabo ipſa, & plurimum commen‑dabo: non enim modo mihi audita eſt facultas, & tua exercitatio multa in pangendo carminę, atque ingenij etiam doctrinaeque magnitudo. Vale. Florent. Non. Iun. CIↃ IↃ LXXIIII.

PETRVS VICTORIVS Ludouico Caſtaneo Rupipozaeo. S.

NON ideo ſcripſi ad te, clariſſime legate, ſuperioribus menſibus epiſtolam, vt illa ſola contentus eſſem futurus, neque poſtea quicquam huiuſcemodi attingerem, ſed hoc animo meo cogitaui, voluique ipſam initium eſſe aliarum illiuſmodi animaduerſionum, ſi cognoſſem tibi priorem illam non diſplicere; & ſanè mihi ab hoc officio tamdiu non temperaſſem, niſi veritus eſſem, ne multas tuas, & magnas occupationes impedirem: modo tamen cum mihi in mentem rediiſſet flagrans tuum ſtudium, & deſiderium, quo primum incenſum te perſpexi erga optimas artes, id quod poſtea etiam a multis audiui, qui iſtinc veniunt; depoſui magna ex parte timorem illum: quare familiarius tecum agam, vt coepi, quaeramque ex te, quid ſentias de loco, quem olim arbitrabar me correxiſſe, in IIII. libro de moribus ad Nicomachum, quum multas, & foediſſimas maculas ex illo pulcherrimo opere delevi: eſt autem, vbi diſſerit de parui animi hominibus, quos non penitus inſimulat, ſed aliquid boni in natura ſua vitioſa, & affini culpae, habere vult: cum enim prius legeretur in excuſis libris, οἱ μὲν οὖν μικρόψυχοι οὐ κακοὶ δοκοῦσιν εἶναι, ἀλλὰ μᾶλλον ἡμαρτημένοι, ſecutus fidem conſtorum, quos vidi, calamo ſcriptorum codicum, emendaui ὀκνηροί. Sed Aſpaſius etiam ita legit, qui ſic interpretatur hoc verbum νωθεῖς, ἀργοί, καὶ ἀπρακτικοί. Significare igitur puto voluiſſe auctorem μικροψύχους hos non eſſe fatuos, neque tardos, vt ſunt, quos vocat χαύνους: ſed contrarius potius his, & perſpicacis ingenij, qui ſibi nihil arrogent, ſed potius detrahant aliquid eius honoris, ac laudis, quam ſibi non ſine cauſa vendicare poſſent; atque hoc facere, niſi fallor, quia bene cognitas, & perceptas habeant res humanas, ipſarumque infirmitatem, & crebras mutationes norint; ideoque fugiant ſe implicare nimis moleſtis, & plenis periculorum factis, ſiue quia non magni aeſtiment hos gradus honoris; nihilque huiuſcemodi magnopere admirentur: ſed, vt verum fatear, facilius poſſum accuſare alterius lectionis importunitatem, quàm huius, etſi certiorem ipſam duco, veritatem comprobare. Nollem autem Morelium, qui Lutetiae editionem illam meam ſuis typis renouauit, nomine meo retento, vocem hanc repudiaſſe; ac pro ipſa ὀκνηροί, quod reieceram, reſtituiſſe. Diſputabo igitur de ſcriptura, expectans de ſententia iudicium tuum, indicaboque vbi hanc vocem inuenerim. Ariſtoteles in II. libro de partibus animalium, de ſanguine diſſerens, vique ipſius, ac poteſtate, inquit, cruorem craſſiorem, & calidiorem magis gignere vires corporis, ac robur; acriores autem ſenſus, & mentem acutiorem illum, qui tenuior eſt, ac frigidior: νοερώτερον enim illic ſine vlla dubitatione, vt extat in calamo exaratis exemplaribus, non νοερώτερον, vt habent excuſi, legi debet. Vt vides igitur omnia mendis referta ſunt, quae moram magnam adferunt, & caliginem offundunt accuratae veteres ſcriptores legentibus; ſed alteram etiam hanc auctoritatem adiungam, vt opinor, non contemnendam. Extant antiquae multae declarationes, & valde bonis verbis expoſitae doctorum virorum in Iliada Homeri, in margine vetuſti exemplaris, quod apud nos eſt, domi Iacobi Saluiatij Illuſtriſſimi viri, notatae; quae ſcholia niſi vidiſſet Euſtathius, atque ipſorum parte aliqua commentarios illos ſuos valde prolixos ornaſſet, plane minutus quidam grammaticus cognitus fuiſſet. in illo igitur verſu XVI. libri ὄτρυνεν ἵππους τε, καὶ ἀνέρας ἀσπιστῆρας, quo poëta dicit Achillem exhortatum fuiſſe equos, & milites ſcutatos, primum conſuetudinem quandam ſermonis ſecutum Homerum putat: etſi enim equos nominarat, equites tamen intelligi voluiſſe; deinde adiungit ἢ τὰς ἰδίας ἵππους ὀτρύνων: νοεροὶ γὰρ ἦσαν, ὡς θεῖοι, quaſi, cum ſati caeleſti ſemine forent proprij equi illius herois, potuerit ipſos, vt participes rationis verbis excitare. Hinc igitur quoque exiſtimari poteſt, oſtendi eodem verbo ab Ariſtotele, quod laudem habet, non vitio obnoxium ſit. quod praeſtant verba, quae nullo conſilio eò importata ſunt: non defuerunt enim praeterea alij, qui falsò putarint legi illic debere ἀνθηροί. Graecus autem interpres neutrius harum varietatum meminit, qui tamen labitur, dicẽs deteriorem eſſe velle auctorẽ μικρόψυχον, quàm χαῦνον: quomodo enim verum hoc eſſe poteſt, cũ affirmet χαῦνον fatuum, & inſulſum eſſe: hoc enim valere puto ἀνόητον: minimè autem talem μικρόψυχον: etſi

etſi eum magis oppoſitum eſſe Ariſtoteles affirmat magnanimo : aliud enim eſt maiori errori, culpaeque affinem eſſe, aliud videri magis magnanimo aduerſari. Miror autem Argyropylum, Graecum hominem, & ſatis bonum philoſophum, in interpretatione horum librorum, quos noſtrae iuuentuti magna cum laude, concurſuque nobilium virorum declarauit, cum ipſi nota eſſet haec varietas lectionis, ſua intereſſe nihil putaſſe, quaerere diligenter vtra verior eſſet; magiſque ingenio, ac moribus parui animi hominis conueniret: de qua enim re potius ſollicitus interpres horum diuinorum librorum eſſe debet, quàm de vita, & moribus, tàm praeſtantis, & excellentis viri : & exquiſitè docere, quomodo in ea virtute peccetur. quae cauſa fuit, maximè illuſtris orator, vt ipſe cogitationem hanc ſuſciperem; tecumque potiſſimum quaerere de hoc voluerim, quem alienum, remotumque nullam in partem eſſe exiſtimo a magnanimi viri indole, ac natura. Vale. Florent. XIII. Kal. Quinctil. CIↃ IↃ LXXIX.

PETRVS VICTORIVS
Erophilo Flaminio S.

AMO te valde Erophile, probe adoleſcens, multis magniſque de cauſis, & laudi tuae toto animo faueo; in quibus eſt, quod cum pater tuus vir optimus, voluerit, vt aetas tua tenera a me ad humanitatem informaretur, perſpexi ſubito te docilem eſſe ad haec ſtudia, omni libero homine digna, ex qua te magnam cepi voluptatem, & ſane de ingenio naturaque tua aliter exiſtimari non poterat, cum inde natus eſſes, & adhuc in ventre matris indolem probitatemque paternam haurire potuiſſes, omni demum illo tempore, ita domum meam frequentaſti, vt quotidie magis ſpes illa magna, quam de tua virtute conceperam, creſceret. Venit poſtea tempus, vt tu, iam excultus, & perpolitus his elegantioribus litteris ad artem paternam, plenam dignitatis aditum tibi patefaceres, quare, nobis relictis, in eam vrbem te contuliſti, in qua facile poſſes frequenter audiens excellentis ingenij viros : & ſummos medicos, ad altum illius gradum aſcendere; & totum reddere, atque exprimere patrem tuum, gloriamque adaequare, quam ille ingentem ex ipſius tractatione conſecutus eſt. Multo ſane antea ego multorum ſermonibus cognoram ſcientiam ſingularem, & magnum iudicium parentis tui in aegrotis curandis, grauibuſq; morbis è corporibus eorum pellendis : non contigerat tamen, vt ego, cum omni mea familia valens, opera ipſius, curationibuſque vterer, mutata poſtea res eſt, factumque, vt ego, valetudini quorundam meorum conſulens, cogerer ad aliquem confugere, cuius conſilio ſalus illis daretur; quare experiri volui, an vetus opinio, quam de illo habueram in animo meo, vera fuiſſet; facile autem citoque animaduerti, me nullam in partem peccaſſe, & rectè de prudentia ipſius, ante quam eius periculum feciſſem, ſenſiſſe : neque enim ſatis laudare poteram diligentiam, curam, prouidentiam hominis in munere omni, proprio medicorum, obeundo. Sed opus non erat hoc modo tangere, cum vniuerſa ciuitas redundet laudibus illius, & Princeps quoque noſter, vtilem ſibi eam, ſalutaremque non ſemel expertus, ipſum ciuitate donarit, & magnis dignitatis gradibus ornarit : haec enim ego commemorare volui, non quia incerta, & obſcura putarem, verum vt te hortarer, & ſtimulum aliquo modo tibi admouerem : etſi ipſo non eges, vt omnes ingenij neruos contenderes ad parentem imitandum, laudemque ipſius ac gloriam perſequendam, non temere loquor, nec pluſquam deceat, induſtriam eius, & ſedulitatem extollo : primum igitur hoc eſt, quod valere plurimum debet ad te impellendum : deinde ars ipſa, quam, vt honeſtam & nobilem, noſti celebratam eſſe a diuino Graeco poëta, & quaſi duce ceterorum omnium, qui praedicauit compotem ipſius, parem aequalemq; eſſe multis alijs, nec quicquam illis cedere in muneribus proprijs mortalium; & quae multum proſint reliquis obeundis, vt omittam teſtimonia aliorum, qui merito ipſam commendarunt : quid enim pulchrius? quid glorioſius? quid magis praeclarum eſt? quam poſſe vita hominum proferre, eoſdemque acerrimis corporis doloribus liberare. Non facere autem arroganter eos, qui beneuolentia inducti, hortantur quoſpiam ad laudem aliquam adipiſcendam, ad quam illi ipſi, quos hortantur, alieni non ſunt, ſed ſua ſponte proni, declarat, quod litteris proditum eſt de Theophraſto, ſapiente viro, & ſtudioſo laudis ſuorum, nec minus cupido veritatis in omni re aperienda : ille namque, cum floreret multitudine auditorum intelligeretque ſe graui morbo confectum, morti propinquum eſſe, aſtantibus illis ſuaſit, vt poſtquam iter id ingreſſi

greſſi

greſſi forent in eoque curſu multum verſati, ſiue nullum laborem fugerent, cum ita magna inde gloria compararetur, ſiue totam eam rationem abiicerent, ac repudiarent: quia neceſſario in ipſa magni labores ſuſcipiuntur: neque enim naturam eius pati, vt negligenter aliquis in ea, deſidioſeque verſetur. Cum parum ego confiderem ſtudio, & officio huic meo, quamuis a pura mente, & beneuolentia magna proficiſcatur; arderem autem deſiderio tui iuuandi, adiungere ipſi volui auctoritatem, & pondus praeſtantis philoſophi, & vno ore omnium, meritoque laudati. Vale. Florent. Prid. Non. Sext. CIↃ IↃ LXXIX.

PETRVS VICTORIVS
Franciſco Medici Magno Duci Etruriae. S.

TVLIT vetus illa fortunata aetas plures, qui ingenio, doctrinaque ſua valde profuerunt ceteris mortalibus, operamque dederunt, omnibus alijs rebus poſthabitis, vt iuuarent non ſolum ſui temporis homines, verum etiam poſteros erudirent, & qui multis poſt ſeculis naſci deberent, horum nomina, ſatis clara, honeſtaque, omnibus nota, & peruulgata ſunt: ciuitas autem vna fuit, quae huiuſcemodi viros, ſiue genuit, ſiue aliunde ad ſe profectos, ita inſtruxit, atque ornauit, vt hoc egregium opus moliri, & efficere valerent. Nec tamen hi ſubito tales extitere, ſineque ope aliena, & adminiculo quorundam, qui prius vixerint, ita excellens praeſtanſque bonum ad exitum perduxere: neque enim repente abſoluti perfectique viri fiunt, nec natura ſola poteſt tantum boni procreare: multa enim concurrant, neceſſe eſt; quod quum contingit, tunc exoritur hoc, quod plurimum admirationis gignit in pectoribus illorum, qui haec diligenter attendunt, & tamquam caelitus delapſum diuinumq; non ſine cauſa eſſe exiſtimatur. Vnus horum fuit, ac fortaſſe ſummus, Ariſtoteles, qui ea tempeſtate natus, qua in Graecia florebant optimae artes, relicta patria Stagiris, Athenas ſe contulit, domicilium ſapientiae, virtutumque maximarum; atque ibi Platoni ſe in diſciplinam dedit, doctiſſimo atque eloquentiſſimo viro, cum Socrates iam, dux & auctor ſanctiſſimae doctrinae, & quaſi fons variae philoſophiae, vita functus eſſet, quem ſpatio X. & VII. annorum, vt memoriae proditum eſt, audiuit, atque omnem ipſius ſcientiam magnitudine ingenij ſui, & aſſiduitate operae vorsuit. Nec ceſſauit hic, natus hominibus docendis, viuus adhuc, quae didicerat, alijs impertiri; & quicquid etiam illis addiderat, cum familiaribus, & cupidis cognoſcendi res abſtruſas, & remotas ab intelligentia populari, communicare, atque ita naturam eorum excolere, & perpolire: nam praeterquam quod habuit certos quoſdam, & eos quidem non paucos, magnae indolis adoleſcentes, magnaeque ſpei, quos ſedulo recondita rerum ſcientia inſtruebat, non reiecit etiam alios, in quibus amor aliquis bonarum artium deguſtandarum apparuiſſet, a benignitate ſua, verum illis quoque, ſed alia hora diei, & ratione viaque faciliore, ſtuduit prodeſſe, & ingenia ipſorum erudire, quod alij ante ipſum, doctiſſimi viri; etſi vitae hominum excolendae incumbebant, non probarant, ſed alienos omnes repudiabant, nec participes ſuae exquiſitae rationis facere volebant: nam penitus rudes, & agreſtes, ipſe quoque a ſe arcebat, & eoſdem poſtea a lectione ſuorum ſcriptorum, obſcuritate quadam illorum, depellebat. Quot autem, quantaque litteris mandarit, & quam multiplici doctrina monimenta ſui ingenij referſerit, notum omnibus, atque exploratum eſt: vt enim omittam rationem diſſerendi, cuius ille, ſubtilis admodum artis, non magiſter tantum, doctorque fuit, verum etiam auctor atque inuentor, & ambarum quidem ipſius partium; eius inquam, quae in inueniendo occupata eſt, & illius, quae in iudicando, quis melius accuratiuſque de rebus bonis maliſque, ac de vita & moribus praecepit? quis pulchritudinem virtutis, eximiamque ſpeciem ipſius manifeſtius nobis ante oculos collocauit? a deformitateque vitiorum, turpibuſque maculis ipſorum magis nos alienauit, totamque demum vitam hominum maiore ſtudio, ac diligentia purgauit? &, quae via ad bene beateque viuendum, ſine errore vllo duceret, demonſtrauit: nec ſolum mores ſingulorum mortalium coluit, atque exornauit, verum etiam rationem honeſte regendae domus, tuendaeque atque augendae bonis artibus rei familiaris tradidit, vt ijs fundamentis iactis, quo animus ferebat perueniret, recteque atque ordine maiores coetus hominum, communemque ſocietatem informaret: & qui

ſtatus ciuitatis optimus eſſet, ceteriſque omnibus anteponendus doceret, de quo tam multae variaeque opiniones diſertorum hominum, & diſcrepantes admodum ſententiae peritorum, magnumque vſum rerum habentium extitere: nam quam factus paratuſque ad hoc praeclarum opus conſtruendum accederet, & quo nullum grandius vtiliuſque vitae noſtrae confici, ac ſabricari poteſt, declarat, quod ſedulo antea ſtatus plurimarum ciuitatum, & Graecarum, & Barbararum perſpexerat, & quid in ipſis probari, reprehendique poſſet, aperuerat; quorum commentariorum magno cum damno noſtro inſtitutam factimus, tantamque diligentiam curamque doctiſſimi prudentiſſimique viri periiſſe dolendum eſt. Acumen autem ingenij Ariſtotelei, admirabileque ſtudium, poſitum in rebus naturae videndis, cauſiſque earum inueſtigandis, quis ignorat? cum partem ipſius nullam omiſerit, quam non enuclearit, erratis magnis reprehenſis antiquorum illorum phyſicorum, qui in his rebus docendis lapſi fuerant, ac magnopere peccarant. Diuinas etiam res, & quae dignitate ſuperant ordinem rerum naturalium, ipſum attigiſſe, & vim poteſtatemque rerum caeleſtium, ac Dei ipſius, moderatoris omnium, eundem explicaſſe, compertum eſt: quis enim de hoc dubitet? Ariſtotelemque penetraſſe, quo humanum ingenium adhibito ſummo ſtudio aſpirare vix poteſt, & clauſtra illa perrupiſſe, non fateatur? Non contentus autem principia rerum naturalium pateſeciſſe, & de ſede domicilioque Dei ipſius diſputaſſe, cauſaſque rerum ſuperarum, obſcuram valde difficilemque materiam, non contemnendis argumentis, probabilibuſque rationibus explanaſſe, perſecutus etiam eſt animantium omnium naturas, & earum, quae in terra viuunt, & volucrium etiam, nec non tertium ipſarum genus, quod in aquis aetatem degit, mariique profundas partes incolit; quarum omnium figuras diligenter deſcripſit, & ortus victumque declarauit: parteſque cunctas corporis aliquo modo ante oculos poſuit, & obſcuras, atque interiores, & extra etiam poſitas, nec eorum tantum animalium, quae ſedes locoſque propinquos noſtris regionibus incolunt, verum etiam valde remotarum, & longinquas terras deſertaque loca habitantium; quod arduum opus, quamque ſcientiam, libero omni homine dignam: principibus autem viris regibuſque in primis accommodatam, aggredi non potuiſſet, non ſolum conficere & abſoluere, niſi a potentiſſimo viro, valdeque ſtudioſo verae laudis, & gloriae adiutus eſſet, pecuniaque ingenti, atque opibus eiuſdem inſtructus: nobilem enim & generoſam familiam Macedoniae regum, propitiam, fautricemque habuit: apud Amyntam namque, Philippi patrem, plurimum gratia, & auctoritate valuit; cui, vt medicus, operam nauauit, & amici etiam familiariſque apud eum locum tenuit, vt litteris proditum eſt a bono auctore: nam eundem a Philippo, prudenti rege, & qui valde Macedonum regnum auxit, dignitatemque eius gentis conſilio, & armis amplificauit, euocatum fuiſſe, ad filium Alexandrum inſtituendum, ſatis conſtat; cui, adoleſcenti magni animi, & ſingularis ingenij, cum ſcientiam reconditarum rerum, quas ſupra appellaui, tradidiſſet, initiaque & cauſas rerum naturalium eum docuiſſet, ornauit etiam animum ipſius polita, & ſuaui lectione; nec minus apta idoneaque aetati eiuſdem, Iliadis Homericae declaratione; vnde factum eſt, vt ille poſtea ſemper diuinum hunc poëtam amaret, & magnis laudibus, occaſionem aliquam eius rei nactus in caelum ferret. Sed etiam putatur idem, optimus magiſter laudabilium omnium artium, amorem, quo tenebatur idem rex intelligendi res vtiles corporibus ſanandis, & ipſis quoque aegrotos familiares curandi, in pectus ipſius inſeruiſſe, cum feratur Alexander, non ſolum libenter ea remedia morborum, & vulnerum amicis, & ijs omnibus, qui peterent, tribuiſſe; ſed etiam cognitum ſit, & in epiſtolis eius lectum, ipſum increpuiſſe familiares, qui his temporibus, & caſibus ad eum non confugerant, nec remedia corporis malorum a ſe poſtularant. In quo (tempus enim eſt iam, vt poſt longam de non vulgaribus rebus, & laudibus iuſtis eximij philoſophi a me orationem habitam, tecum loquar, Franciſce, Dux Magne, ad quem poſteriores has meas cogitationes, ac vigilias mitto) tu ipſum imitaris, atque exprimis: quis enim neſcit, quantum operae diligentiaeque ponas in remediis morborum conficiendis? iiſque omnibus, quae ſalutem aegrotis dare poſſunt, vndique colligendis, & magno pretio parandis: eſt autem hoc amplum, & profecto regium, vt proſpicere tranquillitati dignitatique eorum, quibus praeeſt, ita etiam valetudini ipſorum, atque incolumitati opitulari: facile autem hoc praeſtare potes, cum valde peritus ſis rerum naturalium, & quid vtilitatis capitur ex partibus animalium, iiſque omnibus, quae terra gignit, atque alit, noſti; & ipſorum periculum ſaepe feciſti: nam alterius etiam laudis, clariſſimi, fortiſſimique regis, expers non es; nec quicquam illi cedis in Homero amando, & ſummis laudibus ad caelum efferendo; cuius, puer adhuc, vt ille egregias virtutes ab optimo magiſtro perceperat, ita etiam tu diuinas laudes, & admirabilem

ſapien-

ſapientiam a ſtudioſo valde ipſius, & qui praeclare cognitas eas habebat, didiciſti; & ita denique animo imbibiſti, vt multas ipſius partes memoriae mandaris, eiuſque ſententias omnibus temporibus, ac locis accommodaris. Correxerat Ariſtoteles Iliada, atque emendarat, quae poſtea ab illo ἐκ τοῦ νάρθηκος vocata eſt: librum vero eum, ab ipſo acceptum, Alexander in amoribus habebat, ſub capiteque, ac puluillo, vna cum pugione, ſemper dormiens tenebat: tu pluribus antiquiſſimis, & fideliſſimis Homeri exemplaribus bibliothecam tuam, ampliſſimam & ornatiſſimam, decoraſti. Sed redibo ad alia doctiſſimi noſtri, politiſſimique philoſophi monimenta nominanda: primum autem tangam, quod affine eſt proximo huic ſermoni: praecepit enim ille quoque accurate multa de ſtudio poëtarum, artemque eam omnem, quae florebat ipſius aetate, euoluit, & genera ipſius cuncta, magnopereque inter ſe diſcrepantia explanauit; vtinam illa permanſiſſet, iniquitatemque ſuperiorum temporum euaſiſſet, ac non bona magnaque pars ipſius, quod ſine lacrimis recordari non poſſum, interijſſet. Non minus autem deplorandum eſt, quod cum ille quoque ſcripſiſſet tres libros de poëtis, claris, vt exiſtimare licet; quique aliquam laudem & gloriam in eo ſtudio conſecuti forent, in qua diſputatione neceſſe eſt, vt tetigerit non pauca, quae merito laudari in eo ſtudio poſſunt; vt etiam, quae non ſine cauſa illic reprehendi, & improbari, illi quoque abſumpti ſunt, & nobis non ſine magno noſtro damno è manibus erepti. Sed quid eſt, quod ille, pertinens ad communem vtilitatem, in moreque atque inſtitutis poſitum eius temporis, acumine ingenij ſui, & doctrina, non perpolierit, ac melius multo perfectiuſque ſua cura reddiderit? cum enim tunc in magno honore eſſet eloquentia; non Athenis ſolum, in quâ ciuitate in primis illa regnabat, & vbi altiſſimas radices egerat, ſed etiam in vniuerſa Graecia, quippe cum eius vrbes magna ex parte illa tempeſtate a multitudine regerentur, quod quum contingit, poteſtaſque fit ciuibus libere fuſeque dicendi, gignit id, augetque mirum in modum linguae volubilitatem, copiamque verborum, ad ſummumq; dignitatis gradum eloquentiam perducit; cum inquam multi clari tunc illuſtreſque oratores forent, videretque Ariſtoteles, magiſtros eius artis, & qui ſe poſſe illam docere profitebantur, multis modis peccare, putauit ſe oportere huic malo mederi, ac verum exquiſitamque rationem eius tradendae monſtrare: tribus igitur eruditiſſimis libris, & plenis optimorum documentorum, eam, parteſque ipſius omnes complexus eſt. Noſtrae autem huius aetatis plures, doctiſſimi viri, & qui omnem ſuam vitam conſumpſerant in Principis huius peripateticorum obſcurioribus libris diligenter legendis, atque alijs etiam declarandis, non ſolum non contempſerunt hoc opus, verumetiam mirifice laudarunt, & ſcientiam ipſius variam, admodumque vtilem ingenijs hominum excolendis iudicarunt: Sed litteris quoque proditum eſt, Ariſtotelem etiam hac ipſa dicendi vi ac poteſtate, ingenuo omni homine digna, imbuiſſe opulentiſſimum diſcipulum ſuum, & ſodales praeterea ipſius; facultatemque in vtramque partem ipſi diſputandi de omnibus rebus, & locos huius rationis ſubtiliter exercendae oſtendiſſe: vnde etiam antiquitus extiterunt, qui voluerint ipſum peripateticum appellatum, quia vna cum Alexandro ambulabat, haec ipſa ei tradens, cum ille ex morbo conualuiſſet, & ad vires corporis firmandas huiuſcemodi modicis peripatis, deambulationibuſque vteretur, non quia ſoleret, in Lyceo ambulans, auditoribus ſuis praecepta ſapientiae dare, & quaeſtiones difficiles obſcuraſque enodare. Hos autem libros olim ego cum viderem a vetuſtate, & inſcitia praeteritorum miſerorum temporum male acceptos, refertoſque foediſſimis maculis, remedium tanto incommodo adhibendum putaui: conatuſque ſum pro viribus, ac fortaſſe etiam ſupra vires, ipſos purgare, & menda, quae varij generis ſplendorem eorum, inquinarant, tollere; ſimulque, quantum ſtudio, & mediocri doctrina mea efficere valui, declarare; in quo plurimum mihi laborandum fuit, vt exempla, quibus auctor vſus fuerat in ſententijs ſuis confirmandis, & teſtimonio optimorum ſcriptorum corroborandis indagarem, cum concise illa, obſcureque poſita ab eo forent, & a tempore etiam deformata eſſent. quare legendi mihi fuerunt accurate cuncti paenè antiqui poëtae, atque oratores, vnde illa ſumpta erant, & huc translata, ſuiſque locis illuſtrandis apte applicata. Sed quid modo haec commemorare oportuit? quid enim tunc praeſtiterim, tanto temporis interuallo, ab eruditis viris, & aequo animo praeditis, intelligi & cognoſci potuit, quos nactus ſum beneuolos, & gratos accepti beneficij. Vnum extitit, quod tunc in meo illo labore deſideratum fuit, nec ſiuit ipſum libere ingredi domos omnium, qui auerſi a muſis non eſſent; vnde aliquo modo coactus ſum repetere hunc laborem, & quod tunc omiſeram, adiungere, ideſt vertere in Latinum ſermonem, loco ſuo & ordine, praecepta cuncta auctoris, & tamquam continuare ipſius orationem: nam, quin primo illo tempore verba omnia Ariſtotelis expreſſerim, vimque & notionem eorum, quae rariora, & obſcuriora eſſent, aperuerim, ſententiaſque declararim, du-

bium non eſt: ita autem me geſſi eo tempore, quia ſemper cum Latinis Graeca coniungenda putaui, & aliquo modo ſtimulum bonis adoleſcentibus admouere volui, vt mature, vnaque cum Latino Graecum ſermonem perdiſcerent: neque enim penitus ſine conſilio hoc feceram; victus tamen poſtea precibus multorum, qui Graecam linguam non guſtarant; nec tantum temporis habebant, vt incumberent in eam curam, meorem mutaui, & in alijs, ſiue eiuſdem huius auctoris, ſiue aliorum monimentis ingenij, quae ſtudio meo illuſtraui, voluntati eorum parui, totumque me ad opinionem ipſorum accommodaui. Alterum autem fuit, in quo ſententiam nullam in partem variaui, quod cum primos illos meos labores ad patrem tuum, optimum & ſapientiſſimum Principem, miſerim, & illuſtriſſimo ipſius nomini, pleniſſimoque dignitatis dicarim, idem mihi modo cenſui faciendum, in his, quos valde longa mea cura perpoliui, & meliores multis partibus feci: ex quo enim tempore primum diligenter hos libros legi, & cognoui, quam integri perfectique forent, numquam poſtea ipſos è manibus dimiſi. Accipies igitur hilari vultu hoc meum munus, vt alia feciſti: neque enim maiora tibi dilargiri poſſum; nec dignitati tuae ampliſſimae quicquam aliud, quod aliqua parte ipſi reſpondeat, conſecrare: qui autem in meritis beneficijſque compenſandis, ſiue in colenda ſuperiore qualibet perſona, atque natura, quod potuére, praeſtiterunt, numquam merito reprehenſi a quopiam, accuſatique ſunt. Vale. Florent. XI. K. Sep. CIƆ IƆ LXXIX.

PETRVS VICTORIVS Petro Gondio Epiſcopo Lutetiae. S.

QVANTOPERE amare ſoleant fructus ingenij ſui mortales, qui leuiter etiam attigerunt fana muſarum, facileque decipi in iudicio de ipſis faciendo, arbitror tibi notum eſſe, vir optime, & notitia multarum rerum inſtructiſſime: hoc igitur me quoque in errorem hunc communem induxit, vt putarem ſcripta haec meà digna eſſe, quae ad te mitterem in valde longinquum, & remotum ab hac tellure domicilioque meo locum: accipies tu tamen laeto animo tam tenue munus, ignoſceſque audaciae meae, qui lectionem huius libri auribus tuis eruditiſſimis, non ſatis fortaſſe prudenter inculcarim. Nam quin materia ipſius, & argumentum, & vnde primo profectum fuit hoc opus, merito placere debeat omni docto, & honeſto viro, dubitandum non eſt: quae enim ratio doctrinaque magis ornare poteſt grauem hominem, & promptum ipſum paratumque reddere ad id obeundum, quod eſt proprium hominis, a naturaque ſoli ipſi ex omni genere animalium datum, quam ratio dicendi, facultaſque ſenſuum animi ſui eleganter, fuſeque exponendi, quam ars haec, prodita monimentis a ſummo doctore, & qui ſtudio operaque ſua perpoliuit humanum genus; & cognitione humanarum, diuinarumque rerum pectus ipſius excoluit? Sed quod ego de leuitate tam grandis operis narraui, accipi volo de labore curaque meà dictum, qua ipſum explanandum ſuſcepi vigilijs meis, & infinito quodam ſtudio, quod in ſententijs ipſius explicandis adhibui, verum cum auctoris nobilitas cognita amplitudini tuae, & egregie perſpecta ſit, relicta commendatione ipſius, quae longiore oratione egeret, & vix a quolibet eloquentiſſimo viro copioſe pleneque laudari poſſet (quamquam ego in epiſtola, quae poſita eſt initio voluminis, efficere hoc volui; partemque ipſius, etſi non exilem, non tamen totam integramque abſolui) reuertar ad id, quod primo mihi propoſui, rogaboque, vt voluntatem conſiliumque meum non deſpicias, qui munuſculum hoc ad te miſi, quod nullam in partem reſpondet dignitati tuae, atque ſcientiae multarum honeſtarum artium, quibus praeditus es; neque etiam magnitudini animi, liberalitatique fratris tui, nobiliſſimi viri, & quouis magno honore locoque digniſſimi. Vale. Florent. VIII. Id. Octobr. CIƆ IƆ LXXIX.

PETRVS VICTORIVS
Henrico III. Gallorum Regi. S.

QVANTA voluptate affectus ſim, optime, & opulentiſſime Rex, ex humaniſſimis litteris tuis, & pleniſſimis amoris erga me, non facile narrare poſſem, quod ſi vllum vmquam mihi fructum tulerunt tot, tantique labores, quos ego ſuſtinui in ſtudijs bonarum artium, hunc ego iudico maximum, neque mehercule falsò. Quid enim mihi vſu venire potuit honeſtius, quid ad laudem, gloriamque adipiſcendam praeclarius? quam laudari & ferri in caelum a ſapientiſſimo Principe, & ſummo amatore, non ſolum eorum, qui nomen aliquod cōſecuti ſunt in ſtudijs litterarum, verum etiam doctrinae ipſius, & cognitionis pulcherrimarum rerum, in quas, cum tibi per adminiſtrationem, curamque tanti Regni licet, libenter & ſtudioſe incumbis. Semper equidem ego dilexi muſas, & ingenuas artes, atque in illis perſequendis non omnino ſegnis, & piger fui, ſcias tamen ſtimulum magnum mihi admotum eſſe hac tua laudatione: ita enim certe epiſtola tua vocanda eſt, & in curſu earum alacriorem ardentioremque factum. Grauis ſane aetas mea, & vires ingenij ſatis tenues, atq; imbecillae. nec me fallit, quam timide aliquid polliceri debeam; enitar tamen vincere naturam, &, ſi vllo pacto potero, fructu aliquo ingenij mei conabor oſtendere, Maieſtatem tuam, eximiamque bonitatem beneficium ingens contuliſſe in hominem minime ingratum, neque penitus indignum, qui a Principibus viris, maximaque dignitate praeditis, ametur. Interim gratias maximas habeo benignitati tuae, quae nullo meo officio prouocata, ſolumque exiguo quodam ſigno meae erga te obſeruantiae, ac cultus, tàm valde me ornauit, & apud omnes inſignem, clarumque reddidit. Vale. Florent. XI. K. Mai. CIↃ IↃ LXXX.

PETRVS VICTORIVS
Herculi Ciofano. S.

LIBER, quem ſignificas proximis tuis litteris, te ad me miſiſſe, redditus mihi non fuit: nam ſi fuiſſet, ſtatim id tibi notum feciſſem, nec commiſiſſem, vt tu merito me accuſare poſſes, praeſertim cum narres mihi hac tua epiſtola, te in quodam eorum operum mentionem mei perhonorifice feciſſe; qua in re de tuo hoc erga me facto amantiſſimo ago gratias immortales, laudoque conſilium, qui ſtudueris monimentis antiqui municipis tui vetuſtate contaminatis, & audacia imperitorum auxilij plurimum ferre, quod, vt accepi, feciſti, conquiſitis multis vetuſtis exemplaribus, fideque eorum diligenter perſpecta; quae vera ratio eſt delendi maculas ex antiquis auctoribus: nam qui coniecturas ſequuntur, multumque tribuunt ingenijs ſuis, plus ſaepe ipſis obſunt, quàm proſint. Sunt autem temerarij homines coercendi, & ab hoc prauo inſtituto omni ratione deterrendi. Quod mihi narras de incommodis tuis, nullaque fide eorum, quos ornaras, fuit mihi hoc audire permoleſtum, ſed vitium hoc eſt huius aetatis, in qua non debitus honos, neque praemium tribuitur ſtudijs optimarum artium: neque tamen vetus conſilium, ſuſceptaque ratio, plena dignitatis, dimittenda eſt, θερμῷ χ' ἐπὶ [illegible] [illegible]αντι, τάχ' [illegible]. Vale. Florent. XV. Kal. Sext. CIↃ IↃ LXXX.

PETRVS VICTORIVS
Petro Antonio Iacominio Tebalducio Maleſpinio. S.

AMAVI ego te ſemper, poſtquam in diſciplinam meam te tradidiſti, ob ingenium bonum, ac ſuauitatem morum ſingularem; id quod notum tibi eſſe arbitror: mihi quidem certe ſaepe perſpectum fuit, quae ſit voluntas tua, & obſeruantia erga me; quantoq; amore, ac ſtudio incubueris in ea, quae, fretus humanitate tua, tibi mandaui; ſeruieriſque laudi, atque honori meo: quare nunc, cum deſiderio non paruo tenerer, vtilitatis aliorum cauſa, peruulgandi quaedam ſcripta Graecorum veterum auctorum, neque hic facile id explere poſſem, confugi ad te; rogauique, vt videres, ſi in iſta tellure, in qua floret Graeca lingua, & eruditio, aliquis eſſet, qui curam hanc ſuſciperet. Inueniſti autem iſtic ſubito doctum, & diligentem hominem, qui pollicitus eſt, ſe libenter hoc facturum. Mitto igitur ad te primum vitas duas nobilium oratorum, quas ſcripſit Dionyſius ille Halicarnaſſeus, adhibita multa cura, ideſt, Iſaei, qui Demoſthenem erudiuit, & Dinarchi, magni, & ipſius nominis oratoris, laudatique valde in genere illo dicendi graui, ac vehementi. Quae vitae plenae ſunt magnae, variaeque doctrinae; in quibuſque accurate diſputatur de notis dicendi: nam Dinarchi vita continet in ſe infinitam hiſtoriam, & exquiſitam memoriam Atticorum oratorum. Quam ſint autem vtiles vitae ipſorum ſcriptae a Dionyſio, & quam magnos fructus ferant ſtudioſis eloquentiae, poterat etiam antea intelligi ex ijs, quae fuerant iam editae, Lyſiae, & Iſocratis: nam refertae manifeſto illae ſunt plurimis praeceptis artis. Non has autem tantum, ſed Demoſthenis quoque, & aliorum praeclarorum oratorum vitas litteris hic mandauit, quae vetuſtate amiſſae ſunt. Ne igitur hae quoque perirent, quae in vno tantum vetuſto exemplari apud nos leguntur in bibliotheca Medicea, vt accepi a doctis viris, & veteris memoriae amatoribus, concedente optimo Principe, & cupido iuuandi ſtudia litterarum, excudi has volui. Dabis igitur operam, amice optime, & mei amantiſſime, vt fideliter imprimantur. Vale. Florent. Kal. Decemb. CIƆ IƆ LXXX.

PETRVS VICTORIVS
Ioanni Curterio, S.

LEGI libenter epiſtolam tuam, Curteri, gauiſuſq; ſum, te memoriam mei fideliter in animo ſeruare, laudareque magnopere tenuia quaedam officia mea erga te, nobileſq; eos adoleſcentes, quorum comes tunc eras: illa autem talia extitere, vt omitti nullo pacto debuerint, culpaeque magnae me affinem eſſe declaraſſent, ſi a me praetermiſſa fuiſſent: nulla vero re ego tãtopere delector, quanta, quum prodeſſe poſſum probis, & eruditis viris. vtinam plus valerem, non paterer, operam meam a quopiam in honeſto omni facto deſiderari, ſed auctoritas, & vires non reſpondent voluntati meae, quemadmodum nunc, cum me rogaris, vt videam, ſi forte in Medicea bibliotheca ſint ſcripta Graeca, quae conferre velles cum excuſis libris, vix tibi poſſum gratificari, aut ne vix quidem: ſcis enim curae meae mandata non eſſe praeclara illa monimenta antiquitatis: nam praeterea tibi Magnum noſtrum Ducem non pati, vt inde quippiam depromatur; negaſſeque hoc ipſum non paucis, quibus etiam facile omni alia in re morem gereret; ſtudet potius, honeſtam illam ſupellectilem cotidie augere; quod ſuccedit illi egregie: nam & emit quouis pretio, quos poteſt, veteres omnium laudatarum linguarum libros, & multi etiam ipſi dono dantur; vnde factum eſt, vt magnopere creuerit, poſtquam tu eam viſiſti, pulchra illa, & copioſa congeries librorum. Quare me tibi excuſatum eſſe volo, ſi non facio ea, quae praeſtare non poſſum. Randanos iſtos tuos iuuenes, claro admodum loco natos, vt audio, raraeque expectationis ob ſtudia illorum optima, & magnitudinem ingeniorum, ſaluta meis verbis; ſignificabiſque ipſis, me ſemper paratum fore commodis ipſo-

rum,

rum, ſi forte aliqua in re aliquando iuuare ipſos potuero. Vale, & amorem iſtum tuum ſingularem erga honorem meum, cuius non parua indicia vidi in litteris tuis, cuſtodi in animo tuo diligenter. Florent. IIII. Id. Febr. CIƆ IƆ LXXX.

PETRVS VICTORIVS

Franciſco Bonamico. S.

LITTERAE tuae plenae humanitatis, & accuratae doctrinae fuerunt mihi gratiſſimae; laetatuſque ſum magnopere, te, vt mihi placeres, tantum ſtudij doctrinaeq; adhibuiſſe, relictis tuis grauioribus vigilijs in re, ſi nō omnino tenui, leuique, non tamen digna, in qua tu perſcrutanda, neruos ingenij tui contenderes: ago igitur tibi gratias immortales, agnoſcoque veterem tuum amorem erga me: cōtigit autem olim, vt ego nactus exemplar vetuſtum illius commentarij, ac multo magis integrum, quam ea, quae formis excuſa ſunt, contulerim ipſum cum his libris, qui circumferuntur: Quare nunc exiſtimans operam illam meam non ingratam futuram ſtudioſis antiquitatis cognoſcendae, ne dicam curioſis hominibus, decreueram, quicquid notaueram edere, ac diuulgare: vt enim in hoc opere, ſi opus [illegible] que appellandum eſt, non nulla ſunt inania, ac plane falſa, ita alia quaedam non contemnenda: mouerat autem me nomen auctoris, vel potius eius, qui haec ab alijs ſibi commemorata, vt ipſa acceperat, litteris mandauerat, quem cum Ariſtotelem fuiſſe ferunt, indicio, ac teſtimonio calamo exaratorum librorum, non temere hoc damnandum exiſtimabam, neque diligentiam tanti viri reprehendendam, & vt inutilem penitus repudiandam. Leguntur enim manifeſto in eo multa, quae doctiſſimus, & diligentiſſimus ſcriptor tranſtulit in libros, quos edidit de hiſtoria animalium. Teſtimonium etiam Stephani non parui ducendum eſt, qui ſine vlla dubitatione tradit, hunc libellum eſſe Ariſtotelis, quo loco de Vmbris populis, fertilitateque eius telluris vicinae noſtrae, ac caeli clementia loquitur, etſi illa, quae de ipſis narrat, vana ſunt, & prorſus inepta; ſunt alia huiuſcemodi quaedam, quae hoc videntur confirmare, nec tamen deſunt, quae putantur etiam huic opinioni aduerſari, vt tu quoque ſubtiliter vidiſti: quare maturius de tota re cogitabo, tempuſq; longius ſumam ad deliberandum: ſequar autem in primis in ſententia mea conſtituenda auctoritatem tuam, cui merito multum tribuo. Interim haec ad te ſcribere volui, vt ſcires, te mihi gratum feciſſe, qui de re, quam breuiter attigeram, tam diligenter diſſeruiſti. Vale.

PETRVS VICTORIVS

Dominico Tattio. S.

ACCEPI prid. id. Oct. binas tuas litteras varijs temporibus datas: cum ſit autem magna illorum, qui reddere ipſas debent, incuria, id quod ſatis notum eſt, & ego ſaepe experior, mirandum non eſt, ſi, quod crebro vſu venit, in tuis his epiſtolis contigit; auxit etiam incommodum hoc, quod afui ab vrbe interuallo duorum menſium: mos enim meus eſt hac anni tempeſtate in agro quodam meo viuere ſatis amoeno, valdeque accommodato ad valetudinem tuendam, atque è multis magniſque laboribus, quos cotidie ſuſtineo corpus reficiendum, praeſertim cum admodum ſenex ſim. Recte igitur de me, vt plane nunc intelligis, exiſtimaſti, non factum eſſe ſuperbia, & inhumanitate quadam, vt tibi antea non reſponderim, a quo graui turpique crimine valde alienus ſum; ſi namque re factiſque implere non poſſum deſideria, commodaque amicorum, & omnium, qui honeſtis artibus operam dant, ſaltem ſtudeo officium meum illis probare, animumque ſemper promptum, ac paratum ad eos iuuandos. Sed, his relictis, cepi moleſtiam non paruam è tuis laboribus; doleoq; te conflictari his difficultatibus, quibus premeris, vt mihi narras, ob prauum morem aduerſariorum, qui virtuti tuae doctrinaeque inuident: eſt autem hoc vitium hodie in multis, ſed etiam aliud puto impedire tuas vtilitates, quod ſeculum hoc, totum de-

ditum

ditum rei quaerendae, non valde amat humaniora ſtudia, nec colit, vt oporteret elegantes muſas. Quod me rogaſti, vt hoc in genere, ſi vllo pacto valerem, tibi prodeſſe in animum inducerem, inuenire mque induſtriae tuae condicionem aliquam honeſtam in nobili quapiam vicinarum ciuitatum, non deero tuae voluntati; videboque, ſi poſſim dignum aliquem campum inuenire, in quo te exerceas cum aliqua dignitate, & fructu debito tuae eru ditioni, ſed haec negotia lenta ſunt: occaſio enim expectanda eſt, quae plerumque rara eſt; quare non multum ſpero, me tibi in hoc profuturum, vt cuperem. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Alexandro Farneſio Card. S.

NEscio, quomodo mihi tamdin temperarim, praeſtantiſſime, atq; optime vir, a te epiſtola aliqua mea, ſcriptoq; laceſſendo, quem ſemper amaui, ac colui; cuiuſque admirabiles animi dotes iampridem ſuſpexi: &, quantum ingenij mei mediocritas facere potuit, celebraui. Debeo ſanè ego omni tempore, quantum valeo, cauere, ne magnas tuas, honeſtaſque occupationes impediam; verumtamen excellẽtes etiam homines, ac paenè diuini ſolent aliquando a grauibus, moleſtiiſque curis, quas totas con ſumunt in vtilitatibus aliorum procurandis, aliquantum digredi, atq; ita reficere animum, ac recreare; id quod de veteribus non nullis memoriae proditum eſt, quod te non fallit; cui omnis antiquitas praeclare cognita eſt: fretus igitur hac opinione auſus ſum, ſummam ſapientiam tuam interpellare, & exiguum temporis ſpatium ipſi eripere, demptum è maximis ſuis cogitationibus, atque humaniſſimis officijs. Magnam ego quidem ſemper, de te cogitans aliquid, ſingularibuſq; tuis virtutibus, voluptatem animo cepi, ac merito quidem, praeſertim autem vehementer gauiſus ſum, intelligens conuenire mihi de tua egregia laude, & maxima ſpe futuri temporis cum iudicijs multitudinis, ac prudentium virorum; quae ſententia communis de amplificatione tuae dignitatis, & magno campo ipſi deſtinato, vna omnium voce, in quo optimum ingenium tuum, valdeque excultum, ac paratum exerceas; cum cotidie creſcat, & paenè certa exiſtimetur, exulto laetitia; ac terminum nullum huic gaudio conſtituere poſſum, quae cauſa etiam fuit, vt ſcribere nunc ad te, & dignitati tuae maturè gratulari voluerim. Vale. Florent. XIIII. Kal. Septemb. CIↃ IↃ LXXXI.

PETRVS VICTORIVS
Gulielmo Sirleto Card. S.

ETsi memoriam tui, vt debeo, firmam in animo conſeruo, ſaepeque de tuis honeſtiſſimis artibus, integritateq; vitae mecum cogito, raro tamen ad te ſcribo, ne dignitatis tuae graues occupationes impediam, quod cauere diligenter me oportet: aliter enim magnopere peccarem; nunc vero, cum ad me domum miſeris familiarem tuum, tranſeuntem hac, qui me ſalutaret, atque omnia, quae proficiſci poſſunt ab amplitudine tua prolixe polliceretur, gauiſus ſum mihi occaſionem datam ſcribendi ad te, vel potius neceſſitatem impoſitam huius muneris valde iucundi obeundi. Gratias igitur tibi maximas ago de hac humanitate tua, quae noua mihi non fuit: ſcio enim quantopere me ſemper dilexeris, & quantum mihi honoris in omni tuo ſermone tribueris, crebra mentione a te facta de mea mediocri doctrina, alijſque non nullis animi mei dotibus non omnino a laude vacuis, quoniam ſapientiae tuae ita videtur, ſic magnopere teſtimonio tuo auctis, & amplificatis: Cum autem praeſtiterim, quod opus fuit, narrabo nunc, quae grata vehementer tibi futura ſpero, me valere, integroque admodum corpore eſſe, vt ſenem, vel potius pluſquam ſenem; totoque animo verſari in meis veteribus ſtudijs, quibus potius addidi aliquid, quam ipſa remiſerim, quod facio ob deſiderium magnum, quo teneor abſoluendi magnum quoddam opus, quod in manibus habeo: id autem, vt ad exitum perducam, non alienum vllam in partem a diſciplina ſua, ſanctiſſimaque inſtitutione, puto Deum Opt. Max. tam longam mihi vitam, & tam vegetam tribuere. Vale. Florent. IIII. Non. Septemb. CIↃ IↃ LXXXI.

PETRVS VICTORIVS

Ioanni Vaz Mottae. S.

REDDITAE mihi fuerunt litterae tuae, vir optime, & omni liberali doctrina, vt ex illis perſpicere potui, eruditiſſime, ſero illae quidem, in quo iudico me iniuriae non nihil accepiſſe: voluiſſem enim ipſas cito ad me perueniſſe, quo maturius laetitia illa perfruerer, quam ipſae ſecum mihi attulerunt: etſi namque me non arbitror eſſe inanem hominem, nimiſque auidum gloriae, tamen facere non potui, quin commouerer praeconio grauis viri, & ſtudio magno poſito in me commendando, & ad caelum ſummis laudibus ferendo: verius enim illa tua laudatio, quam epiſtola vocanda eſt, cum omnes colligat rationes viaſque celebrandi me, & mediocria quaedam mea officia, ac merita erga bonas artes, & ſcripta veterum auctorum adiuuanda, in quibus ſane plurimum ſtudij, ac laboris diu ſuſtinui; ſed finem faciam de me loquendi, reuertarq; ad gratias tibi ſummas agendas, qui me potius bonitate ingenij tui, & ſingulari quadam humanitate implere hoc gaudio volueris, quam admiratione meae alicuius virtutis, quae aut nulla eſt, nec tanto nomine digna, aut tenuis admodum, atque exilis. Cuperem, ſi poſſem, aliquo pacto tibi placere, & munus a te mihi datum compenſare, &, ſi aliquando facultatem aliquam huius rei nactus ero, ſedulo in eam rem incumbam. Nam quod rogaſti, vt ſignificem tibi, ſiquod opus in manibus habeo, volo animo tuo ſatisfacere: ſcito igitur, me totum nunc occupatum eſſe, ac de hoc dies noctéſque cogitare, quod ſane non nouum conſilium meum eſt: multo enim antea mihi hoc propoſui, curaſque non paruas de hoc ſuſcepi: ſcito inquam, me ſcribere poſt tot, & tam doctos viros declarationem in libros de moribus illos Ariſtotelis, quos miſit ad Nicomachum filium: arduum ſane opus, ac multis locis obſcurum; quodque requireret maiorem multo doctrinam, & firmiorem aetatem, quam mea ſit: dabo tamen operam, ne penitus irritus conatus hic meus ſit, ac ſine vllo conſilio ſuſceptus. Quod me in itinere tuo non vidiſti, etſi non valde remota patria domuſque mea eſt a Romana via, magis frequentata, damni nihil feciſti: volo enim te de me magis exiſtimare è vigilijs, monimentiſque ingenij mei, quàm è facie vultuque meo: nec tamen non mos meus eſt, nobiles viros, & ſtudioſos honeſtarum artium, qui, hac tranſeuntes, me ſalutant, libenter videre, & quibuſcunque officijs poſſum proſequi. Vale. Florent. Prid. Non. Nouembr. CIↃ IↃ LXXXI.

PETRVS VICTORIVS

Ioſepho Caſtalio. S.

STATIM vt in vrbem redij: nam autumni magna parte ruſticari ſoleo, vitamque dego in amoeno, & ſalubri loco, traditum mihi eſt munuſculum tuum, quod mihi gratum fuit, vt a te miſſum erudito viro, & mei, vt oſtendis, amantiſſimo, de quo tibi gratias magnas ago. Argumentum ipſum libelli deſpici meo iudicio non debet, cum valeat ad exacuendum ingenium, & certa quaedam tempora cum honeſta voluptate traducenda. Praecipue autem in illo me delectauit, cognoſſe, morem hunc etiam fuiſſe veterum illorum oblectandi ſe huiuſcemodi obſcuris vocibus, quae conſuetudo frequẽs apud nos eſt, & peruulgata in peruigilijs, in quibus viri has dubias, & difficiles quaeſtiones proponunt mulieribus; non nullaeque ipſarum, quae ob naturae ſubtilitatem, ſiue aliquam exercitationem, facile eas interpretantur, & hos nodos diſſoluunt, aliquam inde laude adipiſcuntur, & elegantiores putantur; ſed viris etiam, qui ſe lepidos, & iucundos praebuerunt in his luſionibus, hoc ſtudium honoris aliquid, & amoris non parum adfert, & conciliat ab his omnibus, qui ea voluptate tenentur: Quia autem proponuntur ſaepe quaedam ita incerta, & tenebrarum plena, vt quaſi hariolari, ac diuinare oporteat, appellantur noſtra in gente hae voces, indouinelli: haec habui, quae tibi ſubito dicerem. Fieri igitur poteſt, vt hic, quicunque fuit auctor libelli, quem ad me miſiſti, multa huiuſcemodi

modi collegerit, ac verſibus complexus ſit, ſiue ipſa ſuo ingenio excogitarit. Nomen certe eius penitus ignotus mihi erat; aenigmataque haec ipſa numquam legeram prius, nec audiueram alium quempiam, ſiue calamo ſcripta, ſiue formis excuſa ipſa habere: quod petis a me ſedulo faciam, &, ſiquid mendi in ipſis accurate legendis inuenero, ad te ſcribam diligenter, & amice. Vale. Florent. III. Non. Decemb. CIↃ IↃ LXXXI.

PETRI VICTORII EPISTOLARVM

Liber Decimus.

PETRVS VICTORIVS Iulio Antonio Sanctorio Card. S.

MISIT mihi Nicolaus Tornabonius Epiſcopus, vir optimus, & tui obſeruantiſſimus, exemplar litterarum tuarum, quas ad eum ſcripſiſti, quod fecit nulla alia de cauſa, niſi vt me delectaret, tanto amplitudinis tuae teſtimoniū de illis paruis ingenij mei munimentis, quae ad te miſerat: nō eſt autem ille in conſilio hoc ſuo deceptus, vt qui prudens eſt, facileque intelligebat, hoc neceſſariū futurum: quis enim non gauderet auctoritate, ac iudicio tanti viri de ſua aliqua laude? qui, & doctrina, & vſu magno rerum recte exiſtimare poteſt, vt de huiuſcemodi ſcriptis, ita de multo maioribus rebus: nam; quin fide vſa in hoc fuerit probitas tua, & quod ſenſerit, dixerit, dubitari non poteſt: neque enim cauſa eſt vlla, cur tu fingere, & placere auribus meis volueris; alienum enim hoc eſt a moribus, & dignitate tua, neque cadit vllo pacto ſuſpicio haec, & metus de me. Reſtat igitur, vt valde te amem, gratiaſque tibi magnas agam ob officium hoc tuum beneuolentiae, & humanitatis plenum: tribuit enim mihi amplitudo tua id, quo maxime aetas haec mea eget, plerumque triſtis, laetitiae non parum, ac voluptatis, quum intellexi, labores meos nō deſpici, nec nullo in honore eſſe apud honeſtos, & graues viros, pro quo valde ipſi obligatus ſum, cupioque quacunque re poſſum, laudi, atq; honori tuo ſeruire. Facies igitur mihi gratum, ſiquid aliquando imperaris. Vale.

PETRVS VICTORIVS Ioanni Tonſio. S.

ARBITRABAR ſane minime neceſſarium te admonere (in qua re vſus ſum perſona Franciſci nepotis mei) vt diligenter odorarere, quid exiſtimarent docti iſti, & acuti homines, qui plurimi in iſta erudita ciuitate ſunt, de Cenſura Hippocratis, quam nuper ad eos miſi, vt gratum facerem doctiſſimo amico meo, quem ego ob eximias ipſius virtutes plurimi facio, & ad me omnem eorum ſenſum accurate ſcriberes: id autem, cum acceperim, te intellexiſſe, me vehementer

hoc

huc cupere ſuperuacaneum putabam: quia cognoui te omnibus in rebus, quae ad amicos pertinent, admodum diligentem, vt ſemper mihi viſus ſis voluntatibus eorum deſiderijſque occurrere; tanta tamen me cupiditas tenebat eius rei, vt contra iudicium animi mei fecerim, & quaſi tibi ſine cauſa ſtimulum admouerim, quod vſu venire aliquando ſolet ijs, qui aliquam rem ardenter cupiunt: quoquo modo autem res geſta ſit, gaudeo me conſecutum eſſe id, quod vehementer optabam, & totum illud plene copioſeque obtinuiſſe: expleuit enim penitus animum meum docta, & grauis epiſtola tua, & nihil reliquit, quod merito a me deſiderari poſſet. Reſtat igitur vt tibi gratias agam, quod facio toto animo, pollicearque me paratum eſſe ad omnia tua commoda, mutuamque tibi beneuolentiam traditurum, ſiquando vſus venerit, vt opera mea indigeas, quam etiam pollicitatione non magnopere te a me deſiderare confido: puto enim tibi cognitam, & perſpectam eſſe voluntatem meam promptam erga omnes probos, & ſtudioſos bonarum artium viros: tibi autem in primis, qui vincis in eo ceteros, ac longe ſuperas, paratam & addictam, cum omnes diligenter labores ſuſtinueris, qui declinari non poſſunt ab eo, qui ad ſummam laudem gloriamque aſpiret, ac ſtatuerit demum ſibi virtutem omnibus viribus opibuſque eſſe perſequendam. Valebis igitur, & me amabis, vt ſemper feciſti. Florent. XVI. K. Septemb. CIↃ IↃ LXXXIII.

PETRVS VICTORIVS

Simoni Rocchae. S.

EGO, te ſemper amaui, cariſſime Simon, ex illo die, quo te in familiaritatem meam recepi, ob morum tuorum ſuauitatem, ac fidem incredibilem: ſed nunc, cum te acri deſiderio teneri videam illarum litterarum, quibus omni mea anteacta vita incubui, tanta amoris acceſſio facta eſt, vt omnis labor mihi leuis futurus ſit, quem in te iuuando, boniſque artibus ornando ſuſcipiam: quare adferam tibi ad nos rus venienti huic rei efficiendae aptiſſimos auctores, in quibus te hoc anni tempore, vt tu cupere ſcribis, voluteris, Demetrium inquam Phalereum, atque Aeſchinem oratorem, acerrimum illum Demoſthenis aduerſarium; qui cum ambo Athenienſes ciues fuerint, ac multum in rep. verſati ſint; principemque locum in Atticis oratoribus tenuerint; eius, qui aetate poſterior fuit, reliqua omnia ingenij monumenta periere, excepto hoc vno de virtutibus vitijſque orationis libello: ſcripſerat enim Demetrius multas orationes elegantes, atque omni genere ornamentorum refertas, nec non plures philoſophiae locos illuſtres, graueſque explicuerat: fuit enim Theophraſti doctiſſimi, ſuauiſſimique hominis auditor, a quo & variam abditamque doctrinam, & copiam, elegantiamque verborum acceperat, cum illi ipſi philoſopho a diuinitate loquendi, vetere repudiato, nouum nomen impoſitum ſit. Quantum vero ingenio, atque eloquentia valuerit Aeſchines, inde etiam licet exiſtimare, quod Demoſthenis vim, impetumque verborum non reformidauit; ſed auſus eſt cum eo congredi, atque omni illo tempore ſedulo ipſum exagitauit, periculumque capitis ipſi, atque eius fautoribus ſaepe creauit. E tribus autem ipſius praeclaris orationibus, quae reſtant, eam interpretandam ſuſcipiam, qua Cteſiphontem in iudicium vocauit, quod nimis ſtudioſus ornandi Demoſthenis fuiſſet, & in eius laudibus celebrandis contra leges multa ſcripſiſſet. Eo autem libentius hanc elegi, quod qua accuſationi huic ipſi Demoſthenes reſpondit, mecum ſtudioſe legiſti: cauſa enim omnis illa Cteſiphontis hoc pacto melius percipietur, atque ingenia arteſque ſummorum oratorum liquidius intelligentur, cum quicquid ambobus in mentem venerit, & pro eodem, & contra eundem reum accurate cognitum, atque animaduerſum fuerit. Altero igitur libro artificium ipſum dicendi traditur, non tamen omne, ſed quod ad locutionis tantum integritatem, ornatumque pertinet, in quo magna pars eloquentiae poſita eſt. Altero vero, exemplo quodam declaratur, quid efficere poſſit eximia natura, cum dicendi exercitatione, vſuq; coniuncta: nam huic etiam rei valde vtilis erit, magni huius oratoris diligens lectio, quod praeceptis optimi ac politiſſimi magiſtri confirmandis, virtutibuſque ab eo demonſtratis, conſtituendis, idoneus in primis ille teſtis erit: cum ipſe etiam Demetrius aliquando auctoritate Aeſchinis in hoc commentario vtatur, indicetq; locos non nullos ab eo egregie tractatos.

ctatos. Si diligenter igitur artem, indiciumque grauiſſimi doctoris attendes, cumque ipſius praeceptionibus auctoritatem, vſumque Aeſchinis conferes, nihil, quod ad veram, integramque huius rei notitiam attineat, deſiderare poteris. Vale, atque ad nos quamprimum veni. Ex agro Decimano Prid. Non. Sept, CIↃ IↃ LXXXIII.

PETRVS VICTORIVS
Federico Morellio. S.

LEGI libenter epiſtolam tuam, plenam amoris, & honoris erga me tui: laudo autem, vt debeo, animum iſtum tuum cupidum valde mihi placendi, & ijs omnibus, quae grata mihi eſſe intelligis, ſatisfaciendi, cum te ſemper paratum promptumque futurum eſſe oſtendas ijs omnibus edendis, quae ab arte tua proficiſci poſſunt, quam eximie honeſteque tractas: quare puta, me, quacunque re potero, vtilitatibus tuis, ac laudi conſulturum eſſe: venerunt autem mihi in mentem non nulla, quae vtrique huic rei accommodata, idoneaque futura exiſtimo, ſi obtinere, & ad exitum perducere potuero; ſed nequeo nunc in has nouas curas incumbere, cum habeam opus in manibus arduum, ac difficile admodum, quod cum abſolutum fuerit, dabo operam, vt tibi ſeruiam, & quae mente verſo, efficiam, quamuis admodum ſenex ſim, & ad eam aetatem peruenerim, vt potius requieſcere debeam, quàm nouum aliquem laborem ſuſcipere; ſed non poſſum otioſus eſſe; ſtatuique mecum, donec viuam, ſuperiorem meam vitam non deſerere; ſed de his alias. Tu perge me amare, & Graecas litteras, monimentaque optimorum ingeniorum è tenebris eruere; ac peruulgare. Vale. Florent. XI. K. Quinct. CIↃ IↃ LXXXIIII.

PETRVS VICTORIVS
Iacobo Dalechampio. S.

LITTERAE tuae K. Martijs datae fuerunt mihi valde gratae; delectauit etiam me cognoſſe Paulum Minium me amare, & veterem ſuam beneuolentiam erga me in animo tueri, nec longam diſtantiam loci potuiſſe huic rei, quod facile illa moliri ſolet, impedimenti aliquid adportare: eſt certe hoc ſignum ſatis certum optimi animi, ac naturae; qualem ſaepe in ipſo perſpexi. Munus autem, quod miſiſti, ſuperat cuncta alia officia, & dona, quae a fideli amico, cupidoque honoris illius, quem diligit, proficiſci poſſunt: non enim manibus tuis confectum, & fabricatum eſt, vt veſtis, quam Telemacho dedit Helena, ornare ipſum volens, ſed ingenio & doctrina: veſtrae igitur partes omni laude cumulatae ſunt. Videndum autem mihi nunc eſt, quomodo poſſim meas defendere; meque ipſum, ac culpam meam purgare, qui tàm ſero humaniſſimae tuae epiſtolae reſponderim, nec iuſtas magnaſque tibi gratias ob haec tua conſilia, factaque plena dignitatis erga me egerim; non igitur citabo occupationes, etſi multae, & magnae omni hoc tempore illae fuerunt, ac ſunt; neque longiſſimam aetatem, ac ſenectutem ipſam; quod onus noſti a ſapiente poëta dictum eſt Aetna grauius eſſe, neque aliud quippiam, quod vim aliquam habere videatur perſuadendi tibi, vt mihi ignoſcas, ſed totum me tradam in poteſtatem tuam; ita enim fortaſſe facilius in animum induces, delicti, quod hoc tam ruſtice commiſerim, mihi veniam dare. Vale. Florent. III. Id. Iun. CIↃ IↃ LXXXIIII.

PETRVS VICTORIVS Sereniſſimo Franciſco Mariae Duci Vrbinatium. S.

VEre laetus, fauſtuſque mihi fuit dies ille, quo tu, Sereniſſime Princeps, Florentiam veniſti, viſendi Magni noſtri Ducis cauſa, & de communibus, publiciſque rebus vnà cum ipſo colloquendi: cum enim ego tempore illo anni, valde apto, vel neceſſario potius, poſt maximos calores, corpori reficiendo, ruſticarer, poſcente te hoc, ſubito euocatus ſum, in vrbemque redire iuſſus, quod feci libenter, ac ſponte mea etiam praeſtitiſſem, ſi ante a quolibet de tuo aduentu certior factus eſſem: multa enim antea audieram a multis de ſingulari humanitate tua, magnitudine ingenij, & praeclara optimarum artium ſcientia: quare feſtinaui, & ad voluptatem capiendam ex his animi tui eximijs dotibus, aduolaui: ſtatim autem vt veni, mihi mandatum fuit, vt tibi obſequerer, ac voluntati tuae cunctis in rebus parerem: gauiſus igitur magnopere ſum: vidi enim, me compotem cito futurum eius, quod vehementer ſemper optaui, ſermonem tecum habendi de optimis ſtudijs, quae inde etiã perſpexi, tibi admodum grata, & accepta eſſe: quia, cum multa alia in vrbe viſenda forent, quae ob vetuſtatem, & nobilium operum ſplendorem, cupide ab exteris hominibus ſpectantur, quibus non minora, neque pauciora inferiore hac aetate addita ſunt a noſtris Magnis Ducibus: illi enim quoque valde in ornatum vrbis incubuere: ſtudioque ſuo; ac cura plurimum dignitatis ipſi adiunxere, tu, rebus illis poſthabitis, & alij tempori reſeruatis, accedere voluiſti ad vetuſtam, & copioſam omnis generis ſcriptorum bibliothecam Mediceam, quae & multitudine librorum, & antiquitate, cum Graecorum, tum Latinorum, quemadmodum etiam ceterarum eruditarum linguarum, vincit omnes laudatas magnopere, ac celebres ſcriptorum ſupellectiles, in quo honeſto conſilio explendo, & digno omni nobili, & praeſtanti perſona, ego tibi operam meam praebui, fidelem, & accuratam, ob veterem meum vſum, & tractationem ipſius. Hac igitur, prima tibi oblata, voluptate, magnopere, Princeps optime, delectatus es, meritoq; commendari ipſam, & in caelum ferri ſummis laudibus affirmaſti. Neque tamen tantam vim antiquorum auctorum, ita admiratus es, tamquam domi copiã bonorum non habeas: nam nobilem etiam bibliothecam nactus es, a maioribus tuis ſedulo comparatam, ac tibi relictam, ſecuti ſunt ita duo, treſve dies, pleni laetitiae, & eruditorum ſermonum, quibus ego praeſto tibi ſemper fui, & quantum mihi licuit, a latere tuo numquam diſceſſi; quippe cum ad menſam etiam conſtiterim & doctorum, iucundorumque veſtrorum ſermonum particeps fuerim vna cum alijs nobilibus, & grauibus viris, quorum ingenio, & lepore ambo vos Sereniſſimi, atque optimi Duces, epulas veſtras condiebatis, quarum etiam ipſe diſputationum pars aliqua fui. Verum quia res humanae infirmae, & caducae valde ſunt, repente ego totus immutatus ſum, omneque meum gaudium in acerbiſſimum dolorem, luctumque conuerſum eſt: nepos enim alter meus, ex leui, falſo putato, morbo, ſubito mihi ereptus eſt, quẽ ego vehementer amabam, & omni polita arte, atque ingenuo adoleſcente digna inſtruxeram, ſtudio etiam meo, atque opera magna in eo poſita: quare abdidi me, atq; ex oculis veſtris eripui: neque enim tam graui vulneri leniter ferendo me parem eſſe intelligebam, & maerore, lacrimiſque meis gaudium veſtrum turbare nolebam. Quam inuitus autem id fecerim, non opus eſt, me exponere: quis enim neſcit, quam durum moleſtumque ſit, cogi, ſubito relinquere, quod magnopere ames? videbam enim oculos eiulum in te conuerſos, paſſimq; voces audiebantur laudantium virtutes tuas, & honeſta facta maiorum tuorum commendantium. Quae autem ego tunc libenter audiſſem, eadem illa nunc poſt ſpatium magnum temporis, cognita mihi ex hiſtorijs, alijs narrabo, occaſionem huius rei egregiam nactus; moremque aliorum ſecutus, qui monimentum aliquod ingenij ſui Principibus viris dicant: inflammati enim amore illorum, cuncta vndique colligunt, quae valent ad perſonas eorum decorandas; ſeq; optimum de illis conſilium cepiſſe, ſignificandum. Quis enim neſcit, te antiqua admodum ſtirpe natum eſſe? cuique incognita eſt Feretriae familiae dignitas? cuius nomine, ac virtute, nati ex illa maiores tui multis in locis nobilibuſque vrbibus regnarunt, ſemperque in praeclaris factis, militaribuſque ſtudijs magna cum laude floruerunt, ſummum locum in rebus gerendis, copijſque ducendis tenentes. Sed quia nimis longũ foret, gradus amplos honoris, quos illi conſecuti fuere apud varios magnos Principes,

ac Reges, & res eorum, quae ſatis notae, perſpectaeque ſunt, commemorare: eſſet enim hoc hiſtoriae, non epiſtolae proprium, ac fortaſſe multarum hiſtoriarum argumentum. Ad magis vicinos, propinquoſque aetati noſtrae veniam, qui geminos fontes ſuae nobilitatis, ſummaeque virtutis habuerunt: contigit enim, vt Guidus Vbaldus, poſtremus eorum, natus vnicus è Federico, qui & ipſi ambo Duces extitere, ſine liberis maribus mortuus ſit, atque ita terminus, finiſque illius, vt vetuſtae, ita celebris admodum gentis, inuentus. Hic autem eſt Guidus Vbaldus ille, qui magnopere dilexit ſtudia litterarum, & vt ipſe omni ingenua arte inſtructus fuit, ita etiam vehementer amauit homines liberali doctrina excultos: quare ad eum multi, dediti optimis ſtudijs, ac nobiles admodum viri confluxerunt, delegeruntque ſibi Vrbinum, tamquam domicilium quoddam Muſarum: horum vero duo fuerunt omni liberali doctrina praediti, Petrus Bembus, & Federicus Fregoſius, qui ambo poſtea, ob vitae probitatem, & omnem nobili viro dignam ſcientiam, in Cardinalium ordinem cooptati ſunt: neque enim omnes appellare hic libet, cum magnus numerus eorum extiterit, cunctique honeſte nominati ſint in commentarijs elegantibus eruditorum, & ingenioſorum virorum. Hoc igitur Feretriorum Illuſtriſſimo genere paenè extincto, ſucceſſit in eorum Principum locum Franciſcus Maria Dux belli clariſſimus, ortus ex Ioanna Federici filia, & Ioanne Sorae Duce, Senogalliaeque Domino, multiſque alijs magnae ſuae poteſtatis gradibus ornato: nam decoris plurimum, ac dignitatis attuliſſe huic honeſtiſſimae domui, profectos ex ipſa, duos Pont. Max. Sixtum IIII. & Iulium II. quis non videt? Pater vero tuus Guidus Vbaldus è proxime ſuperiore potentiſſimo, & fortiſſimo belli Duce natus te feliciter procreauit, quem ſperare non ſine cauſa poſſumus, ſi vius veniat, vt opera, conſilioque tuo vti velit Maximus Hiſpaniarum Rex, munere hoc etiam egregie functurum, cum apud eum educatus ſis, & adoleſcens adhuc illius horribilis naualis pugnae particeps fueris, qua victa, proſtrataque fuit ingens Turcarum claſſis; vnde te ſibi mature, fortitudinemque tuam aſtrinxit prouidens Rex, ſtipendio non paruo, tamquam pignore, obligatum. Vidit autem ille, ſtultam prorſus eſſe, falſamque opinionem illorum, qui putant, ſtudium ſapientiae officere bellicae virtuti, ſcientiaeque Ducis exercitus, nec virtutes has coniungi vllo pacto poſſe; quin potius philoſophia prodeſt, vt reliquis honeſtis artibus, ita etiam muneribus imperatorijs recte obeundis: cuius rei teſtimonio ſunt Epaminondas, Xenophon, Polybius, & alij non pauci, qui philoſophi magni, & clari Imperatores extitere. Incumbe igitur, vt facis in tuam iſtam, laudis & gloriae plenam viam, non temere hoc dico: mihi enim compertum eſt, te certas quaſdam horas diei ſepoſitas habere, quas cotidie conſumas cum ijs, quos domi habes magna, variaque doctrina ornatis viris; incumbe inquam in rationem iſtam, quae te non ſolum iuuabit, ſed populos etiam, quos regis, ſi vera eſt vox Platonis, beatos reddet; cuius magni fructus, & emolumenti ipſorum certa iam, & maxima ſigna viſuntur. Ego autem, qui honeſtiſſimum hoc conſilium, inſtitutumque tuum non ſolum probo, ac laudo, verum etiam omni re, qua poſſum, adiuuare debeo, mitto ad te tamquam ſolum, ac fundamétum ipſius, libros hos de moribus ſummi doctoris, quos ego magno ſtudio, ac cura ornare conatus ſum, vt, ſiquid addi poteſt inſitae tuae, vel potius innatae voluntati, ac propenſioni animi ad virtutem, & praeclara facta, hinc petas, & te vndique perfectum abſolutumque reddas. Hortata quoque me fuerunt, vt ad te labores hos meos mitterem, ea, quae ſupra a me breui expoſita ſunt de indicijs quibuſdam magni tui amoris erga me, & quod vidi, te ſtudia haec mea minime deſpicere, ſed amare, & colere. Multum etiam ad hoc valuit, quod ſperaui, me gratum facturum Franciſco Medici Magno Duci Etruriae, cui ſeruio, cuique in primis placere debeo, cum videam, ipſum te valde diligere, iunctoſque vos inter vos eſſe ſumma beneuolentia, & omnium honeſtarum rerum ſocietate, vt oporteret eſſe cunctos vicinos inter ſe populos, & ciuitates. Dicerem etiam (niſi arrogantiae crimen reformidarem, ni vererer inquam, ne de meis tenuibus rebus nimis inepte ſentire exiſtimarer) me confiſum eſſe, maiorem gratiam apud eum initurum, ſi hoc praeſtitiſſem, quam ſi ipſum munere hoc amplificare ſtuduiſſem; cum probi viri, ac perfecti amici, qualis profecto ille erga te eſt, proprium ſit; Id quod in his doctiſſimis libris a ſapientiſſimo ſcriptore memoriae proditum eſt, dare operam, vt amicus potius ipſius honorem aliquem adipiſcatur, quam ipſe ille dignitate eius augeatur. Vale Princeps optime. Florent. VIII. K. Octobr. CIↃ IↃ LXXXIIII.

PETRVS VICTORIVS
Lectori. S.

VT reliquas duas philoſophiae partes diligenter perſecutus eſt, litteriſque copioſe mandauit Ariſtoteles (etſi me non fallit, maluiſſe Peripateticos pleroſque rationem diſſerendi eſſe inſtrumentum, quam partem philoſophiae) ita etiam exiſtimauit, oportere ſe tradere, recteque atque ordine explicare, quae ad vitam, & mores pertinent, cum doctrinam hanc a paucis ante ſe tactam, & illis quidem non ſatis erudite, perfecteque explanatam putaret: fuerunt autem illi, Pythagoras, Socrates, Plato; a quibus tamen omnibus aliqua in re diſcrepauit: quare veriorem viam illarum rerum tractandarum excogitauit, accuratiuſque ac plenius de virtutibus, ac vitijs diſputauit. Extant autem opera tria, philoſophi noſtri nomine notata, quae diſciplinam hanc continent; non tamen cuncta eundem finem, exitumque nacta: ipſorum enim duo manca, imminutaque ad nos peruenerunt, eaque de cauſa non plenum nobis, integrumque fructum ferre poſſunt: quae autem illa ſint, apertum eſt: nam vulnera, quae corporibus ipſorum impoſita ſunt, non ſinunt nos de hoc dubitare: ſolutum enim liberumque hoc graui malo, quod manſit, eſt volumen, miſſum ab eo ad Nicomachum filium. Acceſſit huic incommodo, quod a quibuſdam dubitatum eſt; extantq; quaeſtiones non paruae de veris auctoribus omnium horum de moribus librorum; quam tamen rem, non arbitror, valde me ſollicitare debere, cum vetus, magnuſque interpres Ariſtotelis, Simplicius de hoc, vt communis opinio eſt, ſenſerit: non videtur autem debere dubitari, quin Νικομάχεια, verum, certumque Ariſtotelis opus ſint; cum, praeter ſuperius Simplicij teſtimonium, Alexander quoque ſingularis quidam amator philoſophi, & qui ſtudium omne ſuum poſuit in monimentis eius declarandis, Ariſtotelis opus hoc eſſe ſemper voluerit, nec dubitare ſe vnquam de hoc, oſtenderit. Scrupulus fortaſſe quempiam pungeret de duobus illis, qui neſcio cur Magni vocentur, cum minime reſpondeant numero reliquorum, propeve ad ipſum accedant, & de rebus ipſis, quas attingunt, breuius, conciſiuſq; praecipiant: nam initium eorum non poſſum non laudare, ſatiſque id mihi huic diſciplinae accommodatum videtur, quo ſignificatur, ſtudium hoc, de re tantopere nobis vtili, a veteribus doctis viris fuiſſe paenè neglectum. Reſtat, vt exponam, quid exiſtimem de opere librorum, quorum index eſt, Ἠθικὰ Εὐδήμια, quia ad Eudemum illud miſſum eſt: fuit enim Eudemus hic natione Cyprius, qui Athenas venit, ad Platoniſque amicitiam ſe applicauit, cum domo exularet, vnde etiam familiaritatem Ariſtotelis conſecutus eſt, cum & ipſe ſtudijs ſapientiae delectaretur, familiariſque foret omnium, qui ſcholam Platonis frequentabant; neque tamen coleret ſolum honeſti otij ſtudia, & quietis, verum etiam militiae, ac belli: nam, cum Athenis multum Eudemus vixiſſet, beneuolentiam quoque adeptus eſt Dionis Syracuſani, qui Dionyſio ſuſpectus, illic viuebat, & inceptam amicitiam in Sicilia cum Platone recolebat, vnde factum fuit, vt opera Eudemi Dion vteretur in cogenda clam manu militum ad Dionyſium ex iniuſto illo regno exigendum. Hic igitur eſt Eudemus ille, vnde opus, quod praedico, Eudemium appellatum eſt: nam de virtute ipſius, & magna animi probitate mentionem etiam fecit M. Cicero in primo libro de Diuinatione, quo loco praeclara quaedam ſomnia narrauit: in ipſis enim expoſuit tria quaedam, quae magno huic, & pluribus eximiis virtutibus ornato viro viſa ſunt. Quia autem omnis haec narratio in claro admodum loco expoſita eſt, qui plane cuncta intelligere voluerit, locum hunc ipſum adeat: nam cum auctoris, apud quem haec legerit, non meminerit M. Cicero, puto, ab Ariſtotele id memoriae mandatum fuiſſe in libro, quem ſcripſit de animo, ab hoc illuſtri viro, vocato Eudemo; id quod narrauit Plutarchus in commentario de conſolatione ad Apollonium. Magnum autem damnum, vt arbitror, factum eſt, quod hi libri iniuria ſuperiorum temporum amiſſi ſunt: erant enim referti magna doctrina, vt ex multis locis coniicere licet eorum librorũ, qui elapſi fuere, & quamuis mendoſi, non ſine fructu tamen leguntur. Loci autem cuiuſdam ipſorum memini in IX. librum, quo ſignificatur, quomodo acceptae duae ſententiae de amicitia, quae magnopere contrariae inter ſe videntur, ſibi ipſis conſentiant, cuius etiam auxilio emendatur locus, foediſſime maculoſus in vita Ariſtotelis, quam ſcripſit Laërtius. Volo etiam tibi, amice lector, cognitam eſſe rationem omnem huius mei longi laboris. Plures enim iam ſunt anni, quibus ego opus hoc de moribus ſummi doctoris, amare coepi, & quo magis partem aliquam ipſius manibus tenebam, accurateque legebam, eo magis amore illius incendebar, &

quam

quam magnus fructus ex lectione eiuſdem capi poſſet, perſpiciebam. Cum igitur aliquid ita me profeciſſe putarem, volui experiri, an poſſem in eo declarando ſtudioſis bonarum artium adoleſcentibus aliquid prodeſſe, ſanctiſſimaque hac diſciplina ipſos inſtruere; in quo plurimum temporis conſumpſi. Cum vidiſſem autem auctam non nihil eſſe in me facultatem hanc, auſus ſum, creſcente cotidie deſiderio in me excolendi optima ingenia, & omnem vitij labem è pectoribus eorum delendi, labores, quos ſuſtinuiſſem in conatu hoc meo, publicare. Vnum vero in primis arduum, & moleſtum mihi fuit, cuiq; remedium adhiberi vix poteſt, valde repugnans illud quidem conatibus his, & honeſtis ſtudijs, ſenectus inquam ſumma, & grauis: paucis enim contingit, id quod Iſocrati vſu venit, vt vſq; ad extremum tempus aetatis commentari ſemper aliquid, & ſcribere valeret: huic autem rei ſuccurrit, vetus amicus meus, ſingularis ingenij vir, & non minoris eruditionis, Carolus Oricellarius: nam de eximia probitate hominis, ſummaque fide, & amore in rebus amicorum gerendis, nihil opus eſt dicere, cum cognita omnibus, & probata illa magnopere ſit. Cum igitur alia multa monimenta Ariſtotelis ſimul legiſſemus, quae ſcripta ab ipſo fuere de natura, & rebus occultis; in hoc, quod ego ſeorſum mihi declarandum ſuſcepi, ille quoq; ſtudio magno ſuo, non paruam mihi opem tulit, & laborem meum minuit; quod ego honoris eius cauſa, & verae amicitiae, qua inter nos coniuncti ſumus, omnibus notum eſſe volui. Vale.

PETRVS VICTORIVS
Gulielmo Sirleto Card. S.

QVOMODO. facere poſſum, vir optime, meiq; amantiſſime, quin tibi gratias agam? qui, me non rogante hoc, nec quicquam huiuſcemodi a te modo expectante, tam beneuolo pioque officio functus ſis apud Pont. Max. meq; tantopere illi laudaueris, omnibus rebus collectis, quae ipſi ſapientiſſimo viro, ſummaque virtute praedito grata eſſe, probataque cognoſti. Cum autem non pauca dixeris de mediocri doctrina mea (quam tamen amplitudo tua valde auxit,) ſtudioque magno a me poſito in excolendis ingeniis noſtrorum adoleſcentium, addidiſti illis, quemadmodum etiam plurimum laborarim, vt ſcriptis, lucubrationibuſque meis in grauiſſimos auctores, erudierim etiam non parum externos, longinquoſq; homines, pectoraque ipſorum perpolierim, quae ſane cuncta, ſi nō tota, tamen aliqua ſui parte vera ſunt: quis enim vnquam magis ſtuduit, vt hoc praeſtaret? ardentioreque animo, in hoc opus incubuit? Hac igitur praedicatione tua mihi ſignificata, litteris probi, & honeſti viri Angeli Gemmarij, valde delectatus ſum, fateorque, me a te beneficium ingens accepiſſe. Nihil vero in tuis his plenis amoris narrationibus, tam mihi placuit, animumque meum tanto gaudio referſit, quam quod beneuolentia tua, ſummaque cura in me ornando poſita, ipſi narrauit, Marcellum Ceruinum omni tempore me valde dilexiſſe, cuius rei tu optimus teſtis eſſe poteras, qui domi ipſius viuebas, & poſtquam etiā Pont. Max. creatus eſt, me apud ſe honeſto loco tenere voluiſſe: ſtatim enim, Iulio extincto, Romam cucurri; ſperans hoc prorſus futurum, & quod magnopere ſemper optaui, me cito viſurum: ſed iniqua admodū fortuna, quae mihi ſemper aduerſata eſt, ſpeſq; meas omnes in medio curſu fregit, ac labefactauit, non paſſa eſt, me tanto gaudio diutius frui: vt enim praeteream commoda & honores, quos, ob veterem beneuolentiam ipſius erga me facile adipiſci poteram, quantae mihi voluptati fuiſſet vna tecum in eadem domo viuere, doctiſſimo viro, & qui multo tempore antea mecum coniunctus vera amicitia fuiſſes. Commemoratio igitur tua harum rerū partim magna voluptate animum meum impleuit, partim doloris aliquid in pectore meo renouauit. Cum vero nō nulla in vita anteacta geſſerim, quae laudis aliquid, & honoris, vt opinor, mihi attulerunt, exiſtimo, quod praeſtiti, vt mirifice placerem Marcello Optimo, & ſanctiſſimo Pont. in minimis eorum poni non debere; & neceſſario id etiam in pectore Pontificis erga me excitaturum eſſe amoris aliquid: quomodo enim amplecti non poterit eum, quem cognorit, carum acceptumque extitiſſe omni virtute ſibi ſimili, magnopere laudato viro, vna tamen tantum in re valde minori, quod ob breuitatem vitae, plenam integramque beatitudinem tueri non potuit, quod ipſi, laetantibus omnibus bonis, large copioſeque contigit. Vale. Non. Octobr. CIↃ IↃ LXXXIIII.

PETRVS VICTORIVS
Gregorio XIII. Pont. Max. S.

NACTVS occaſionem idoneam laudandi te B. P. conſiliumque tuum in caelum ferendi, ipſam arripui: dum enim incumberem toto animo in opus, quod habeo in manibus, incidi in eum locum, quo mentio ab Ariſtotele fit Eudoxi Cnidij, ſpectati viri in ſtudijs honeſtarum ſcientiarum, mathematiciſque diſciplinis; de quo Eudoxo legeram, cum ſumma hominis laude, correxiſſe eum annum deprauatum, multaque è faſtis vitia ſuſtuliſſe; id quod etiam poſt fecit Romanus homo, in maxima poteſtate rerum omnium, atque imperio collocatus. Hos igitur ſapientia tua, ſummos viros, eſt imitata. Meminiſſe autem ego huius rei volui; vt oſtenderem, te omnibus in rebus ſtuduiſſe ſemper prodeſſe mortalibus, & veluti in rebus pertinentibus ad cultum Diuinum, vnde tamen haec quoque profecta eſt, ortumque duxit, magis proprijs tuae perſonae, ita etiam in his, quae totae accommodatae ſunt vtilitatibus mortalium, mirifice cupidum fuiſſe eorum iuuandorum. Quantum autem laboraris, & quantum operae diligentiaeque adhibueris in hoc praeclaro munere obeundo, notum omnibus eſt. Quia autem ego aequitati tuae, ſummaeque bonitati, multum debeo, ereptus ab ipſis, vna cum tota mea familia è grauibus malis, polliceor Sanctitati tuae, me ſemper memorem futurum, huius maximi beneficij in me collati, & quantum per me fieri poterit, laboraturum, vt pietas tua, ſingulariſque humanitas, quae multis in rebus apparuit, planeque omnibus perſpecta eſt, non fallat vllo tempore quempiam mortalem. Vale. Florent. Non. Octob. CIƆ IƆ LXXXIIII.

PETRVS VICTORIVS
Petro Gondio Epiſcopo Lutetiae. S.

MVLTA ſaepe accepi a graui, & honeſto viro, praeſtantiſſime Antiſtes, de tua magna prudentia, & cognitione optimarum artium; cui tuae ſummae laudi conſentientes poſtea fuerunt ſermones plurimorum: quare merito te, quamuis abſentem, & longo ſpatio terrarum remotum, amare coepi, vel potius colere, ac venerari: quis enim non diligat, atque amore proſequatur hominem praeditum tanta virtute, totque egregijs animi dotibus ornatum? cum vero nulla alia maiora amplitudini tuae praeſtare officia poſſim: cupiam autem animo meo ſatisfacere, magnoque amori huius rei, quo teneor, mitto ad te munus, profectum è meis diutinis ſtudijs, multiſque vigilijs, ac laboribus, quos in eo concinnando perpeſſus ſum: opto autem, vt tibi gratum id, acceptumque ſit; quod prorſus futurum ſpero, propter ſummam auctoris nobilitatem, cuius ego optima ſanctiſſimaque praecepta, declarationibus his meis explanare, atque illuſtrare conatus ſum; quod ſi longa aetas, corpuſque, in hoc conficiendo, defatigatum, maleque acceptum non aduerſaretur, eniterer, aliquid elaborare, quod proprie tuum eſſet, tibique dicatum ab omnibus ſubito intelligeretur. Pro animo autem meo in dignitatem tuam propenſo, vnum a te peto, vt Regi epiſtolam ſuam, munuſque meum praebeas, atque ipſum, vt Terentiano verbo vtar, verbis tuis ornes. Vale. Florent. VIII. Kal. Nouemb. CIƆ IƆ LXXXIIII.

PETRVS VICTORIVS

Henrico III. Gallorum Regi. S.

NEMO vmquam ſcriptor fuit; quin opera ſua, ingenijque monimenta valde amaret, ac pluris etiam, quam vere facere poſſet, ipſa aeſtimaret: hoc autem mihi quoque, vt opinor, contigit, qui auſus ſum, hos meos labores, cuiuſmodi ſunt, legendos tibi dare, tanto Regi, tantopereque in optimis artibus, ſtudijſque verſato; quae namque proponuntur homini, qui ſuperet fortunam, condicionemque reliquorum mortalium, ea perfecta vndique, & abſoluta eſſe debent, veluti ille longo interuallo vincit gradum omnem, altum etiam, ceterorum honeſtiſſimorum virorum. Fuit tamen quondam gens, fortunata illa quidem, & quae amplum imperium eſt conſequuta, diuque ipſum cuſtodiuit, quae aliter de hac re exiſtimauit: ipſius namque Reges morem habebant, nullius vmquam dona, muneraque, tenuis etiam hominis, vniuſque è multitudine, repudiare, voluntatem eius, qui dilargiretur, animumque ſpectantes magis, quam rem ipſam, quae dono daretur, ponderantes. Puta igitur, humaniſſime Rex, me in hoc conſuetudinem Perſarum, inſtitutumque ſecutum eſſe: hi namque extitere, quibus mos hic placuit; quorumque Reges minutam etiam, exilemque liberalitatem ſuorum numquam contempſerunt; quod ſi feceris, optime Rex, a more etiam vetere, iudicioque maiorum tuorum non diſcrepabis: nulli enim vmquam opulenti Principes Regeſque inuenti ſunt; qui tanta humanitate, pietateque erga ſuos vſi ſint; quanta Gallorum Reges in ſuos omnes populos, alicuiuſque exiſtimationis homines vſi fuere; qui ſane extra ſuum ius poteſtatemque, quam legibus adepti ſunt, reliquos omnes quaſi parium loco habere conſuerint, dilexerintque ipſos, ac defenderint non ſecus, atque parentes liberos ſuos tuentur, atque omni charitate proſequuntur. Sed tempus modo non eſt, firmum, atque omni virtute cumulatum Regnum laudare, ſatis mihi ſit, me ipſum purgaſſe, qui puſillum donum miſerim magno, atque omni honore decoreque digno, Regi; quod tamen donum, vt facilis aditus ei ad maieſtatem tuam ſit, rogaui, vt a grata tibi, acceptaque perſona praeberetur. Vale. Florent. VIII. Kal. Nouemb. CIↃ IↃ LXXXIIII.

PETRVS VICTORIVS

Latino Latinio. S.

NON mihi nouum eſt, Latine doctiſſime, te valde me diligere, honoriſque mei ſtudioſum eſſe: etſi non contigit, vt in ijſdem locis viueremus; quod ſi factum eſſet, profecto amor noſter auctus magnopere foret, certaque aliqua indicia, & teſtimonia extarent noſtrae mutuae beneuolentiae: nunc autem, poſtquam initium a te modo ortum eſt patefaciendi viam huic rei, rogaſtique me, vt ſtudij aliquid ponerem in eo ſcriptore iuuando, vnde tu laudem magnam conſecutus es, quantum me dolorem accepiſſe putas, cum videam, me non poſſe voluntati tuae ſatisfacere, & opis tibi aliquid adferre ad id, quod rogas, efficiendum: etſi arbitror, id quod fieri potuit ad vulnera ipſius ſananda, quae a vetuſtate ipſi impoſita fuerint, a te praeclare, & feliciter ad finem perductum eſſe, nec tamen non, vt tibi placerem, laborem nullum recuſaſſem, & quod petis, efficerem: ſed vides aetatem, intelligiſque quot, & quam grauia mala ſecum ſenectus trahat; quae a me abeſſe non poſſunt: cum autem vnum eorum ſit infirmitas oculorum, quae maximum impedimentum adfert huic ſtudio, nec ſinit vllo pacto praeſtari, quod oporteret, ea vehementer me laeſum eſſe, facile exiſtimare potes, cum ipſi numquam pepercerim. Haec igitur non ſinunt, me, vt cuperem, parere deſiderio meo, amplectique hanc rem, vt vellem. Poſterior epiſtolae tuae pars, vel potius laudatio mea, minime neceſ-

ſaria mihi fuit, qua, citatis grauibus teſtibus, ſignificas, te ſummum praedicatorem ſem-
per fuiſſe laudum mearum; id enim vt initio harum litterarum ſcripſi, compertum mihi o-
lim fuit; quare ipſe quoque te amaui, & loco fidorum, verorumque amicorum habui:
Quis enim non amet probum, & eruditum virum, & vna omnium honeſtorum hominum
voce commendatum, deditumque iiſdem optimis artibus, quibus ipſe delectetur? nam
quod in aliis etiam, quos dicis, teſtes eſſe poſſe tui egregij animi erga me, nominas M. An-
tonium Columnam, Cardinalem, gaudeo mirifice, nomen meum perueniſſe ad aures eius
clariſſimi, & optimi viri, cum mea aliqua laude, profecta ab ore tuo. Erit igitur mihi gra-
tum, ſi nactus huius rei occaſionem aliquam, me eſſe memorem ipſius in me beneuolen-
tiae illi ſignificaris. Tu autem, humaniſſime vir, aequo animo patiere, me non potuiſſe
ſeruire voluntati tuae, etſi modice hoc rogaſti: nam poteram etiam addere ſuperioribus
cauſis, quod non valde verſatus ſum in Latinis ſcriptoribus, propriis noſtrae piae inſti-
tutionis, ſed in Graecis magis volutatus ſum: nam doctiſſimum & grauiſſimum Chriſtia-
num ſcriptorem, qui latebat in tenebris, me olim curaſſe peruulgandum, arbitror tibi no-
tum eſſe. Vale. Florent. XVIII. Kal. Ianuar. CIↃ IↃ LXXXIIII.

PETRVS VICTORIVS
Alexandro Medici Card. S.

CVm alios multos honeſtos, & magnis virtutibus praeditos viros ama-
ſim, veneratuſque ſim, qui merito ad ſummum iſtum gradum honoris
peruenerunt, quomodo facere poſſum, Cardinalis optime, quin te mul-
tis de cauſis aſſidue colam, atque obſeruem, qui perſpexerim, te ſemper
innocenter vixiſſe, & ab omni macula, ſimilitudineque vitij alienum
fuiſſe: ſtatim enim à teneris vnguiculis perſpecta ſunt in te ſigna eximiae
cuiuſdam probitatis: in primis autem animus totus conuerſus in pu-
ram, & veram pietatem; quae cum multis modis comprobaſſes, opinionemque maximam
de te, moribuſque tuis excitaſſes, & firmam in pectoribus omnium conſtituiſſes, factum
fuit, vt, cum orator Romam ad Pont. Max. mittendus eſſet, Magnus noſter Dux, qui
multis modis induſtriam, & fidem tuam perſpexerat, te potiſſimum elegerit, qui praecla-
re poſſes fungi hoc munere: in eo autem obeundo, ſpecimen ita magnae tuae probitatis
dediſti, & ita te geſſiſti, tamquam ſi praeterita omni vita in rebus publicis gerendis verſatus
eſſes, vt Pontifici placeres, & illi, qui te miſerat, vndique ſatisfaceres: quare contigit, vt
cum numerus ampliſſimorum Cardinalium imminutus eſſet, oporteretque nouos crea-
re, ſummo conſenſu ambotum tu cooptatus ſis. Cum autem ego ad te accedere nequeam,
atque his tot, tantiſque tuis praeclaris animi dotibus modo coram frui non poſſim, mole-
ſta aegritudine impeditus, quae vires meas multum labefactauit; earum recordatione,
quae magnopere me delectat, gaudeo, ſermoneſque de illis libenter vſurpo, qui eo iucun
diores mihi ſunt, quod audio, te de me ipſo, non raro loqui, eaque proferre, quae egre-
giam tuam animi voluntatem erga me, mihi praeclare cognitam, omnibus patefaciant, de-
monſtrentque, te me ipſum, ingenijque mei monimenta plurimi facere: quare diutius me
continere non potui, quin ad te ſcriberem, ſignificaremque, me tibi tantas gratias habere,
quantas maximas poſſum, ac ſi quando occaſio, facultaſque mihi dabitur, omnibus patefa-
cturum acre deſiderium, quo teneor, tibi placendi, ac celebrandi egregias tuas virtutes, aſſi-
duamque curam, & diligentiam, quam adhibes in grege tuo regendo, muneribuſque ob-
eundis proprijs perſonae, cui commiſſa ſunt vita, & mores ciuitatis; cui rei tu in primis
idoneus es, cum illa vera ratio ſit huius rei efficiendae, vt, qui vult maculas ex aliorum ani-
mo delere, primum debeat ſeipſum ab omni vitio, labeque purgare; quod tibi facere ne-
ceſſe non fuit, cum omni vita tua, integrum te, caſtumque praebueris. Vale Cardinalis
ampliſſime, iſtamque viam laudis plenam ſequere, quae te ad ſummum gloriae faſtigium
perducet.

PETRVS

PETRVS VICTORIVS
Antonio Riccobono. S.

ACCEPI tuas litteras humanitatis, & amoris erga me plenas, quae me magnopere delectarunt, cognoueram antea ſane teſtimonijs non nullorum, te bene de me exiſtimare, & iudicium meum de ſcriptis veterum auctorum emendādis probare; ſed haec epiſtola tua totam rem planius expreſſit, aperteque de veteribus meis ſcriptis, quid cenſeret, ſignificauit: quare gaudeo magnopere, me talem praeconē meae laudis ſine vllo meo merito nactum eſſe: quod autem adhuc non feci, vt tibi gratias agerem, praeſtarem nunc libenter, parque tibi pro pari redderem, ſi facultatem huius rei haberem: doleo vero, me non facile poſſe efficere, quae cuperem: aduerſatur enim huic officio meo ſenectus, morbuſque grauis, qui me ſpatio multorum menſium oppreſſum tenuit, nec ſiuit vacare veteribus meis ſtudiis; quare iuſſu Magni noſtri Ducis humaniſſimi, & mei amantiſſimi, poſtquam id cognouit, hoc onere leuatus ſum: in alijs autem, quibus premor angoribus, eſt, quod magna cum difficultate legere, aut ſcribere valeo, ex qua re quanta moleſtia affectus ſim, facile intelligis. Litterae autem hae tuae fuerunt mihi ſua ſponte gratae, atque etiam multis de cauſis valde carae: fecit vero, vt ipſas magis amarem, quod in illis vehementer laudas Coſmum Concinium adoleſcentem optimum, & omni laude digniſſimum propter multas animi ſui dotes, & deſiderium acre optimarum artium, in quibus ipſum ſumma cum diligentia iſtic verſatum eſſe, mirifice delectatus ſum: nam intelligere eos, quos caros habes, a peritis, & doctis viris in caelum ferri, magnam laetitiam omnibus facit; quod tu in adoleſcente hoc mihi cariſſimo, & quem ego in oculis fero, ornando egregie praeſtitiſti: in qua re nihil tibi cedo: ipſe certe ſpem meam non fefellit, qui omni illo tempore, quo hic apud nos manſit, in haec ſtudia humaniora toto pectore incubuit: cum autem apud vos fuit, non ſolum his litteris elegantioribus operam dedit, ſed etiam ſcientiam legum cum illis coniunxit; quare ſpero, me ipſum viſurum multo doctiorem in omni genere optimorum ſtudiorum: nam hunc adhuc non vidi, quia ſpatio duorum menſium in villa manſi, quo me contuli, vt viderem, ſi poſſem conſequi, quod aliis temporibus a clementia huius caeli facile impetraui, id quod mihi tamen adhuc non contigit. Tu vero vale, &, vt facis bonarum artium ſtudioſos iuua. E Decimano rure X. Kal. Quinct. CIƆ IƆ LXXXV.

PETRVS VICTORIVS
Gulielmo Sirleto Card. S.

CVM ſaepe honeſta multa, & ſanctitatis plena facta mirifice commendari audiſſem noſtri optimi Pont. quem omnes non a vobis creatum, ſed de caelo delapſum putant, coepi vehementer ipſum admirari, & toto animo colere; nec multo poſt excitatum eſt in me deſiderium magnum, ſi poſſem, ſcribendi laudes ipſius, & ad praeclarum propriumque verae pietatis opus eundem adhortandi. Repente igitur, quaſi diuino quodam ſpiritu afflatus, calamum ſumpſi, incubuique totus in hanc curam; nec ſatis longo temporis interuallo perduxi ad exitum, quod inſtitui. Mitto autem nunc ad te lucubrationem meam, ſi non perfectam, & abſolutam, ab optimo certe animo, ac ſtudioſo verae gloriae ipſius profectam. Leges tu vero illam diligenter, quum tibi per occupationes licebit hoc enim iure veteris noſtrae amicitiae videor me poſſe a te poſtulare, & vbi etiam opus eſſe iudicaueris, ipſam ſine ambitione corriges; non auſim tamen te rogare, nec tibi tantum oneris imponere, vt ipſam oſtendas ei, quem ego nullo cuiuſquam ornatu, laudationeque egentem ſedulitate mea ornare, & celebrare ſtudui, ſed hoc voluntatis tuae, & perfectiſſimi iudicij vndique eſſe volo; quod neque in hac ipſa re, neque in alia vlla facile labi, & peccare poteſt. Ego certe quicquid de hac deliberatum a te fuerit, id totum amanter erga me, ſapienterque factum exiſtimabo. Vale. Florent. IX. Kal. Sext. CIƆ IƆ LXVII.

PETRVS VICTORIVS
Rectori Germanici collegij Romae. S.

EST in comitatu Cardinalis Auſtriaci, qui hac tranſijt, vir probus, & valde eruditus Eraſmus . . . . . idemque ſatis bonus poëta: pangit enim & Latinum, & Graecum carmen eleganter; hic, cum me domi meae ſalutaſſet, in longo ſermone, quem cum ipſo non ſemel habui, viſus mihi eſt dignus, cui omnes non alieni ab ingenuis artibus fauerent, honeſtaque hominis deſideria iuuarent: cum igitur mihi oſtendiſſet, ſe cupere, recipi in ſumma laude dignum, refertumque omni genere virtutis collegium, cuius tu praefectus es; rogaſſetque, modeſte tamen, vt patefacerem ipſi aditum, ſi vlla ratione poſſem, ad explendam hanc ingentem ſitim ſuam, volui ei, in hoc placere: quare commendo tibi ipſum viro humaniſſimo, & valde ſtudioſo eorum, quos intelligis amare ex animo ſtudia litterarum, Ignoſces autem mihi, ſi forte arrogans tibi viſus fuerim, cum ignotus tibi homo tantum mihi pollicitus de probitate tua ſim, vt ſperarim, commendationem hanc meam ipſi plurimum profuturam. Vale, & me deditum magnopere & doctrinae, & ſanctitati vitae tuae, quique te toto animo complexus ſum, ama.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T.

Omnes ſunt Terniones.

FLORENTIAE.

Apud Iunctas. CIƆ IƆ LXXXVI.

VITTORIO EMANUELE IN ROMA BIBLIOTECA

2805. Kr. Dph. #207: £12

820,124